
Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/periodica-de-re-canonica_1914_7

Brugis, typis Houdmont Fratrum

ARTHURUS VERMEERSCH e Soc. Iesu

DOCTOR IURIS ET IURIS CANONICI, LOVANII IN COLL. MAX. S. I. PROFESSOR
THEOLOGIAE MORALIS ET IURIS CANONICI

DE RELIGIOSIS

ET

MISSIONARIIS

SUPPLEMENTA ET MONUMENTA

PERIODICA

TOMUS SEPTIMUS

(continuans ***De Religiosis Institutis****, etc. t. 2)*



BRUGIS

SUMPTIBUS BEYAERT

ROMAE & RATISBONAE
F. PUSTET

LUTETIAE PARISIORUM
P. LETHIELLEUX

1914

16750

v.7
1914

IMPRIMI POTEST

Aemilius Thibaut, S. I. *Praepositus provinciae belgicae.*

NIHIL OBSTAT

Brugis, 27 maii 1914.

H. Lahousse, *can. lib. cens.*

IMPRIMATUR

Brugis, 27 maii 1914.

H. Van den Berghe, *Vic. gen.*

SUPPLEMENTA

QUAESITA VARIA

. Casus Sinensis de cautionibus quas dispensans ab impedimento disparitatis cultus exigere debet

Recenti declaratione 12-13 iun. 1912 [1], S. C. S. Officii omni robore destitutam dixit dispensationem super impedimento disparitatis cultus quam habens a S. Sede potestatem, non requisitis vel denegatis praescriptis cautionibus, imperiret. Prudentem et opportunam esse huiusmodi severitatem de condicione quae ex ipsa rerum natura demonstratur necessaria, nemo infitias ibit. Fit tamen ut sapientes etiam sanctiones ex moribus barbaris vel orientalibus difficultates praeter exspectationem trahant. Atque hoc in praesenti causa accidit in quibusdam partibus sinensis rei publicae. Inter praescriptas cautiones haec enim habetur ut pars infidelis spondeat baptismum et institutionem catholicam universae prolis, utriusque sexus. Sed in his Sinensium partibus mentionem de futura prole inicere, idem est quod proli isti maledicere. Quare nullus est catechista qui promissionem istam petere audeat. Quid itaque iuris ?

Resp. Si fieri potuerit, difficultas huius modi est quam positiva S. Sedis dispositio melius removerit. Sed quia naturae Sacrarum Congregationum deliberationes diuturnum temporis spatium requirere solent, per quod intervallum tamen admodum difficile sit ut Sinenses matrimoniis et Ordinarii dispensationibus concedendis supersedeant, quisnam possibilis modus sufficientem securitatem praebeat interea saltem investigandum est.

In primis accurate perpendendum est quid nomine *cautionum* postuletur. Si ipsis verbis stes quibus facultas dispensandi conceditur : « dummodo cautum omnino sit condicionibus ab Ecclesia praescriptis, ac praesertim de amovendo a coniuge catholico perversionis periculo, deque conversione coniugis infidelis pro viribus curanda, ac de universa prole

[1] Cfr. PERIODICA, t. 6, n. 601, p. 257. 258.

utriusque sexus in catholicae religionis sanctitate omnino educanda [1] », existimare potueris satis esse ut missionario moraliter constet condiciones istas impletum iri. Verum, quamvis ipsa vox *cautio* significet tantum securitatem, quae sine formali promissione obtineri potest, communis intellectus prudentum et ipse usus demonstrant cautionum nomine hic venire *promissiones* formales, quae melius etiam (quamvis id non sit essentiale) scriptae fiunt, et in quibusdam locis *iuratae* postulantur. Cfr. v. gr. GASPARRI, *De matrimonio*, t. 1, n. 452. 453. WERNZ, *Ius matrimoniale*, 2ª ed. 1912, n. 509, p. 391, nota 41, qui sic obligationem explicat : « Pars *infidelis* promittere debet 1) se suo coniugi relicturam esse liberum exercitium religionis catholicae, 2) universam prolem utriusque sexus in religione catholica baptizatum et educatum iri. Pars vero *fidelis* polliceri debet se pro viribus (prudenter) curaturam esse conversionem coniugis infidelis. Quae cautiones si omnino non aut non sincere aut non integre *ante* concessam dispensationem praestantur, gratia dispensationis est neganda. » Quare addunt iidem doctores de fideli exsecutione promissionum moraliter dispensanti constare debere. Quod tamen attinet *ad valorem* dispensationis, satis esse putamus ut factae promissiones *sincerae* sint. Quocirca, etiamsi dubia sit fidelis exsecutio, immo prospiciatur non futura, validam iudicamus dispensationem etsi male tunc concessa sit. Hac ratione movemur, quod condiciones nullitatis stricte interpretandae sunt, et cautiones praescriptae habentur si sincero animo datae fuerint. Vera enim est promissio si sincera fuerit.

Itaque formalis promissio de futurae prolis educatione exigenda est. Aptus ergo modus inveniendus est quo Sinensium offensio vitetur. Qui modus is esse videtur. Interrogans missionarius seu catechista legat coram partibus dispensandis generalem formulam de officiis coniugum. Inter haec officia memorabilitur obligatio catholicae institutionis filiorum. His lectis, postulet a partibus num promittant fidelem omnium istorum officiorum exsecutionem. Quam si promiserint re vera formalem cautionem, quae requiritur, dederunt, nec ulla tamen facta est specialis ad ipsorum futuram prolem allusio, ita ut omnia apte composita videantur.

II. De voto Paupertatis Congregationum religiosarum

Solent nunc non pauca Instituta votorum simplicium eo fere uti regimine quod sic dictis Normis S. Congr. Episco-

[1] Sic in formula descripta n. 33 *Collectanea Parisiensia*. Urgetur dein exsecutio annexae Instructionis quam de *mixtis* matrimoniis tradidit PIUS IX, 15 nov. 1858, et habetur *Collect. Prop. Fid.* ed. 2, n. 1169. Cfr. ibidem, n. 472.

porum et Regularium anno 1901, 28 iunii, descriptum est. Age porro, art. 114. 115 istarum Normarum edicitur : « Prohibitum est Sororibus retinere per seipsas administrationem bonorum suorum quorumcumque. — Propterea, ante primam votorum emissionem, disponere debent de usu et usufructu redituum vel fructuum bonorum suorum quo modo ipsis placuerit, et etiam, si ita pro earum arbitrio existimaverint, in favorem sui Instituti. »

Sanctio ista imitata est regimen quod in Ordinibus regularibus simpliciter Professis praescriptum est. Sed cum in Ordinibus regularibus simplex Professio trium annorum spatio regulariter concludatur, ibi non inducit incommodum non leve quod affert Institutis ubi per omnem vitam religiosi votis simplicibus astringuntur. Quo pacto enim possis prudenter perpetuam destinationem reditibus tuis assignare ? Quot piae, immo necessariae dispositiones, ex improvisis vel momentaneis causis suadendae, generali ista ante professionem facienda abdicatione impediuntur, hodie praesertim, cum tam incerta sint adiuncta ! Ex parte quidem incommodo isto consulitur facultate facta revocandi et mutandi istas cessiones, accedente licentia Moderatricis Generalis (*Normae*, art. 117). Verum recursus ad supremum Instituti Superiorem mentem hanc S. Sedis prodere videtur ut raro tantum mutationes istae fiant.

Quare, ut prudentior et utilior usus fieri possit redituum, **quaeritur** utrum necne possit religiosus vel Soror hanc suae cessioni dare formam :

« Tertiam partem redituum meorum cedo familiae meae ; tertiam communitati religiosae in qua pro tempore versabor ; tertiam addico bonis operibus quae, prout casus ferent, singulis annis definientur, approbante Superiore meo locali. »

Et quid si sic statuas : « Tertiam partim destino in pia opera quae Titius arbitratu suo prudenter definiet » ?

Resp. Hanc alteram formam nullo vitio laborare satis manifestum est. Huc enim redit, ut Titius administrator cum quodam disponendi iure eligatur. Nihil autem sibi retinet religiosus. Quare in nullam reprehensionem incurrit.

Sed priore ratione, cum singulis annis, immo saepius per annum definiat pia opera quibus favere voluerit, nonne bonorum suorum administrationem quampiam servat, contra atque art. 14 prohibetur ? Nihilominus, probabilis certe opinio religioso etiam professo concedit ut, illaeso voto paupertatis, summas accipiat, arbitratu suo, pie impendenda. (Cfr. nostrum *De Religiosis domibus et personis* tomum I, n. **257**.) Hic autem etiam, cum destinatio in pia opera iam generice definita sit, ita ut in alios usus, praecipue in personales, hanc redituum partem impendere non possit, deminuta

ista administratio, seu potius ulterior destinationis specificatio voto prohiberi non videtur, praesertim accedente beneplacito Superioris.

III. De absolutione generali et benedictione cum indulgentia plenaria

Indultis 5 et 17 maii 1909, S. Pontifex mutuam indulgentiarum et spiritualium fructuum communicationem concessit inter duos priores et tertium S. Francisci Ordinem. Cfr. PERIODICA, t. 5, n. 426$_H$ p. 182, ubi etiam summatim indicavimus per quas varias vices ad tantam spiritualium gratiarum abundantiam perventum esset. Hinc multo saepius coeperunt tres Ordines « absolutione generali » frui. Et sic vulgo effectus istius communicationis effertur. Verum propius rem attendenti quaedam exsecutionis difficultas nasci videtur. Vulgari enim *absolutionis generalis* nomine, quod promiscue usurpatur, duae res distinctae distinguuntur. Regularibus enim vera absolutio generalis, Tertiariis autem saecularibus mera benedictio cum indulgentia plenaria per se indulta est. Quod ut manifesto videas, satis est verba utriusque formulae perpendere. Si enim preces quibus gratia praeparatur omittas, his verbis confertur *regularibus* absolutio : « D. N. I. C. per merita suae sacratissimae passionis vos absolvat, et gratiam suam vobis infundat. Et ego auctoritate ipsius et BB. Apostolorum Petri et Pauli et SS. Pontificum Ordini nostro ac vobis concessa et mihi in hac parte commissa, absolvo vos ab omni vinculo excommunicationis maioris vel minoris, suspensionis et interdicti, si quod forte incurristis, et restituo vos unioni et participationi fidelium, necnon sacrosanctis Ecclesiae sacramentis. Item eadem auctoritate absolvo vos ab omni transgressione votorum et regulae, constitutionum, ordinationum et admonitionum maiorum nostrorum, ab omnibus paenitentiis oblitis seu etiam neglectis, concedens vobis remissionem et indulgentiam omnium peccatorum quibus contra Deum et proximum fragilitate humana, ignorantia vel malitia deliquistis ac de quibus iam confessi estis : In nomine Patris † et Filii et Spiritus Sancti. Amen. » — Ab hac amplissima absolutione quantum distat formula pro saecularibus, cuius vis omnis his exprimitur : « Auctoritate a SS. Pontificibus mihi concessa, plenariam indulgentiam omnium peccatorum vestrorum vobis impertior. In nomine, etc. » Quocirca S. Sedes verbus *absolutionis generalis* privilegium religiosis Franciscalibus concessum simpliciter designa : — sic in ipso formulae titulo et variis concessionibus, — dum privilegium saecularium Tertiariorum *benedictionem* vocat : sic in titulo ipsius

ormulae. Quare, accurate loquens orator 22 dec. 1905, enedictionem istam vocavit « *Sic dictam absolutionem eneralem* » (cfr. PERIODICA, t. 2, n. **108**, p. 64).

Age porro, si ita res se habent, quaeritur iam quomodo egularibus danda sit « absolutio generalis » diebus quibus x communicatione cum Tertiariis saecularibus illam recipere ossunt; ac rursus, quo pacto « absolutio generalis » imperienda sit saecularibus, diebus quibus ex communicatione um religiosis illam recipere permittuntur.

Si dicas enim regularibus utendum esse forma pro regulaibus approbata, et saecularibus forma saecularium, cum ola prior forma absolutionem a censuris contineat, re vera egularibus ex communicatione tribuis privilegium maius uam quod est apud communicantem, saecularibus autem inus.

Verum enimvero hanc putamus esse vim communicationis ndulgentiarum et fructuum spiritualium, ut ipsam absolutionis ormam mutuo communicet. Quod non tantum per se probaum videtur, sed etiam responsis S. Sedis confirmari potest. Postquam enim, die 18 aug. 1903, religiosae Tertiariorum ommunitates indulgentias duorum priorum Ordinum partiipare coeperunt, S. C. Indulgentiarum, responso 11 nov. 903, quo prius responsum 19 dec. 1885 retractavit, declaravit ommunitatibus istis utendam iam esse prima formula absoutionis, id est regularium. Idque fecit, « attento decreto 8 aug. 1903 », quo Tertiarii in communitate vigentes comunicare coeperunt in indulgentiis duorum priorum Ordium. Quare BERINGER, *Die Ablässe*, p. 38*, communionem ormulae in communione indulgentiarum inniti diserte declat. Quod si ita res se habent, mutua omnium indulgentiarum ommunicatio etiam mutuam formularum communicationem nducere videtur.

Hactenus, quo doctrinalis interpretatio ferat diximus. Sed eri potuit ut discrimen gratiarum quae binis formulis coneduntur neglectum fuerit et sic diversus usus invalescere oeperit. Hodie enim in generali censurarum absolutione ulto minus momentum inest quam olim, cum longe plures ensurae promulgatae essent. Idcirco iam 22 mart. 1905 S. D. PIUS Pp. X concessit ut regulares privatam absoluonem, post confessionem sacramentalem, formula saeculaium recipere possent. (Cfr. PERIODICA, n. **60**, t. 1, p. 153.) Quocirca opportuna S. Sedis declaratione omne dubium tiliter summoveri possit.

IV. **De abiurando modernismo**

Tam in Europa quam in missionibus dubia non pauca

occurrunt de necessitate et modo repetendi modernismi abiurationem, quae variis titulis imperatur.

Quaeritur v. gr. 1. Num neosacerdotes qui, postquam ordinibus aucti sunt, mox ad confessiones andiendas approbantur iterum modernismum abiurare debeant ?

2. Num sacerdos in dioecesi europaea approbatus pro confessionibus, debeat in missionibus exteris, antequam sacris ministeriis operam dare incipiat, abiurationem confessarii et contionatoris repetere ?

3. Num qui Superior religiosus evaserit, iusiurandum quod paulo ante qua missionarius fecerit, repetere debeat ?

4. Coram quo Superior Provincialis in Missionibus exteris modernismum abiuret ?

5. Num modernismum abiurare debent confessarii qui pro solis religiosis sui Ordinis constituuntur ?

Resp. Dubiorum in hac re facilitatem demonstrant ipsae declarationes non paucae quae ad primam legis promulgationem accedere debuerunt.

Praeter enim ipsum Motu Proprio *Sacrorum antistitum* 1 sept. 1910, quo iusiurandi praeceptum et formula continentur, habuimus declarationes, ex parte extensivas, 25 sept. 1910; 25 oct. 1910; 17 dec. 1910; 1 mart. 1911; 24 mart. 1911

Age porro, ad praesentia dubia solvenda, lumen mutuamur tum a decl. 25 oct. 1910 ad 1, qua de illo qui plura in praesenti beneficia vel officia obtinuerit, statuitur sufficere unum iusiurandum, sed de eodem prius praestito fidem exhibendam esse ei qui ius habet aliud exigendi iuramentum ; tum a decl. 24 mart. 1911, qua de ordinandis sufficere dicitur ut iuramentum praestetur ante ineundum sacrum subdiaconatus ordinem, salvo Ordinarii iure illud denuo exigendi ante collationem singulorum ss. ordinum, si ex qualibet causa necessarium vel utile ducat ; tum a decl. 25 oct. 1910 ad V qua negatur necessitas renovandi iuramentum propter prorogatam facultatem contionandi, vel audiendi confessiones tum a decl. 17 dec. 1910 ad 2, qua religiosi destinati confessionibus audiendis vel sacris contionibus habendis iurare praecipiuntur coram eo a quo ad confessiones et contiones approbantur.

His itaque collatis declarationibus, respondemus :

Ad 1. Ius est approbantis exigendi iteratam abiurationem potest tamen contentus esse fide iam abiurati modernismi si paulo ante, puta intra tres menses, vel saltem infra annum iuramentum emiserint. Quamquam difficultas aliqua inde peti potest, quod nondum qua *sacerdotes* abiuraverint, et abiurare iubentur *sacerdotes* confessionibus excipiendis destinati

Infra annum, dicimus, quia istud lege praestituitur intervallum post quod professores iuramentum repetere debeant

des melius scripta dabitur ; id tamen non iniungitur, ita ut iodlibet certum dati iuramenti argumentum sufficere possit.
Ad 2. Iusiurandum repetere non debet nisi id postulaverit rdinarius approbans.
Ad 3. Dummodo intra annum saltem modernismum abiuverit, in arbitrio positum est Superioris coram quo iusiurndum per se emittendum foret ut iuramentum exigat vel le iuramenti dati contentus sit.
Ad 4. Superior missionis modernismum abiurabit coram cerdote quem, in aliquo dignitate vel officio constitutum, oderator generalis delegaverit. Is possit esse, v. gr. Vicaus vel Praefectus Apostolicus, aut etiam alius sacerdos.
Ad 5. Affirmative.

De coronis et crucifixi Christi imaginibus quae a via crucis dicuntur

Decreto S. Officii 24 iul. 1912, suppressae omnino sunt ronae « viae crucis », et revocatae omnes concessiones crandi indulgentias viae crucis aliter atque ipso viae crucis tercitio vel simulacris Crucifixi a Fratribus Minoribus enedictis.
Hinc **quaeritur** : 1. Quaenam erant coronae istae viae ucis ?
2. Num cessaverint eae facultates benedicendi imagines risti Crucifixi cum indulgentiis viae Crucis quae non a atribus Minoribus sed a S. Sede directe impetratae fuerint?
3. Num suppressae sint sodalitates *viae crucis viventis* vel dulgentiae iisdem concessae brevi *Pietati Christi fidelium* aug. 1901 [1]. Sodalitates istae ex quattuordecim constant ciis qui singuli unam cotidie sibi attributam ex quattuorcim stationibus meditando peragant, ad instar Sodalitam *Rosarii Viventis*.
Resp. Ad 1. Coronae istae quattuordecim numismatibus mponuntur quae suam quaeque imaginem stationis viae crus descriptam ferunt et tribus globulis distinguuntur. Istos obulos volvendo recitatur Pater, Ave, Gloria. Facultas ronas istas benedicendi tum sacerdotibus Lazzaristis tum rectoribus et zelatoribus archiconfraternitatis a Sanctissima gonia indulto 2 nov. 1906 concessa erat. Exstabant etiam elli quae stationum seriem cum aptis precibus continebant.
Ad 2. Sicut in ipsa nuperrimi decreti interpretatione dixis, facultates istae, nostra sententia, non cessarrent, sed terminos concessionis factae Fratribus Minoribus redindae sunt.

---

[1] ANALECTA ECCL., t. 9 (1901), p. 400, vel NOUV. REVUE THÉOL., t. 33 (1901), p. 598.

Ad 3. Cum haec sodalicia propriis indulgentiis ditata sin neque ullo modo ad supplendum proprie dictum viae crucis exercitium instituta sint, eadem praesenti abrogatione minime affici satis perspicitur. Cfr. de isto argumento, Besson Nouvelle Revue théologique, nov. 1912.

VI. De novarum Constitutionum editione et vi

1. Recens approbatae sunt novae Constitutiones quas typis scriptas, Sororibus iam professis, noviciis praesentibus, ac deinceps postulantibus tradere nobis propositum est Num, ut id faciamus, licentiam dictam *Imprimatur* ab Ordinario impetrare debemus ?

2. Novae istae Constitutiones sic dictas *Normas* 28 iuni 1901 imitatae sunt. Quare regimen paupertatis non parum mutatum est. Dum enim antea Sororibus licebat, accedente facultate Superiorissae, reditus suos honeste erogare, requiritur iam ut ante professionem de administratione et usufructu bonorum suorum disponant. Quaeritur iam utrum regimine isto obligentur sorores iam professae an solas futuras professas afficiat ?

Resp. ad 1. Licentia dicta *Imprimatur* tum stricte requiritur cum opus ita typis scribitur ut publici iuris fiat, u passim venalis prostet. Quare solent in Germania libros distinguere *als Manuskript gedruckt* (quae tamquam manu scripta imprimuntur) a libris qui proprie vulgantur : Prioris generis libri, v. gr. praelectiones Professoris huius alumni vel amicis tradendae, sine Ordinarii approbatione imprimuntur, contra atque alterum genus. Iam vero ad prius genus ascribendos esse libellos constitutionum ad usum religiosorum, sat manifeste perspicitur. Cfr. nostrum *De prohibitione et censura librorum*, ed. 4, n. **39**.

Ad 2. De iure quo, in bonum commune, S. Pontifex possit novum bonorum regimen omnibus sequendum praecipere vix ambigendum est. Solet tamen S. Sedes reformatione suas prudenter urgere. Quare, nisi in ipsis reformatis Constitutionibus aliud expresse caveatur, sic dicendum videtur Professae in perpetuum novo isto iure stricte non astringuntur, quamvis eius admissio valde per se commendandi sit. Quae vero priorem tantum seu temporariam professionem fecerunt, pristinam disciplinam votorum temporariorum servare posse videntur ; novam vero perpetuae professioni disciplinam observare debent.

MONUMENTA

19. — S. CONGR. S. OFFICII (Sectio de indulgentiis)

INDULTUM 13 IUN. 1912

ndulgentia plenaria in honorem Beatae Mariae Virginis Immaculatae, primo sabbato cuiuslibet mensis lucranda (A. A. S. 30 sept. 1912, 4, 623)

(Ex audientia Sanctissimi, die 13 iunii 1912)

Dies (13 iun. 1912).

Sanctissimus D. N. D. Pius div. Prov. Pp. X, ad augendum fidelium evotionem erga gloriosissimam Dei Matrem Immaculatam, et ad fovenum pium reparationis desiderium quo fideles ipsi cupiunt quandam hibere satisfactionem pro exsecrabilibus blasphemiis quibus Nomen gustissimum et excelsae praerogativae eiusdem beatae Virginis a scestis hominibus impetuntur, ultro concedere dignatus est, ut universi qui imo quolibet sabbato cuiusvis mensis, confessi ac sacra Synaxi refecti, culiaria devotionis exercitia in honorem beatae Virginis Immaculatae in iritu reparationis ut supra, peregerint, et ad mentem summi Pontificis averint, Indulgentiam plenariam, defunctis quoque applicabilem, lucrari leant. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. ontrariis quibuscumque non obstantibus.

Pontificis intentio.

Gratia ultronea; condiciones.

M. Card. RAMPOLLA,
† *D. Archiep. Seleucien., Ass. S. O.*

ANNOTATIO

Forma minus sollemni quam pro SS. Corde Iesu, S. Pontifex inducit hic devotionem quae a primo sabbato vocari otest. Ac, sicut in cultu qui Sacratissimo Cordi prima ria VI cuiusque mensis praestatur spiritus reparationis vetur, sic etiam S. Pontifex fidelibus qui indulgentiam crari cupiant praescribit, praeter consuetas condiciones nfessionis, communionis et orationis ad eius mentem, ut spiritu reparationis blasphemiarum quibus Nomen et aerogativae SS^{ae} Virginis impetuntur, peculiaria devotionis ercitia in honorem B. V. Immaculatae peragant. De qualie, quantitate et modo istarum precum nihil additur. Quicid rationabile videtur sufficere itaque poterit: v. gr. litaae B. Virginis vel similes preces.

620. — S. CONGR. S. OFFICII (Sectio de indulgentiis)

RESPONSA 12-13 IUN. 1912

De indulgentiis in translatis Beatorum festis

(A. A. S. 30 sept. 1912, 4, 624)

Dubia. Supremae sacrae Congregationi S. Officii sequentia proposita sunt dubia, quae versantur circa indulgentias in festis Beatorum concessas, quando haec transferuntur, nimirum :

Quid si transfertur in perpetuum festum Beati quod externa sollemnitate caret.

I. An, translato in perpetuum festo alicuius Beati quod externa sollemnitate non gaudet, transferatur quoque indulgentia concessa ecclesiis Ordinis regularis in casu tantum quo huiusmodi indulgentia concessa sit intuitu Beati eiusque expresso nomine, an etiam in casu quo non fuerit concessa intuitu Beati, id est non eius expresso nomine, sed tantum affixa diei qua eius festum celebratur ?

Quid si festum non fuerit universale Ordinis ?

II. Et quatenus affirmative ad primam partem : Num translatio locum habere debeat, tam si festum pro universo Ordine, quam si pro aliqua tantum regulari provincia vel singulari conventu peragatur ?

Quid si maneat in populo sollemnitas in pristina die?

III. Num translatio indulgentiae locum habeat, si, reposito in aliam diem fixe festo Beatorum, eorum sollemnitas externa in antiquo die, ut ante officii repositionem perpetuam, affixa perseveret in populo ?

Quid de Tertiariis saecularibus ?

IV. An quando festum Beatorum ordinis S. Francisci celebratur a variis familiis franciscalibus, non tamen eodem die sed diverso, Tertiarii saeculares lucrari valeant indulgentiam eidem festo annexam, die quo festum illud celebratur ab ea familia cui ipsi subsunt, etiam si in proprio indulgentiarum summario alio die acquirenda designetur ?

V. An Tertiarii, si eorum sodalitas erecta est in ecclesiis franciscanis quae festa Beatorum impedita in aliam perpetuo die translatam celebrant, in die tantum translationis indulgentiam plenariam consequi valeant ?

VI. An Tertiarii qui ecclesiam ubi sodalitas erecta sit non habere possunt, ideoque valent indulgentiam eiusmodi in qualibet ecclesia franciscali promereri, possint pluries eandem indulgentiam acquirere, si festa in diversis ecclesiis diverso die fixe recolantur ?

Responsa *12 iun. 1912.* Quibus dubiis mature perpensis, Emi Patres una mecum generales Inquisitores, feria IV, die 12 iunii 1912, dixerunt :

Ad I. Ad I. Affirmative ad primam partem ; negative ad secundam.

Ad II. Ad II. Servetur Decretum S. C. Indulgentiarum, *Ianuen.*, 12 ianuarii 1878.

Ad III. Ad III. Negative, iuxta Decretum S. C. Indulgentiarum, *Urbis et Orbis*, 9 augusti 1852.

Ad IV. Ad IV. Poterunt Tertiarii, pro lubito, eam lucrari die in summario designato, vel die quo festum recolitur ab ea familia cui ipsi subsunt : ita tamen, ut semel tantum a singulis indulgentia acquiri possit.

Ad V. Ad V. Provisum in praecedenti.

Ad VI. Ad VI. Negative.

Approbatio pontificia, die 13 iun. 1912. Et feria V, die 13 iisdem mense et anno, SSmus D. N. D. Pius divina providentia Pp. X, in solita audientia R. P. D. Assessori S. Officii imper-

ı, supra relatas resolutiones Erum Patrum benigne approbare dignatus
.

M. Card. RAMPOLLA,
† *Donatus, Archiep. Seleucien., Ass. S. O.*

ANNOTATIO

Satis esse videtur ut subiciamus decreta quae in responsis II et ad III allegantur.

In Ianuen. 12 ian. 1878, ad Dubia haec: 1. Utrum translato sto in perpetuum, et perpetuo ad aliam diem sive ex eciali decreto S. R. C. sive ex praescripto rubricarum signato, simul ad eandem diem iterum festo assignatam ansferatur indulgentia eidem festo concessa, licet festum lebretur sine sollemnitate et publica functione?

Et quatenus affirmatione.

2. Utrum eadem translatio indulgentiae fiat tam in casu o translatio perpetua festi sit pro toto Ordine quam in su perpetuae translationis festi pro sola regulari provincia? S. C. Indulg. et respondit: Ad 1m et 2m Affirmative. (Cfr. ecreta authentica, n. 435.)

In Decreto Urbis et Orbis 9 aug. 1852, quod inter decreta thentica numerum obtinet 360, modo generali haec haben-r: « Cum vero transfertur tantum Officium cum Missa, n autem sollemnitas et exterior celebratio festi, indulgen-rum nullam fieri translationem decrevit (S. C.). »

---

21. — S. CONGR. S. OFFICII (Sectio de indulgentiis)

DECRETUM 29 AUG. 1912

Tribuens post missam orationi « Obsecro te » vim orationis « Sacrosanctae »

(A. A. S. 15 oct. 1912, 4, 4)

Supplicibus precibus motus, SS. Dominus tribuit recitantibus, post celebratum Sacrificium, orationem « Obsecro te » remissionem defectuum et culparum in eo litando commissarum.

Quod iam superiori tempore a plurimis spectatae pietatis sacerdotibus um apud apostolicam Sedem reperitur, nunc iterum innovatum est, ut nirum supplices exhiberentur preces, ad obtinendam in favorem recitan-n, post Missae Sacrificium celebratum, vulgatam devotissimam orati-em *Obsecro te, dulcissime Domine*, etc., remissionem defectuum et parum in eo litando ex humana fragilitate contractarum: quemadmodum m. Leone Pp. X pro recitantibus orationem *Sacrosanctae*, etc. post lnas Laudes indultum est. Has preces, in audientia R. P. D. Assessori Officii die 29 augusti 1912 impertita, humiliter porrectas SSmus D. N. s div. prov. Pp. X peramanter excepit, et concedere dignatus est ut erdotes omnes, praefatam orationem post oblatum divinum Mysterium

recitantes, optatam, ut supra, remissionem, rite dispositi, ac, nisi impediantur, genuflexi, consequi valeant; simulque declaravit, Indulgentiam trium annorum, a s. m. Pio Pp. IX, die 11 decembris 1846, praedictae orationi annexam, in suo robore permanere. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

M. Card. Rampolla.
† D. *Archiep, Seleucien., Assessor S. O.*

Annotationes

1. Simili itaque iure quo Leo X piorum utilitati consuluit qui horas canonicas vel officium Beatae Virginis recitare debent, dum recitationi orationis *Sacrosanctae* remissionem coniunxit culparum et defectuum ex fragilitate commissorum, simili, inquam, ratione SS. D. N. Pius X votis occurrit celebrantium qui, absoluto sacro, recitent orationem *Obsecro te*. Verba *ex humana fragilitate* videntur excludere graviores culpas obstinati vel impii animi, ita ut privilegium non videatur profuturum sacrilege celebranti quem post sacrum paeniteat.

2. Utramque orationem *genuflexi* recitare debemus. Sed dum Leo X regulam istam posuerat absolutam, et Pius IX 26 iul. 1855 solos aegrotos hac necestitate exemit, SS. D. N. Pius X permittit ut omne impedimenti genus ab hac circumstia dispenset.

3. Simul declarat in suo robore manere indulgentiam trium annorum quae a Pio IX orationi *Obsecro te* coniunxerat. Quo spectat ista declaratio? Etenim nihil obstat quin duplex indulgentia eidem orationi annectatur. Verum, in praesenti casu, causam dubitandi dabat haec consideratio, indulgentiam istam solis sacerdotibus, post missae celebrationem, concessam esse.

Praeterea, cum duae indulgentiae eidem operi coniunguntur, opus quod iterari potest et consuevit iterandum est ut binas lucreris. Itaque SS. Dominus concessisse nobis videtur ut una recitatione sacerdotes utroque beneficio frui postent.

---

622. — S. CONGR. DE RELIGIOSIS

RESPONSUM 30 AUG. 1 SEPT. 1912

De oboedientia religiosi saecularizati Episcopo praestanda (A. A. S. 30 sept. 1912, 4, 627)

Dubium. *Num in-*

Quaesitum est ab hac sacra Congregatione negotiis religiosorum sodalium praeposita, utrum Religiosus, habitu regulari dimisso, extra

claustra ad tempus degens indulto apostolico, cum facultate ab episcopo obtenta celebrandi Missam et alia opera sacerdotis propria peragendi, subsit eidem Ordinario, ita ut episcopus habeat in eum iurisdictionem et auctoritativam et dominativam potestatem, quamvis in Rescripto desit consueta formula: Ordinario loci subsit in vim quoque sollemnis obedientiae voti.

dulto saecularizatus tacite, Ordinario loci subdatur ?

Emi autem ac Rmi Patres Cardinales sacrae eiusdem Congregationis, in plenariis Comitiis ad Vaticanum adunatis die 30 augusti 1912, praehabito duorum ex officio Consultorum voto, et re mature perpensa, responderunt:

Responsum 30 aug. 1912.

Affirmative, facto verbo cum Sanctissimo.

Sanctitas porro Sua, ad relationem infrascripti Secretarii, die 1 septembris 1912 responsionem Emorum Patrum approbare et confirmare dignata est. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Approbatio SSi.

Datum Romae ex Secretaria sacrae Congregationis de Religiosis, die 1 septembris 1912.

Dies (1 sept. 1912).

Fr. I. C. Card. Vives, *Praefectus*,
† *Donatus, Archiep. Ephesinus, Secretarius.*

Annotatio

Doctrinam istam iam professi sumus in t. I *De Religiosis Institutis et Personis*, t. 1, n. **330**.

---

623. — S. CONGR. DE RELIGIOSIS

DECRETUM 1 SEPT. 1912

De communione infirmarum in monasteriis clausurae papalis (A. A. S. 30 sept. 1912, 4, 625)

Decreti occasio.

Edito a S. C. Concilii, die 20 decembris 1905, Decreto *Sacra Tridentina Synodus*, quo inter alia praescribitur ut *Communio frequens et cotidiana praesertim in religiosis Institutis cuiusvis generis promoveatur*, earum consulendum quoque erat sorti infirmarum quae intra septa monasteriorum clausurae Papalis decumbunt; cum ipsa clausura, prout determinatur in iure canonico vigenti, aliquod in praxi videretur parere incommodum ad frequentiorem earum aegrotantium Communionem, praesertim ex eo quod *regulariter* nonnisi confessarius et in eius defectu capellanus, et, si sacerdos sit regularis, a socio comitatus, monasterii claustra ingredi valeat ad Sacramenta infirmis ministranda.

Quare Emi ac Rmi Patres Cardinales S. C. de Religiosis, occasione arrepta quorundam dubiorum quae ad rem proposita fuerant, die 30 augusti 1912, in plenario coetu ad Vaticanum habito, quod ad Communionem infirmis deferendam in monasteriis clausurae Papalis, sequentia decernere existimarunt, nempe: In defectu confessarii vel capellani, tertius sacerdos, etiam regularis, licet sine socio, legitime vocatus de licentia

Decretum

episcopi, qui pro hac licentia nomine ipsius episcopi concedenda etiam abbatissam seu superiorissam habitualiter designare poterit, sacram Communionem infirmis valeat deferre Religiosis quae ad ecclesiae crates descendere nequeunt. Oportet autem ut quattuor religiosae maturae aetatis, si fieri possit, ab ingressu in clausuram usque ad egressum, sacerdotem comitentur, qui sacram pyxidem aliquas consecratas particulas continentem deferre, sacram Communionem administrare, reverti ad ecclesiam, eandemque sacram pyxidem reponere debet, servatis rubricis a Rituali Romano pro Communione infirmorum statutis.

Approbatio SS.

Et hanc Emorum Patrum sententiam et resolutionem SSmus Dominus noster Pius Papa Decimus, ad relationem subscripti Secretarii, die 1 septembris 1912 ratam habere et confirmare dignatus est. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Dies (1 sept. 1912).

Datum Romae ex Secretaria sacrae Congregationis de Religiosis, die 1 septembris 1912.

Fr. I. C. Card. Vives, *Praefectus,*
† *Donatus, Archiep. Ephesinus, Secretarius*

Annotatio

In gratiam frequentioris communionis de rigore clausurae papalis monialium quidpiam remittitur, quatenus etiam sacerdos regularis a socio habendo dispensatur, et licentia episcopi nec scripta esse debet nec directe ab episcopo concessa, cum possit episcopus permittere ut ipsa Superiorissa habitualiter eius nomine facultatem faciat.

Et quod de Superiorissa dicitur valet etiam de illa moniali quae impeditae Superiorissae vices gerat.

Simul, in exacta observantia rubricarum, S. C. praesidium ad impediendos abusus quaesivisse perspicitur. Ac vult praeterea ut, si fieri possit, quattuor religiosae maturae aetatis sacerdotem comitentur et deducant.

---

624. — S. CONGR. DE RELIGIOSIS

RESPONSA 1 SEPT. 1912

De indultis abstinentiae et ieiunii relate ad religiosos

(A. A. S. 30 sept. 1912, 4, 626)

Orator, **Dubium.**

Rmus D. Antonius Fiat, Superior generalis Congregationis Missionis et Filiarum a Caritate, a S. C. de Religiosis sequentis dubii solutionem expostulavit, nimirum :

Num religiosi indultis uti possint?

Utrum in indultis apostolicis quibus mitigationes vel dispensationes conceduntur ab abstinentia et ieiunio in regionibus intra et extra Europam, praesertim in America Latina, comprehendantur Familiae religiosae ibi degentes.

Responsum.

Emi autem ac Rmi Patres Cardinales sacrae eiusdem Congregationis, in aedibus Vaticanis adunati die 30 augusti 1912, re maturo examine perpensa, responderunt :

Distinguendum est quo iure debeant religiosi ieiunare et abstinentiam servare.

I. Affirmative quod ad abstinentiam et ieiunium a lege Ecclesiae generali praescripta, nisi ab indulto excludantur religiosi.

II. Negative quod ad abstinentiam et ieiunium a propriis Regulis et Constitutionibus statuta, nisi in indulto expresse de hac dispensatione mentio habeatur. Non servantes igitur huiusmodi abstinentiam et ieiunium, transgrediuntur quidem Regulam et Constitutionem, non autem legem Ecclesiae ; ideoque culpam tantum et poenam incurrunt a Constitutionibus vel Regulis statutam.

Iure peculiari utitur America latina.

III. Quod ad vero Religiosos in America Latina degentes, standum novissimo Indulto per Secretariam Status concesso, die 1 ianuarii an. 1910.

Approbatio pontificia (1 sept. 1912).

Quas Emorum DD. Cardinalium responsiones SSmus Dominus noster Pius Papa X, ad relationem infrascripti Secretarii, die 1 septembris 1912 approbare et confirmare dignatus est.

Derogatio contrariorum.

Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Dies (1 sept. 1912).

Datum Romae ex Secretaria sacrae Congregationis de Religiosis, die 1 septembris 1912.

Fr. I. C. Card. Vives, *Praefectus,*
† *Donatus, Archiep. Ephesinus, Secretarius.*

Annotationes

1. Utilitas istius declarationis haec est, ut iam claras leges generales habeamus de ratione qua indulta abstinentiae et ieiunii in religiosos cadant.

Mirum tantum esse videtur quaestionem moveri a Superiore Instituti cuius, sic volente So Fundatore, alumni proprie religiosi non sunt, sed de corpore cleri saecularis.

2. Indulto 1 ian. 1910, quod in tertia responsionis parte memoratur, haec habentur : « Religiosi utriusque sexus, speciali voto non obstricti, quamvis sint ex Ordinis Minorum Familiis, de consensu suorum Superiorum uti possunt praesenti indulto (quo paucissimi servantur dies abstinentiae et ieiunii), etiam quod ad abstinentias et ieiunia in propria regula sive statutis praescripta. Hortandi tamen sunt Superiores Regulares, praesertim Provinciales et Quasi-Provinciales, ut pro viribus abstinere curent ab usu huiusmodi indulti intra claustra ; subditi vero stent iudicio suorum Superiorum. » (A. A. S. 31 mart. 1910, 2, 213).

625. — SS. D. N. PII PP. X

CONSTITUTIO APOSTOLICA 14 SEPT. 1912

De sanctissima eucharistia promiscuo ritu sumenda

(A. A. S. 30 sept. 1912, 4, 609)

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Memoratur antiqua consuetudo promiscuitatis rituum, quam significandā concordia et ipsa necessitas explicabant.

Tradita ab antiquis, haec diu in Ecclesia consuetudo tenuit, ut ad varios, pro diversis locis, mores ritusque sacrorum, modo superstitionis et idololatriae suspicio omnis iis abesset, fideles peregrini nullo negotio sese accommodarent. Quod quidem usu veniebat, pacis et coniunctionis gratia, inter multiplicia unius Ecclesiae Catholicae membra, seu particulares ecclesias, confovendae, secundum illud sancti Leonis IX, « nihil obsunt saluti credentium diversae pro loco et tempore consuetu- « dines, quando una fides, per dilectionem operans bona quae potest, uni « Deo commendat omnes » [1].

Huc accedebat necessitatis causa, cum, qui in exteras regiones advenissent, iis plerumque nec sacrae ibi aedes, nec sacerdotes ritus proprii suppeterent. Id autem cum in ceteris rebus fiebat quae ad divinum cultum pertinent, tum in ministrandis suscipiendisque sacramentis maximeque Sanctissima Eucharistia. Itaque clericis et laicis, qui formatas, quae dicebantur, litteras peregre afferrent, patens erat aditus ad eucharisticum ministerium aut epulum in templis alieni ritus; et Episcopi, presbyteri ac diaconi latini cum graecis hic Romae, graeci cum latinis in Oriente divina concelebrabant mysteria: quod usque adeo evasit sollemne, ut si secus factum esset, res posset argumento esse discissae vel unitatis fidei vel concordiae animorum.

Schismatis crimina adversus latinum ritum causa fuerunt cur latinis communionem in fermentato prohiberent, graecis vero communionem in azymo permitterent.

At vero, postquam magnam Orientis christiani partem a centro catholicae unitatis lamentabile schisma divellerat, consuetudinem tam laudabilem retinere iam diutius non licuit. Cum enim Michaël Caerularius non solum mores caerimoniasque latinorum maledico dente carperet, verum etiam ediceret aperte consecrationem panis azymi illicitam irritamque esse, Romani Pontifices, Apostolici officii memores, latinis quidem, ad avertendum ab iis periculum erroris, interdixerunt, ne in pane fermentato sacramentum conficerent neu sumerent; graecis vero, ad catholicam fidem unitatemque redeuntibus, veniam fecerunt communicandi in azymo apud latinos: id quod pro iis temporibus et locis opportunum sane erat, immo necessarium. Cum enim nec saepe graeci tunc invenirentur episcopi huic beati Petri cathedrae coniuncti, nec ubique adessent catholica orientalium templa, timendum valde erat, ne orientales catholici ad schismaticorum ecclesias ac pastores cum certo fidei periculo accederent, nisi apud latinos communicare ipsis licuisset.

---

[1] Epist. ad Michaëlem Constantinopolitanum Patriarcham.

Restitutam fuisse ex pace Florentina veterem disciplinam demonstratur.

Iamvero felix quaedam rerum commutatio, quae postea visa est fieri, cum in Concilio Florentino pax Ecclesiae graecae cum latina convenit, veterem disciplinam paulisper revocavit. — Nam statuerunt quidem eius Concilii Patres : « in azymo sive fermentato pane triticeo Corpus Christi « veraciter confici, sacerdotesque in alterutro ipsum Domini Corpus « conficere debere, unumquemque scilicet iuxta suae Ecclesiae sive occi- « dentalis sive orientalis consuetudinem » [1], sed hoc decreto voluerunt sane catholicam veritatem de valida utriusque panis consecratione in tuto collocare, minime vero promiscuam communionem interdicere fidelibus ; quibus contra, quin eam confirmandae pacis causa concesserint, non est dubium. Exstat Isidori, metropolitae Kioviensis et totius Russiae, luculentissima epistola, quam, absoluta Florentina Synodo, cuius pars magna fuerat et in qua Dorothei patriarchae Antiocheni personam gesserat, Legatus a Latere in Lithuania, Livonia et universa Russia dedit anno MCCCCXL Budae ad omnes qui sub dicione essent Ecclesiae Constantinopolitanae : qua in epistola, de reconciliata feliciter graecorum cum latinis concordia praefatus, haec habet : « Adiuro vos in D. N. I. C. ne « qua divisio vos inter et latinos amplius subsistat, cum omnes sitis « D. N. I. C. servi, in nomine eius baptizati... Itaque graeci qui in latino- « rum regione degant aut in sua regione habeant latinam ecclesiam, « omnes divinam liturgiam adeant et corpus D. N. I. C. adorent, ac corde « contrito venerentur, non secus ac id in propria ecclesia quisque faceret, « nec non et confitendi gratia latinos sacerdotes adeant, et corpus Domini « Nostri ab iisdem accipiant. Similiter et latini debent ecclesias graeco- « rum adire et divinam liturgiam auscultare, fide firma corpus Iesu Christi « ibidem adorare. Utpote quod sit verum I. C. corpus, sive illud a graeco « sacerdote in fermentato, sive a latino sacerdote in azymo consecratum « fuerit ; utrumque enim aequa veneratione dignum est, sive azymum, « sive fermentatum. Latini quoque confiteantur apud sacerdotes graecos « et divinam communionem ab iisdem accipiant, cum idem sit utrumque. « Ita nempe statuit Conc. Florentinum in publica Sessione die VI iunii « a. MCCCCXXXIX ».

Usus tamen lege severior fuit.

Etsi autem Isidori testimonio evincitur factam esse a Florentina Synodo facultatem fidelibus promiscuo ritu communicandi, tamen facultas huiusmodi subsecutis temporibus nec ubique nec semper fuit in usu ; ideo praesertim quia, cum male sartam unitatem mature Graeci rescidissent, iam non erat, cur Pontifices Romani quod Isidorus a Florentina Synodo indultum refert, curarent observandum. Pluribus nihilominus in locis promiscuae Communionis consuetudo mansit usque ad Benedicti XIV Decessoris aetatem, qui primus Constitutione *Etsi pastoralis* pro Italo-Graecis die XXVI maii anni MDCCXLII graves ob causas vetuit, ne laici latini Communionem a graecis presbyteris sub fermentati specie acciperent ; graecis autem propria paroecia destitutis facultatem reliquit, ut in azymo apud latinos communicarent. Ubi vero, graecis et latinis una simul commorantibus suasque habentibus ecclesias, usus invaluisset Communionis promiscuae, commisit Ordinariis, ut, si huiusmodi consuetudo removeri sine populi offensione animorumve commotione non posset,

Promiscuo deinde communionis usui obstitit Benedictus XIV. Huius disciplina consuetudine communis facta est, aliquantisper decretis S. Sedis temperata.

---

[1] Ex Bulla Eugenii IV « *Laetentur Caeli* ».

omni cum lenitate curam operamque in id impenderent, ut semper latin in azymo communicarent, graeci in fermentato. Quae autem pro Italo Graecis Decessor Noster statuit, eadem ipse postea ad Melchitas quoqu et ad Coptos pertinere iussit: eaque paulatim ad omnes transierun Orientales, consuetudine potius quam legis alicuius praescripto; non ita tamen, ut quandoque Apostolica Sedes idem non indulserit latinis, qua etiam orientales non destituti ecclesia propria, neque ulla urgente neces sitate, ut communicarent in azymo, pluries passa est, immo permisit.

Multiplicatae latinae familiae religiosae in Oriente, occasio fuere mitioris disciplinae pro Orientalibus.

Quod praecipue factum est posteaquam, animarum studio flagrantes nonnullae religiosae Familiae tum virorum tum mulierum ex varii Europae regionibus ad Orientis oras advectae, auxilium catholicis diver sorum rituum, multiplicatis apud ipsos christianae caritatis operibu collegiisque ad institutionem iuventutis ubique apertis, praebuerunt. Cun autem hae Familiae, ob frequentem Eucharistiae usum, quietam et tran quillam inter difficultates et aerumnas vitam agerent, ex orientalibus quod genus valde ad pietatem proclive est, facile ad imitationem su multos excitarunt: qui cum aegre apud suos vel ob distantiam locorun vel ob penuriam sacerdotum et templorum, vel etiam ob diversas rituum rationes huic desiderio possent satisfacere, ab Apostolica Sede instante gratiam postularunt accipiendae Eucharistiae more latinorum. Hisc postulationibus Apostolica Sedes aliquando concessit: atque ephebis qu in latinorum collegiis educarentur, item ceteris fidelibus qui eorun templa celebrarent ac piis consociationibus essent ascripti, permisit salvis quidem iuribus parochorum, potissime quod ad paschalem Com munionem et Viaticum, ut pietatis causa intra annum in templis latinorun eucharistico pane a latinis presbyteris consecrato reficerentur. Quin etian in ipso Concilio Vaticano *Commissio* peculiaris negotiis Rituum Orien talium praeposita hoc inter alia sibi proposuit dubium, an expedire relaxare aliquantulum legum ecclesiasticarum severitatem de non per miscendis ritibus maxime in Communione Eucharistica, veniamqu tribuere fidelibus communicandi utrovis ritu: cumque eius Commissioni Patres annuendum censuissent, decretum confecerunt in eam sententiam quod tamen, abrupto temporum iniquitate Concilio, Patribus universi probandum subicere non licuit. — Post id temporis, S. Congregatio Fide Propagandae pro negotiis Rituum Orientalium, ut solatio consulere eorum qui, ob inopiam ecclesiarum vel sacerdotum proprii ritus, a Com munione saepius abstinere cogebantur, decretum die XVIII augusti ann MDCCCXCIII edidit, quo, ad promovendam Sacramentorum frequentiam omnibus fidelibus ritus sive latini sive orientalis, habitantibus ubi ecclesi aut sacerdos proprii ritus non adsit, facultas in posterum tribuitur com municandi, non modo in articulo mortis et in Paschate ad observandun praeceptum, sed quovis tempore, suadente pietate, iuxta ritum ecclesia loci, dummodo sit catholica.

In Vaticana Commissione legem istam relaxari voluerunt.

S. C. P. F. generali in dulto supplevit absentiae ecclesiae proprii ritus.

Facultatem ampliavit Leo XIII; simul tamen severius quid statuit pro orientalibus alumnis collegiorum latinorum.

Decessor autem Noster, Leo XIII fel. rec. in Constitutione *Orientalium dignitas Ecclesiarum*, eiusdem gratiae participes fecit, quicumque propte longinquitatem ecclesiae suae, nisi gravi cum incommodo, eam adire no possent. Simul vero prohibuit, ne in collegiis latinis in quibus plure alumni orientales numerarentur, latino more hi communicarent; prae cepitque ut accirentur eiusdem ritus sacerdotes qui sacrum facerent e sacratissimam Eucharistiam illis distribuerent, saltem diebus dominici

ceterisque de praecepto occurrentibus festis, quovis sublato privilegio. Sed tamen experiendo est cognitum, non ubique facile inveniri sacerdotes orientales qui, cum alibi occupati sint in ministerio animarum, diebus dominicis et festis, atque adeo ipsis profestis diebus queant collegia adire latinorum, ut pueris puellisque esurientibus panem angelicum ministrent.

Difficultas exsecutionis et decretum Sacra Tridentina *induxerunt vota de mitiore disciplina.*

Quamobrem non raro supplicatum est huic Apostolicae Sedi, ut disciplinam Ecclesiae tanta in re indulgentius temperaret. Quae preces supplices, post editum die XX Decembris MCMV per S. Congregationem Concilii decretum Nostrum *Sacra Tridentina Synodus* de cotidiana Communione Eucharistica, multo frequentiores fuerunt ab orientalibus, qui veniam petebant transeundi ad ritum latinum, quo facilius possent caelesti dape recreari; in iisque non pauci numerabantur pueri ac puellae, qui hoc ipsum beneficium participare percuperent.

Quare S. Pontifex, sublatis omnibus prohibitionibus antiquam libertatem restituit.

Itaque, considerantibus Nobis fidem catholicam de valida consecratione utriusque panis, azymi et fermentati, tutam esse apud omnes; insuper compertum habentibus complures esse, tum latinos tum orientales, quibus illa promiscui ritus interdictio et fastidio et offensioni sit, exquisita sententia sacri Consilii christiano nomini propagando pro negotiis Orientalium Rituum, re mature perpensa, visum est omnia illa antiquare decreta, quae ritum promiscuum in usu Sanctissimae Eucharistiae prohibent vel coangustant; atque omnibus et latinis et orientalibus facultatem facere sive in azymo sive in fermentato apud sacerdotes catholicos, in ecclesiis cuiusvis ritus catholicis, secundum pristinam Ecclesiae consuetudinem, augusto Corporis Domini Sacramento sese reficiendi, ut « omnes et sin« guli qui christiano nomine censentur, in hoc concordiae symbolo iam « tandem aliquando conveniant et concordent » [1].

Quod in pietatis et mutuae caritatis incrementum cessurum esse sperat.

Equidem confidimus, quae hic praescribuntur a Nobis, ea dilectis filiis, quot habemus in Oriente, ex quovis ritu, admodum fore utilia non solum ad inflammandum in iis pietatis ardorem, sed etiam ad mutuam eorum concordiam confirmandam. — Etenim, quod ad pietatem attinet, nemo non videt divinam Eucharistiam, a Patribus Ecclesiae latinis graecisque cotidianum christiani hominis panem solitam appellari, utpote qua sustentetur et alatur tamquam valetudo animae, multo magis frequentandam iis esse quorum caritas vel fides, seu ipsa supernaturalis vitae principia, maiore in discrimine versentur. Quare catholici orientales, quibus est in media multitudine schismaticorum habitandum, non ex periculoso eorum convictu aliquod fidei caritatisque detrimentum capient, si hoc se cibo caelesti roborare consueverint, sed magnum et perpetuum in se vitae spiritualis sentient incrementum. — Quod spectat alterum, patet proclive factu usque adhuc fuisse, ut inter homines unius fidei sed diversorum rituum, ex eo quod alii aliis facilius possent Corporis Christi esse participes, causae aemulationum et discordiarum exsisterent. Nunc autem, cum huius mensae, quae symbolum, radix atque principium est catholicae unitatis, promiscuam esse omnibus fidelibus communicationem volumus, pronum est debere inter ipsos increscere animorum concordiam, « quoniam unus « panis, ait Apostolus, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane « participamus » [2].

---

[1] Conc. Trident. Sess. XIII.
[2] I Corinth. X, 17.

Hinc **decreta.**

Haec Nos igitur de Apostolicae potestatis plenitudine statuimus et sanc-cimus :

1. Proprio ritu litandum est.

I. Sacris promiscuo rituo operari sacerdotibus ne liceat : propterea suae quisque Ecclesiae ritu Sacramentum Corporis Domini conficiant et ministrent.

2. Urgente necessitate, et absente sacerdote diversi ritus, sacerdos diversam speciem, proprio tamen modo ministrare potest.

II. Ubi necessitas urgeat, nec sacerdos diversi ritus adsit, licebit sacerdoti orientali, qui fermentato utitur, ministrare Eucharistiam consecratam in azymo, vicissim latino aut orientali qui utitur azymo, ministrare in fermentato ; at suum quisque ritum ministrandi servabit.

3. Promiscua communio permittitur.

III. Omnibus fidelibus cuiusvis ritus datur facultas, ut, pietatis causa, Sacramentum Eucharisticum quolibet ritu confectum suscipiant.

4. Excepta tamen communione paschali.

IV. Quisque fidelium praecepto Communionis paschalis ita satisfaciet si eam suo ritu accipiat et quidem a parocho suo : cui sane in ceteris obeundis religionis officiis addictus manebit.

5. Viaticum proprio ritu accipiendum est ; in necessitate, ritu sacerdotis vocati.

V. Sanctum Viaticum moribundis ritu proprio de manibus proprii parochi accipiendum est : sed, urgente necessitate, fas esto a sacerdote quolibet illud accipere ; qui tamen ritu suo ministrabit.

6. Communionis diversi ritus consuetudo nec ius nec causam dat mutandi ritum.

VI. Unusquisque in nativo ritu permanebit, etiamsi consuetudinem diu tenuerit communicandi ritu alieno ; neque ulli detur facultas mutandi ritus, nisi cui iustae et legitimae suffragentur causae, de quibus Sacrum Consilium Fidei Propagandae pro negotiis Orientalium iudicabit. In his vero causis numeranda non erit consuetudo quamvis diuturna ritu alieno communicandi.

Amplissimae clausulae derogatoriae.

Quaecumque autem his litteris decernimus, constituimus, declaramus ab omnibus ad quos pertinet inviolabiliter servari volumus et mandamus nec ea notari, in controversiam vocari, infringi posse, ex quavis, licet privilegiata causa, colore et nomine ; sed plenarios et integros effectus suos habere, non obstantibus Apostolicis, etiam in generalibus ac provincialibus conciliis editis constitutionibus, nec non quibusvis, etiam confirmatione Apostolica vel quavis alia firmitate, roboratis statutis, consuetudinibus ac praescriptionibus ; quibus omnibus, perinde ac si de verbo ad verbum hisce litteris inserta essent, ad praemissorum effectum, specialiter et expresse derogamus et derogatum esse volumus, ceterisque in contrarium facientibus quibuslibet. — Volumus autem ut harum litterarum exemplis etiam impressis, manuque Notarii subscriptis et per constitutum in ecclesiastica dignitate virum suo sigillo munitis, eadem habeatur fides quae praesentibus hisce litteris ostensis haberetur.

Dies (14 sept. 1912).

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae millesimo nongentesimo duodecimo, in festo Exaltationis S. Crucis, XVIII Kalendas octobres, Pontificatus Nostri anno decimo.

A. Cardinalis Agliardi
S. R. E. Cancellarius.

Fr. H. M. Cardinalis Gotti
S. C. de Propaganda Fide Praefect

VISA
M. Riggi, C. A. Not.

Annotationes

1. Omnis praesentis Bullae intentio huc vertitur, ut pristinam restituat facilitatem communicandi quolibet ritu, quam

frequentiores commeatus et hortationes ad communionem cotidianam magis optabilem fecerunt. Nihil ceterum de rituum separatione demitur et intacta manent parochialia iura, ita ut sola ambo haec statuantur nova :

Ex sola pietate licet quolibet ritu communicare ; ac proin, ubi ritus ferat, sub specie panis et vini communicare.

Deficiente sacerdote diversi ritus, potest, urgente necessitate, sacerdos latinus fermentatam speciem et graecus azymam ministrare.

2. Sed sua quisque parochus iura servat. Quare communio qua annuo communicandi praecepto satisfit, ac viaticum a proprio parocho per se recipienda sunt.

Et quia sola necessitas excusat, ne quidem assentiente parocho proprio possit christianus, diverso ritu, praecepto communionis paschalis vel viatici satisfacere.

3. Nec longus usus communicandi alieno ritu transitum ad hunc ritum vel efficit vel faciliorem parat.

4. Intacta manet lex qua sacerdos semper, etiam cum diversam speciem eucharisticam porrigit, proprium ritum servare debet.

5. Perspicuae etiam leges quaestiones quasdam excitare solent. Quaeri itaque potest :

a) In locis ubi parochus proprius desit, sed tamen ecclesia adsit proprii ritus, ut v. gr. Romae ecclesiae sunt variorum rituum orientalium, debetne orientalis suo ritu communicare ut praeceptum paschale impleat ?

Resp. Componendae nobis videntur haec constitutio cum C. *Orientalium dignitas*, quae ea tantum parte est suppressa qua promiscuam communionem per se prohibet. Age porro, praesenti Constitutione observatio proprii ritus in praecepto paschali exigitur, C^e^ vero *Orientalium*, modo universali permittitur ut si, iudice Ordinario, distantia ecclesiae proprii ritus grave incommodum pariat, possit alieno ritu communio fieri. Quotiescumque ergo ius parochi praeterea observandum non est (sive quia nullus est, sive quia ipse assentitur), eadem distantia sinet ut diverso ritu praeceptum communionis paschalis impleatur.

b) Sacerdos orientalis celebrans in ecclesia latina rogatur ut pro latinis minores hostias consecret. Quasnam consecrabit ?

Resp. Fermentatas, si ipse in fermentato consecret. Quae si desint, ista consecratione abstinebit, nisi urgeat necessitas in qua, secundum C. *Tradita*, n. II, species aliena ministrari potest.

c) Quaenam necessitas satis urgens dici potest ut sacerdos eucharistiam in alia specie consecratam ex dicta constitutione ministrare permittatur ?

Resp. Cum, in ista dispositione, non agatur de viatico, censemus necessitatem benigne intellegendum esse hoc modo : si secus fidelis communione illa die facienda moraliter impediretur.

6. Praeter magnam facilitatem communicandi, praesens Constitutio alteram hanc notabilem utilitatem habebit ut tollat Institutis latinis difficilem obligationem, a C. *Orientalium* impositam, arcessendi pro alumnis ritus orientalis proprium huius ritus sacerdotem qui ipsis Missam celebret et communionem dispenset. Cum enim missa quolibet ritu audiri posset, sola dispensatio eucharistiae istum interventum postulabat.

7. Observabimus denique mirationem aliquam movere posse quod Bulla ista data dicatur *anno Incarnationis Dominicae*. Etenim, ex C. *Sapienti*, 29 iun. 1908, Parte prima, versus finem sic edicitur : « In posterum vero in omnibus apostolicis litteris, sive a Cancellaria sive a Dataria expediendis, initium anni ducetur, non a die Incarnationis Dominicae, hoc est a die XXV mensis martii. sed calendis ianuarii. » (Cfr. PERIODICA, t. 4, n. **279**, p. 229 et 255.) Potius itaque, omissa mentione *Incarnationis Dominicae*, exspectaris simpliciter haec verba : *Anno Domini.*

---

626. — SS. D. N. PII PP. X

LITT. APOSTOLICAE 16 SEPT. 1912

Augustinianis recollectis seu discalceatis congregationis Hispaniae et Indiarum peculiaria privilegia et facultates conceduntur (A. A. S. 30 sept. 1912, 4, 617)

PIUS PP. X

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Romanorum Pontificum semper propensa voluntas in bene meritas religiosas familias, SS. Dominum movet ut, memoratis ex sancta origine, incrementis et apostolicis laboribus Augustinianorum Recollectorum

Religiosas familias quae tum vetustate, tum sodalium in orbe terrarum frequentia, tum praesertim exantlatis laboribus in augenda Dei gloria aeternaque salute hominibus procuranda, optime de Ecclesia sint meritae, de more institutoque Romanorum Pontificum praecipuis honoribus ac privilegiis propensa voluntate decoramus. Nemo itaque ignorat inter sacros huiusmodi coetus iure recensendos esse Augustinianos Recollectos seu Discalceatos Congregationis Hispaniae et Indiarum, qui ad inclytum Ordinem Eremitarum S. Augustini, splendidissimi Ecclesiae luminis, pertinentes, peculiares suos natales venerabili Thomae a Iesu gloriae vertunt, cuius animus in vita ac Passione SS^mi^ Redemptoris nostri defixus semper fuit, Eumque imitando feliciter expressit. Ex nobili hac origine mirum est quantum praedicta Congregatio brevi processerit ;

nam non modo in Hispaniis, verum etiam in America meridionali, in Iaponia et in longinquis insulis Philippinis, a doctis sanctisque viris, quorum multi martyrium fecerunt, cohonestata, luculentum apostolici studii ubique dedit testimonium. Quod quidem laudis praeconium cum ceteris eiusdem Congregationis provinciis, tum potissimum est illi tribuendum quae, a S. Nicolao Tolentinate nuncupata, in dictis Philippinis insulis pro viribus allaboravit ut Christi nomen longe lateque propagaretur. Haec enim provincia, Deo adiuvante, tamquam sacer exstitit ignis, quo Recollectorum familia iterum alta, in veteribus regionibus, ubi iniuria temporum oppressa fuerat, magna cum spe revixit, atque uberiores religiosi sui ministerii edidit fructus. Consentaneum igitur esse Romani Pontifices, decessores Nostri, existimarunt, hoc Augustinianae Recollectionis institutum singularibus privilegiis indultisque augere, et Nos eodem consilio permoti, vota ac preces dilecti filii Francisci Sádaba a Virgine Carmeli, Procuratoris generalis, qui novas a Nobis gratias pro hac sua Congregatione flagitavit, benigne excipienda censuimus. Quare Augustinianos Recollectos seu Discalceatos e Congregatione Hispaniae et Indiarum peculiari benevolentia complectentes, eorumque incremento ac prosperitati consulere, quantum in Domino possumus, volentes, praesentium tenore, apostolica auctoritate Nostra, perpetuum in modum concedimus ac largimur, ut in posterum supremus eiusdem Congregationis Moderator, qui huc usque Vicarius generalis appellatus fuit, « Prior generalis Ordinis Eremitarum Recollectorum S. Augustini » vocari possit ac debeat. Pari autem auctoritate Nostra concedimus, ut tum huic Priori generali, tum generali memoratae Congregationis Procuratori locus assignetur in Cappella Papali, et respective in functionibus quibus ex pontificia concessione intersunt ceteri generales Ordinum Moderatores. Denique, quo potius benevolentiae Nostrae eidem bene merenti Congregationi exhibeamus documentum, hisce item Litteris potestatem perpetuo facimus, cuius vi praefatus supremus Moderator Augustinianorum Recollectorum eadem facultate polleat, qua ex huius S. Sedis concessionibus utitur dilectus filius Prior generalis pro tempore Ordinis Eremitarum S. Augustini quod ad sodalicia Ss. Ritae a Cassia et Clarae a Cruce de Montefalco, nec non quod ad sacrum Scapulare Deiparae Virginis a Bono Consilio. Decernentes praesentes litteras firmas validas efficaces semper exsistere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et in posterum spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari ; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum esse et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Haec vero impertimus, derogantes de Nostro Motu-Proprio diei VII aprilis anno MCMX quod ad necessitatem per supremam sacram Congregationem S. Officii concessas indulgentias recognoscendi, ac non obstantibus Nostra et Cancellariae apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque Constitutionibus et Sanctionibus apostolicis in contrarium facientibus quibuscumque.

Hispaniae et Indiarum, praecipue provinciae quae a S. Nicolao Tolentinate nominatur, laudibus ac meritis, Institutum istud privilegiis augeat.

Instante itaque Procuratore generali, Moderatori supremo istius Congregationis concedit ut appellatur « Prior generalis Ordinis Eremitarum Recollectorum S. Augustini », eique sicut Procuratori generali, in functionibus Pontificiis locus consuetum Ordinum religiosorum assignat. Communicat etiam Priori generali varia privilegia Ordinis Eremitarum S. Augustini.

Clausulae confirmatoriae et derogatoriae, etiam de Motu Proprio 7 april. 1910.

Datum Romae apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die XVI septembris MCMXII, Pontificatus Nostri anno decimo.

Dies (16 sept. 1912).

R. Card. MERRY DEL VAL,
a Secretis Status.

ANNOTATIONES

I. Pars canonica

1. Propria vis istarum litterarum apostolicarum haec est, ut florentem provinciam Ordinis Eremitarum S. Augustini, quae propriis iam legibus et distincto Superiore utebatur, in novum Ordinem regularem erigant, ita ut, sicut iuxta Carmelitas et Cistercienses antiquioris observantiae exsistunt Carmelitae discalceati et Cistercienses reformati, sic iuxta Eremitas S. Augustini, Augustiniani discalceati distinctum eiusdem magnae familiae Ordinem efficere incipiant.

Quare etiam supremus Instituti Moderator, pro Vicario, Prior Generalis nuncupatur, obtinetque Procuratorem generalem, et, in functionibus pontificiis, cum dicto Procuratore locum qui ceteris Generalibus Antistitibus obtingere consuevit.

2. Praeterea, quae facultates Priori Generali Eremitarum S. Augustini pro sodaliciis S. Ritae a Cassia et Clarae a Cruce de Montefalco, et pro scapulari Deiparae Virginis a Bono Consilio concessae sunt, eaedem a Priori Generali novi Ordinis participantur.

3. Quid autem de reliquis privilegiis, praecipue de Tertio Ordine et Confraternitate Cincturatorum ?

Litteris quidem apostolicis 11 febr. 1602 « Apostolici muneris » CLEMENS VIII haec statuit et concessit : « Ipsi vero futuro Provinciali ac ceteris Superioribus, Fratribus et Conventibus eiusdem Provinciae Sancti Augustini, ut omnibus et singulis privilegiis, gratiis, indultis, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, favoribus, concessionibus et Indulgentiis, quibus aliae Provinciae aut Provinciales, Conventus et Fratres dicti Ordinis Eremitarum Sancti Augustini, et praesertim quibus dicta Provincia Castellae, eiusque Provincialis, atque conventus et Fratres uti, frui, potiri et gaudere solent, et possunt ac poterunt quomodo libet in futurum (salva Regulari eorumdem Fratrum Recollectorum Discalceatorum observantia), uti, frui, potiri et gaudere possint et valeant, concedimus et indulgemus ».

Verum quod concessum est Provinciae cuipiam Ordinis, num servatur quando Provincia ista in distinctum Ordinem erigitur ? Id non statim apparet. Neque eo quod Provincialis istius provinciae privilegiis Provincialium Eremitarum S. Augustini uti sinatur, iam ipse novus Discalceatorum Generalis se existimare potest aequiperatum Generali Eremitarum Calceatorum. Contra, ipse S. Pontifex dum litteris *Religiosas Familias* quaedam isti Generali largitur quae ad Generalem Eremitarum Calceatorum pertinent, nonne reliqua tacite excludere videtur ?

Quare, si ex solo isto indulto argumentandum foret, negativas partes amplectendas esse diceremus, verum aliunde novimus authenticam accessisse declarationem qua generalis privilegiorum communicatio, praecipue quod ad Tertium Ordinem et sodalicia Cincturatorum, extra dubium posita est.

Quandoquidem autem nobis datum est novum Ordinem religiosum bene ominari, libenter hic subicimus historicas notas, quales amica manu nobis traditae sunt. Itaque :

II. Pars historica

Inclyti Ordinis Eremitarum S. Augustini decus et ornamentum procul dubio exstitit et exstat Congregatio, sic dicta, Recollectorum seu Discalceatorum Hispaniae et Indiarum. Auspicata enim ac veluti adumbrata ab illo sublimi et eximio Christi patientis contemplatore, necnon imitatore strenuo, quippe qui et ipse pro fratribus animam suam ponere non dubitarit heroico caritatis exemplo, nempe Ven. Thoma a Iesu, praefati Ordinis fulgentissimo sidere, cuius laus toti mundo patet in aureo quem scripsit libro « De aerumnis seu laboribus Redemptoris nostri » ; ac paulo post, anno videlicet millesimo quingentesimo octogesimo octavo in Regnis Castellae, ab Augustinianis quos Observantes vocabant, feliciter instaurata, mirum est quos progressus brevi fecerit, quamque optime de Ecclesia semper meruerit, dum eam ubicumque sacrum Apostolatum exercere illi contigerit, et praecipue in Hispania, America Meridionali, Iaponia et insulis Philippinis, doctorum virorum scientia illustravit, sanctorum Religiosorum exemplis aedificavit, et proprio sanguine purpuravit.

Quae quidem omnia intime noscentes Romani Pontifices, memoratam religiosam familiam singulari quadam praedilectione continuo prosecuti sunt, quemadmodum ipsorum diplomata et Acta luculentissime testantur. Atque in primis s. m. Clemens VIII per Breve *Decet Romanum Pontificem*... d. d. 22 octobr. 1598, benigne confirmavit Recollectionis Augustinianae Institutum, quod iam tunc florebat in quattuor Monasteriis Provinciae de Observantia Castellae, nempe Talabricensi, a Portillo, a Nava et Matritensi. Deinde idem Summus Pontifex, per Breve *Dilecte fili*... *Cum sicut dilectus*... d. d. 24 martii an. 1601, praedicta quattuor Monasteria, quae adhuc sub dicione Provincialis Observantium seu Calceatorum Provinciae Castellae remanebant, unius ex Definitoribus eiusdem Provinciae, qui et ipse Recollectus seu Discalceatus esse debebat, auctoritati immediate iubiecit. Ac denique per Breve *Apostolici muneris*... d. d. 11 februarii

an. 1602, praelaudatus SS. Pontifex Clemens VIII Recollectionem erexit in Provinciam a Sancto Augustino nuncupatam, cum facultate eligendi sibi Provincialem proprium, a Provincia de Observantia omnino independentem, et immediate R^mo P. Priori Generali Ordinis subiectum.

Procedente vero tempore, Recollectorum Institutum ita, Deo benedicente, amplificatum est, ut brevi viginti annorum lapsu, in Congregationem quattuor Provincias continentem sub auctoritate Superioris Generalis, Vicarii Generalis nuncupati et ab ipsa Congregatione electi, idem erigere opus fuerit, prout revera factum est Auctoritate Apostolica a s. m. Gregorio XV concessa per Litteras *Militantis Ecclesiae...* d. d. 5 iunii 1621 : quae quidem erectio, necnon primi Vicarii Generalis Recollectorum electio in persona P. Hieronymi de Resurrectione facta, ab eodem Gregorio XV confirmata fuit per Litteras Apostolicas *Ad Sacram Beati Petri Sedem...*, in forma Brevis datas die 31 augusti an. 1622 ; ubi etiam nominantur quattuor Provinciae canonice erectae, videlicet : S. Augustini in Regnis Castellae Novae et Veteris ; Beatae Mariae del Pilar in Regnis Aragoniae et Cathaloniae ; Beati Thomae de Villanova in Regnis Valentiae et Baeticae ; ac S. Nicolai de Tolentino in Indiis Philippinis. Quibus quattuor Provinciis alia postea adiuncta fuit, nempe Beatae Mariae Virginis de Caudelaria seu Terrae-firmae, in Regno Neo-Granatensi, cum illius Conventus Sanctae Mariae de Caudelaria, Sanctae Crucis de la Popa et Sancti Iosephi de Panamá, qui sub cura et gubernio Patrum Observantium seu Calceatorum erant, aggregati fuissent Congregationi Discalceatorum Hispaniae et Indiarum per Breve fel. rec. Urbani VIII *Universalis Ecclesiae...* d. d. 16 Iulii anni 1629.

Sic igitur praefata Congregatio constituta, difficile admodum esset vel insinuare quantum in excolenda vinea Domini profecerit, quae territoria luce veritatis evangelicae lustraverit, quot Martyres caelo dederit, viros praestantissimos virtute ac scientia aluerit, labores perpessa sit, trophaea Catholicae religioni comparavit; cum res comperta et publicis monumentis comprobata sit vel unam tantum Provinciam, nempe S. Nicolai Tolentinatis Insularum Philippinarum, magnum sibi et universae Recollectorum Congregationi comparasse nomen inter religiosas Familias quae in regione ab Extremo Oriente nuncupata regno Dei dilatando magis allaborarunt ; vel impraesentiarum adhuc sacro ministerio inibi ardentiore zelo incumbunt.

Nec minus in laudem dictae Provincia cedit, quod vel ipsa Congregationis subsistentia, multoque magis prosperitatis status quem haec praesentissimo Dei beneficio, utpote contra omnem humanam spem, post tot adversos rerum

eventus, hisce temporibus adepta est, iure ac merito illi referantur accepta. Siquidem exstinctis anno millesimo octingentesimo trigesimo quinto (infaustae recordationis pro Religione in Hispania) Provinciis quondam efflorentibus Castellae, Aragoniae et Baeticae, ac fere penitus eversa Provincia de Caudelaria in Columbia, sola remansit Provinca S. Nicolai insularum Philippinarum, cui certe Augustiniana Recollectio debitrix est non solum restaurationis Beatae Mariae Virginis de Candelaria, ad effectum perductae anno millesimo octingentesimo octavo, verum etiam restitutionis Provinciae S. Thomae a Villanova seu Baeticae ; eo sane successu ut Congregatio potuerit sua Capitula Generalia, septuaginta novem annorum spatio interrupta, denuo anno 1908 celebrare, magnaque spes affulgeat duas alias Provincias, Castellae nempe et Aragoniae, in illarum primaevum statum quam primum restituendi.

Nihil mirum igitur quod SS^mus D. N. Pius PP. X, vestigiis suorum Praedecessorum insistens, Augustinianos Recollectos, Discalceatos seu Reformatos (quibus nominibus in Pontificiis Diplomatibus indiscriminatim vocantur, licet in Hispania usitatiore vocabulo Recollecti appellentur) novis gratiis ac privilegiis decorandos censuerit. Quod evidentissime patet ex Brevi nuper a S. Sede emanato, quod hic supra descriptum est.

---

627. — SS. D. N. PII PP. X

EPISTOLA ENCYCL. 24 SEPT. ET LITTERAE 14 NOV. 1912

De consociationibus opificum catholicis et mixtis

A. *Epistola enc. 24 sept. 1912.* (A. A. S. 15 nov. 1912, 4, 657)

PIUS PP. X

DILECTE FILI NOSTER ET VENERABILES FRATRES SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Singulari quadam caritate benevolentiae erga Germaniae catholicos, qui, huic apostolicae Sedi summa fide atque obsequio devincti, generose ac fortiter contendere pro Ecclesia consueverunt, impulsi sumus, venerabiles fratres, omne studium curamque convertere ad eam excutiendam controversiam, quae inter eos est, de consociationibus opificum : de qua quidem controversia iam pluries Nos proximis annis cum plerique

Benevolus in catholicos Germaniae vult S. Pontifex controversiam dirimere, eo magis quod

[1] Ad V. E. GEORGIUM KOPP, S. R. E. Presbyterum Cardinalem, Episcopum Vratislaviensem, ceterosque Archiepiscopos et Episcopos Germaniae de consociationibus opificum catholicis et mixtis.

cavenda sit religio interconfessionalis, fovenda concordia, atque etiam cum acatholicis pax bono communi necessaria.

vestrum tum prudentes et graves viri utriusque partis edocuerant. Atque eo studiosius incubuimus ad rem, quia pro apostolici officii conscientia intellegimus sacrosanctum Nostrum esse munus eniti et efficere, ut doctrinam catholicam hi Nobis dilecti filii sinceram et integram servent, nec ullo pacto sinere, ut ipsa eorum Fides periclitetur. Nisi enim mature excitentur ad vigilandum, patet periculum iis esse, ne paulatim et quasi imprudenter in vago quodam nec definito genere christianae religionis acquiescant, quae *interconfessionalis* dici solet, et cum inani communitatis christianae commendatione diffunditur, cum tamen manifesto nihil ea sit praedicationi Iesu Christi magis contrarium. Accedit quod, cum maxime Nobis in optatis sit catholicorum fovere et firmare concordiam, amoveri quaslibet volumus causas dissensionum quae, bonorum vires distrahendo, non possunt, nisi adversariis Religionis, prodesse : quin etiam cupimus optamusque, ut cum ipsis civibus a professione catholica alienis nostri eam pacem colant, sine qua nec disciplina societatis humanae nec prosperitas civitatis queat consistere. — Quamvis autem, ut diximus, statum huius causae haberemus cognitum, tamen placuit, antequam eam diiudicaremus, uniuscuiusque vestrum, venerabiles fratres, exquirere sententiam : vosque rogantibus Nobis ea quidem diligentia ac sollicitudine singuli respondistis quae gravitati quaestionis erat consentanea.

Causae non ignarus, voluit tamen sententias episcoporum habere.

Catholici, in omni vita sua, christianae veritatis principia fortiter profiteri debent, et, sicut inculcatur in Enc. Rerum Novarum, *omnia ad summum bonum dirigere.*

Itaque primo loco edicimus catholicorum omnium officium esse et quidem in consuetudine vitae tum privata tum communi et publica sancte inviolateque servandum, tenere firmiter profiterique non timide christianae veritatis principia, Ecclesiae catholicae magisterio tradita, ea praesertim quae Decessor Noster sapientissime in Encyclicis Litteris *Rerum novarum* exposuit : quaeque maxime et episcopos Borussiae, qui anno MCM Fuldam convenerant, in suis consultis secutos esse scimus, et vosmet ipsos rescribentes Nobis quid de hac quaestione sentiretis, summatim complexos esse videmus.

Omnes actiones qua morales sunt subsunt iudicio et iurisdictioni Ecclesiae.

Videlicet, quidquid homo christianus agat, etiam in ordine rerum terrenarum, non ei licere bona neglegere quae sunt supra naturam, immo oportere, ad summum bonum, tamquam ad ultimum finem, ex christianae sapientiae praescriptis, omnia dirigat : omnes autem actiones eius, quatenus bonae aut malae sunt in genere morum, id est cum iure naturali et divino congruunt aut discrepant, iudicio et iurisdictioni Ecclesiae subesse. — Quicumque vel singuli vel consociati christiano glorientur nomine, non eos debere, si officii sui meminerint, inimicitias simultatesque alere inter ordines civium, sed pacem caritatemque mutuam. — Causam socialem controversiasque ei causae subiectas de ratione spatioque operae, de modo salarii, de voluntaria cessatione opificum, non mere oeconomicae esse naturae, propterea quae eiusmodi, quae componi, posthabita Ecclesiae auctoritate, possint, « cum contra verissimum sit eam (quaestionem « socialem) moralem in primis et religiosam esse, ob eamque rem ex lege « morum potissimum et religionis iudicio dirimendam » [1].

Pax mutua fovenda est, non discordia.

Causa socialis religiosa et moralis est potissimum.

Maxime probandae sunt catholicae opera-

Iam, quod ad societates operariorum attinet, quamquam iis propositum est commoda huius vitae comparare sociis, tamen maxime probandae aptissimaeque omnium ad veram solidamque sociorum utilitatem illae sunt

[1] Epist. Encycl. *Graves de communi.*

habendae, quae praecipue religionis catholicae fundamento constitutae sunt et Ecclesiam aperte sequuntur ducem : id quod pluries Nosmet ipsi, ut ex diversis gentibus occasio oblata est, declaravimus. Ex quo illud consequitur, ut consociationes huiusmodi, confessionis, ut aiunt, catholicae, in regionibus catholicorum certe ac praeterea in aliis omnibus, ubicumque per eas variis sociorum necessitatibus consuli posse videatur, institui atque omni ope adiuvari oporteat. Neque vero, — si de iis consociationibus agitur, quae causam religionis et morum directe aut oblique contingant — res foret quae probari ullo modo posset, in iis ipsis regionibus quas modo memoravimus, fovere et propagare velle consociationes mixtas, id est, quae ex catholicis et acatholicis conflentur. Etenim, ut alia omittamus, in magnis sane periculis ob societates huius generis versantur aut certe versari possunt nostrorum et integritas Fidei et iusta obtemperatio legibus praeceptisque Ecclesiae catholicae : quorum quidem periculorum etiam in pluribus e vestris de hac quaestione responsis, venerabiles fratres, apertam significationem legimus.

riorum societates. Quare, ubi per eas fines utiles obtineri possint, non sunt fovendae mixtae.

Nos igitur mere catholicas, quotquot sunt in Germania, consociationes opificum perlibenter omni ornamus laude, cupimusque bene evenire quidquid nituntur in commodum multitudinis operariae, laetioraque semper iis optamus incrementa. Verumtatem, hoc cum dicimus, non negamus fas esse catholicis — ut meliorem opifici fortunam, aequiorem mercedis et laboris condicionem quaerant, aut alia quavis honestae utilitatis causa communiter cum acatholicis, cautione adhibita, laborare pro communi bono. Sed eius rei gratia, malumus catholicas societates et acatholicas iungi inter se foedere per illud opportunum inventum, quod *Cartel* dicitur.

Dum laudat catholicas Germaniae societates, Pontifex non negat fas esse, communae utilitatis causa, cum acatholicis caute laborare. Praestat tunc facere « cartel ».

Hic autem, venerabiles fratres, non pauci a Nobis petitis, ut Syndicatus christianos qui appellantur, uti hodie in vestris dioecesibus constituti sunt, per Nos vobis tolerare liceat, propterea quod et numerum opificum longe maiorem quam consociationes mere catholicae, complectuntur, et magna, si id non liceret, essent incommoda secutura. Cui Nos petitioni, respicientes peculiarem rei catholicae rationem in Germania, putamus concedendum, declaramusque tolerari posse, et permitti catholicis, ut eas quoque societates mixtas, quae in vestris sunt dioecesibus, participent, quod ad ex novis rerum adiunctis non desinat huiusmodi tolerantia aut opportuna esse aut iusta ; ita tamen, si cautiones adhibeantur idoneae ad declinanda pericula, quae in eius generis consociationibus inesse diximus. Quarum cautionum haec praecipua sunt capita. — Primum omnium, curandum est, ut qui opifices catholici horum Syndicatuum participes sunt, iidem catholicis operariorum societatibus, quae *Arbeitervereine* appellatione notantur, sint ascripti. Quod si ob hanc causam debeant alicuius rei, praecipue pecuniae, iacturam facere, pro certo habemus, eos, ut sunt incolumitatis fidei suae studiosi, non invite facturos. Etenim feliciter usu venit, ut hae consociationes catholicae, annitente clero cuius ductu vigiliaque gubernantur, plurimum valeant ad sinceritatem fidei, ad integritatem morum tuendam in sociis, atque ad alendos eorum religiosos spiritus multiplici exercitatione pietatis. Quare qui consociationibus hisce moderantur, non est dubium, quin, gnari temporum, velint, praesertim de iustitiae et caritatis officiis, ea praecepta et praescripta tradere operariis, quae his necessarium aut utile sit probe novisse, ut in Syndicatibus recte possint et secundum doctrinae catholicae principia versari.

Non paucorum episcoporum votis annuit tolerando et permittendo christianos seu mixtos syndicatus, donec causa subsistat, et cautiones adhibeantur :

a) Opifices catholici simul sint catholicae operariorum societati Arbeiterverein *ascripti. Huius consociationis utilitas affertur.*

b) Syndicatus abstineant omni ratione vel re quae Ecclesiae repugnet. Hinc necessaria episcoporum vigilantia.

Praeterea, Syndicatus iidem — ut sint tales, quibus catholici dare nomen possint — necesse est ab omni se contineant vel ratione vel re quae cum doctrinis mandatisque Ecclesiae legitimaeve potestatis sacrae non conveniat : itemque ne quid minus probandum ex hoc capite aut scripta aut dicta aut facta eorum praebeant. Quare Sacrorum Antistites officii ducant sanctissimi, observare sedulo, quem ad modum hae societates se gerant, et vigilare, ne catholici homines ex earum communione aliquid detrimenti capiant. Ipsi autem catholici Syndicatibus ascripti ne umquam siverint, ut Syndicatus, etiam qua tales, in curandis terrenis sociorum rebus ea profiteantur aut faciant, quae quocumque modo contraria sint praeceptis, supremo Ecclesiae magisterio traditis, iisque praesertim, quae supra revocavimus. Et hanc ob causam quotiens de rebus attingentibus mores, id est de iustitia aut caritate, quaestiones exsistent, attentissime vigilabunt episcopi, ne fideles catholicam morum disciplinam neglegant, neve ab ea transversum unguem discedant.

Optatum Pontificis. Bonis praecipit ut omni disputatione inter se iam abstineant. Dubia deferent episcopis qui recurrent ad S. Sedem.

Equidem certum habemus, venerabiles fratres, fore ut quae hic a Nobis praescripta sunt, ea vos religiose inviolateque servanda curetis, Nosque diligenter et assidue de re tanti momenti certiores faciatis. Quoniam vero hanc Nobis assumpsimus causam, eiusque iudicium, consultis episcopis, Nostrum debet esse, praecipimus bonis quotcumque numerantur in catholicis, ut eadem de re iam nunc omni inter se disputatione abstineant ; qui quidem, iuvat confidere futurum, ut, fraternae servientes caritati, pleneque obsequentes auctoritati Nostrae suorumque Pastorum, integre et ex animo efficiant quae iubemus. Quod si qua inter eos rerum difficultas oriatur, quo modo dissolvenda ea sit, habent in promptu : adeant episcopos suos consultum, hique rem ad apostolicam hanc Sedem deferent, a qua diiudicabitur. Quod reliquum est — et ex iis quae diximus, facile colligitur — quemadmodum ex una parte nemini fas esset accusare de suspecta Fide eoque impugnare nomine qui, constantes in defendendis doctrinis iuribusque Ecclesiae, tamen recto consilio volunt de Syndicatibus mixtis esse, et sunt, ubi pro locorum rationibus potestati sacrae visum est Syndicatus huiusmodi, certis adhibitis cautionibus, esse permittere : item, altera ex parte valde improbandum foret inimice insectari consociationes mere catholicas, — quod genus contra omni est ope adiuvandum ac provehendum, — atque adhiberi velle et quasi imponere *interconfessionale*, quod aiunt, genus, idque per speciem quoque exigendi ad unam eamdemque formam omnes, quotquot sunt in singulis dioecesibus, catholicorum societates.

Nec suspicio minus rectae fidei ingerenda est, nec etiam hostili animo syndicatus catholici tractandi sunt.

Vota Pontificis et benedictio.

Interea, dum pro Germania catholica, ut magnos habeat in re et religiosa et civili progressus, vota facimus, ea ut feliciter eveniant, singularem Dei omnipotentis opem et Virginis Matris Dei, quae ipsa regina pacis est, patrocinium genti dilectae imploramus : atque auspicem divinorum munerum et eandem praecipue benevolentiae Nostrae testem, apostolicam benedictionem vobis, dilecte fili Noster et venerabiles fratres, vestroque clero et populo amantissime impertimus.

Die (24 sept. 1912).

Datum Romae apud S. Petrum die XXIV mensis septembris MCMXII, Pontificatus Nostri anno decimo.

B. *Litterae 14 nov. 1912.* (A. A. S. 2 dec. 1912, 4, 693.)

N. B. *Receptis encyclicis litteris, episcopi Germaniae, Fuldae congregati, litteras miserunt ad S. Pontificem, quas gratas fuisse praesens epistola ad Gregorium, Card. Kopp, testatur.*

Dilecte fili Noster, salutem et apostolicam benedictionem. — Ex litteris, quas tu ceterique Germaniae episcopi ad Nos scripsistis antequam Fulda discederetis, praeter communis pietatis significationem, placuit etiam perspicue conicere qua mente quoque animo acceperitis nuperrimam eamque ad vos ipsos datam epistolam encyclicam de opificum consociationibus. Religiose apud vos fovetote hanc, quam litterae vestrae declarant paratissimam in obsequium voluntatem; et hoc in animos inducite vestros, nihil Deo gratius ac Nobis, Ecclesiae nihil utilius concordi episcoporum in sentiendo agendoque sollertia, quam par erga apostolicam hanc Sedem observantia firmaverit, adiuverit. — Constantiniana sollemnia, ad quae mens provolat vestra, valde velimus Catholicorum omnium in Ecclesiae libertatem ita studia excitent, ut in spem adducant cogitationemque meliorem.

Contentus pietatis significationis SS. laudat et commendat concordem episcoporum actionem et observantiam erga S. Sedem.

Votum de Constantinianis sollemniis.

Auspicem caelestium gratiarum Nostraeque testem benevolentiae, apostolicam benedictionem tibi, dilecte fili Noster, episcopis, ac gregibus cuique creditis, peramanter in Domino impertimus.

Benedictio apostolica.

Datum Romae apud S. Petrum, die XIV novembris MCMXII, Pontificatus Nostri anno decimo.

Dies (14 nov. 1912).

PIUS PP. X.

Annotationes

1. Litterae encyclicae quas modo exscripsimus, quamvis exspectatae et post maturam deliberationem missae essent, non parum commoverunt animos, socialistarum praesertim atque etiam liberalium. Inter ipsos catholicos operarios quaedam dubietates seu difficultates subortae sunt. Quocirca extraordinarius coetus syndicatuum christianorum in Essena urbe die 26 nov. 1912 habitus est, ubi de quibusdam encyclicarum litterarum punctis a quodam Stegerwald, Coloniensi cive, proposita est interpretatio de qua prius litteris inter Germaniae episcopos convenisse videtur, ita ut orator declaraverit sibi ab Em° Card. Kopp, et Ill° episcopo Paderbornensi, D^re^ Schulte, potestatem factam esse ut congregatis operariis nuntiaret interpretationem istam menti episcoporum, dum Fuldae congregati erant, consentaneam esse.

Cum itaque S. Pontifex litteras Fuldenses acceptas habuerit, operae pretium videtur ut etiam interpretationem istam litteris subiciamus.

2. Sic itaque sonat :

1. In dem Satze [1]: « Die soziale Frage und die mit ihr verknüpften Streitfragen über Charakter und Dauer der Arbeit, über die Lohnzahlung, über den Arbeiterstreik sind nicht rein wirtschaftlicher Natur und somit nicht zu denen zu zählen, die mit Hintansetzung der kirchlichen Obrigkeit beigelegt werden können », ist letztere Wendung nicht so zu verstehen, als ob die kirchliche Obrigkeit beanspruche, mit der praktischen Erledigung solcher Fragen in den einzelnen Fällen irgendwie befasst zu werden. (Hört ! Hört !) Die Wendung besagt vielmehr, dass die Kirche das Recht und die Pflicht habe, zu derartigen Streitfragen in soweit sie das Sittengesetz berühren, auch ihrerseits Stellung zu nehmen, und durch Hinweis auf die richtigen Grundsätze die in Betracht kommenden Gläubigen vor sittlich-religiösem Schaden zu bewahren.

2. Der Satz : « Hieraus folgt, dass derartige sogenannte konfessionell-katholische Vereinigungen sicherlich in katholischen Gegenden, und ausserdem in allen anderen Gegenden, wo anzunehmen ist, dass durch sie den verschiedenen Bedürfnissen der Mitglieder genügend Hilfe gebracht werden kann, gegrundet und auf jede Weise unterstützt werden müssen », besteht überall dort als eine Vorschrift des apostolischen Stuhles zu recht, wo nicht die für Deutschland bezüglich der christlichen Gewerkschaften gemäss den Wünschen der Bischöfe vorgesehene Ausnahmestellung zutrifft. (Vergl. Absatz : « In dieser Hinsicht nun... ») Eine Austeilung der deutschen Diözesen, deren Bischöfe für ihr ganzes Diözesangebiet um Zulassung der christlichen Gewerkschaften gebeten haben, in solche Gebiete, wo das Feld der Berliner Richtung sein solle, und in andere Gebiete, wo die christlichen Gewerkschaften existieren dürfen, ist in der Enzyklika durchaus nicht angeordnet worden. (Hört ! Hört !) Eine solche Austeilung des Diözesangebietes brächte, was der Heilige Vater gerade verhüten will, erst recht Wirrwarr und Unfrieden. (Sehr richtig !)

3. Die Mahnung des Heiligen Vaters an die Bischöfe, « sorgfältig das Verhalten dieser Vereinigungen zu beobachten und daruber zu wachen,

---

[1] 1. Quae sic latine reddimus : « In sententia : Causam socialem controversiasque » ei causae subiectas de ratione spatioque operae, de modo salarii, de voluntaria » cessatione opificum, non mere oeconomicae esse naturae, proptereaque eiusmodi » quae componi, posthabita Ecclesiae auctoritate, possint », postrema verba non sic sumenda sunt quasi auctoritas ecclesiastica sibi vindicet provinciam aliquo modo quaestiones ista in particularibus casibus practice solvendi. Huc potius spectant verba ista ut Ecclesiae ius et officium asserant pronuntiandi etiam, ex sua parte, in huiusmodi controversiis *quatenus legem moralem attingant*, et indicandi recta principia ut fideles quorum interest a damnis moralibus-religiosis praeserventur.

2. Sententia « Ex quo illud consequitur ut consociationes huiusmodi, confessionis, » ut aiunt, catholicae, in regionibus catholicorum certe ac praeterea in aliis omnibus, » ubicumque per eas variis sociorum necessitatibus consuli posse videatur, institui » atque omni ope adiuvari oporteat », lege S. Sedis praecipitur ubicumque exceptio non occurrit quae in Germania, quod ad christianos syndicatus, secundum vota episcoporum praevisa est. (Cfr. sententiam : Cui nos petitioni respicientes.) Quod dioeceses Germaniae, quarum episcopi pro omni suo territorio dioecesano petierunt ut syndicatus christiani admitterentur, dividendae sint in regiones ubi secundum Berolinensem directionem [1] agendum esset et alias ubi christiani syndicatus exsisterent, nullo pacto est encyclicis litteris constitutum. Huiusmodi divisio territoriorum dioecesanorum introduceret confusionem et querelas quas Beatissimus Pater praecipue amputare vult.

3. Verba quibus Beatissimus Pater episcopos monet, ut « officii ducant sanctissimi

[1] Berolinensi directione conduntur syndicatus qui mere catholicis constant.

dass den Katholiken aus der Anteilnahme an ihnen kein Schaden erwächst », erklärt sich in ihrem letzten Teil von selbst und in ihrem ersten Teil aus dem vorhergehenden Satze, an den sie mit dem Worte « Darum » angeschlossen ist. Es wird niemand den Bischöfen das Recht bestreiten können, sich zu orientieren, ob irgendwelche Organisationen, also auch ob die hier in Rede stehenden christlichen Gewerkschaften grundsätzlich oder tatsächlich zur Kirche oder kirchlichen Lehre in Gegensatz treten. Die Beobachtungspflicht der Bischöfe bezieht sich nicht auf die wirtschaftliche Tätigkeit der christlichen Gewerkschaften, sondern darauf, ob den katholischen Arbeitern aus Mitgliedschaft kein sittlich-religiöser Schaden erwächst.

4. Bei dem Satze : « Sollte unter ihnen noch irgendeine Schwierigkeit entstehen, so ist zu deren Lösung der gewiesene Weg folgender : sie sollen sich an ihre Bischöfe um Rat wenden, und diese werden die Sache an den Apostolischen Stuhl berichten, von welchem sie entschieden wird », ist nicht gemeint, dasz gewerkschaftliche Schwierigkeiten von den Bischöfen dem Hl. Vater zur Entscheidung vorgelegt werden sollen. Es handelt sich vielmehr, wie aus dem Vorhergehenden sich ergibt, lediglich um eine päpstliche Mahnung an die deutschen Katholiken, fortan bei etwaigen Meinungsverschiedenheiten auf dem rechten Instanzenwege zu bleiben und die Bekämpfung untereinander einzustellen. Es ist fraglos das Recht der Katholiken, in ihren Gewissensangelegenheiten den Rat bezw. die Entscheidung ihrer kirchlichen Oberen einzuholen.

5. Die Wendung im vorletzten Abschnitte der Enzyklika : « wo in Anbetracht der Ortsverhältnisse die kirchliche Obrigkeit es für gut befunden hat, solche Gewerkschaften unter gewissen Vorsichtsmassregeln zuzulassen », bedeutet keine Einschränkung gegenüber der generellen Fassung, in der im Abschnitt « In dieser Hinsicht » die Zulässigkeit der christlichen Gewerkschaften für die deutschen Diözesen erklärt worden ist. »

» observare sedulo quem ad modum hae societates se gerant, et vigilare ne catholici » homines ex earum communione aliquid detrimenti capiant », sunt, si posteriora consideres, per se perspicua, si vero priora, ex superiore sententia cui per verbulum « Quare » coniunguntur, declarantur. Nemo ab episcopis ius abiudicare poterit certiores se reddendi num quaelibet institutio, itaque etiam christiani syndicatus de quibus sermo fit, ex principiis suis vel factis Ecclesiae aut ecclesiasticis documentis contradicant. Officium vigilantiae episcoporum oeconomicam christianorum syndicatuum actionem non respicit, sed huc pertinet ut videant num morale-religiosum quodpiam detrimentum catholici operarii ex consociatione accipiant.

4. Sententiae : « Quod si qua inter eos difficultas oriatur, quomodo dissolvenda ea » sit habent in promptu : adeant episcopos suos consultum, hique rem ad apostolicam » hanc Sedem deferent, a qua diiudicabitur », non haec est intentio ut syndicales difficultates ab episcopis SSo Patri qui decernat, proponendae sint. Sed, sicut ex superioribus verbis colligitur, mere hic habetur pontificium monitum catholicis Germaniae datum, ut in posterum, si quae diversitates oriantur, in recto instantiarum tramite se contineant, et mutuas impugnationes aboleant. Indubium sane ius est catholicorum ut in rebus conscientiae consilia vel decisionem Superiorum ecclesiasticorum sibi procurent.

5. Sententia penultimae sectionis encyclicarum litterarum : « Ubi pro locorum » rationibus potestati sacrae visum est syndicatus huiusmodi, certis adhibitis cautio- » nibus, esse permittere », nullo modo generaliora verba circumscribit quibus in sectione « cui nos petitioni, respicientes » declaratum est ut in Germaniae dioecesibus christiani syndicatus admitterentur.

628. — S. C. PRO NEGOTIIS ECCLESIASTICIS EXTRAORDINARIS

DECLARATIO 12 OCT. 1912

De pensionibus in Lusitania e publico aerario clero assignatis (A. A. S. 15 oct. 1912, 4, 645)

Dies (12 oct. 1912).

Ex audientia SS^mi die 12 octobris 1912.

Occasio sententiae.

Cum quaestio sanctae Sedi proposita sit de pensionibus in Lusitan e publico aerario vi iniquae legis *de Separatione* clero assignatis, beatiss mus Pater, exquisita prius sententia peculiaris coetus Patrum Cardinaliu e S. Congregatione pro Negotiis Ecclesiasticis extraordinariis, referen me infrascripto eiusdem S. Congregationis Pro-Secretario, declarandu

Declaratio de lege 24 maii 1911, de decreto 10 iul. 1912.

esse iussit : praedictam legem, iam Litteris encyclicis « Iamdudum » di XXIV maii anni proxime elapsi sollemniter damnatam, ab omnibus ess reiciendam ; item improbandum esse recens Reipublicae decretum diei iulii huius anni, quod episcoporum auctoritatem laedit, curionesque, q

Quare laudantur qui pensiones recusarint ; qui eas acceperint scandalum, ex arbitrio episcopi reparandum habent.

pensiones accipiant, in sacro ipso munere perfungendo ab oboedient erga legitimos praepositos suos avertere ac iurisdictioni civilis potestat iniuste subicere nititur ; sacri ordinis viros, qui iisdem pensionibus Gubernio oblatis mira constantia magnoque animo renuntiarunt, summ laudibus decorandos ; eorum vero qui, egestate forte impulsi, ad qua iniqua lege misere redacti sunt, ad vitam sustentandam illas acceperin cum hoc tamen apud fideles Lusitanos, ob singulares temporis, loci personarum condiciones, multum habeat offensionis, officium esse scandalum emoveant, qua de re stent mandatis episcopi.

Mandatum SS^i.

Et ita Sanctitas Sua publicari et servari mandavit, contrariis quibuslib minime obfuturis.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem sacrae Congregationis, die, men et anno praedictis.

Eugenius Pacelli. Pro-Secretarius.

Annotatio

Observes prudentem conclusionem. Summus Pontifex, du maxime laudat sacerdotes qui oblatas pensiones recusarin alios non absolute damnat, sed excusationem egestatis all gat, minus intrinsece quam extrinsece, ob adiuncta, eoru rationem agendi improbat, nec praecipit definite ut pensione recusent, sed ut mandatis episcopi sui stent.

629. — S. CONGR. RITUUM

RESPONSUM 25 OCT. 1912

De Pater, Ave, Credo ante Matutinum vel Vesperas Defunctorum

ROMANA ET ALIARUM

DE ORATIONE DOMINICA ET ALIIS OFFICIO DEFUNCTORUM PRAEMITTENDIS

Occasio petendi.

Ex Decreto in una Plurium Dioecesium, diei 24 iulii vertentis anni, praescribitur rubrica inserenda in Officio Defunctorum, tam in Breviario quam in Rituali Romano, circa modum Matutinum concludendi et Laudes inchoandi, quotiens Laudes a Matutino separantur. Hinc ob singularem casum sacrae Rituum Congregationi altera quaestio pro opportuna solutione proposita fuit : « An ante Vesperas Defunctorum praemitti debeant « *Pater* et *Ave* ; et ante matutinum *Pater*, *Ave* et *Credo* ».

Dubium.

Et sacra Rituum Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, audito voto Commissionis Liturgicae, reque accurato examine perpensa, respondendum censuit : « Affirmative, quotiens Vesperae aut Matutinum Defunctorum sepa- « ratim ab Officio divino recitentur ».

Responsum.

Atque ita rescripsit et servari mandavit, die 25 octobris 1912.

Dies (25 oct. 1912).

Fr. S. Card. MARTINELLI, *Praefectus.*

† *Petrus La Fontaine, Ep. Charystien., Secretarius.*

---

630. — S. RITUUM CONGREGATIONIS

DECRETA AUTHENTICA EX NOVO S. CONG. VOLUMINE

I. Decreta quae in opere « De religiosis Institutis et personis » vel in his « Periodicis » allegantur et nunc mutata iterum promulgantur [1]

4053. ORDINIS MINORUM S. FRANCISCI. (**De festo Patroni, missa conventuali et missa votiva.**) — 9 apr. 1900. — (PER. III, p. 93.)

Dubium IV. *Omittuntur ultima verba :* Cum in rubricis et decretis praescribitur ut post aliquam horam canonicam celebretur.

Ad IV. (Pro : *Negative, et celebretur post Nonam*) : Negative ; exceptis tamen Missis quae vel per Rubricas praecipiuntur, vel ad commemorationes in officio diei factas referuntur, quae immediate post respectivam horam celebrentur.

---

[1] Synopticam hanc propositionem promisimus n. **597**, t. 6, p. 246. Porro numeri qui singulis decretis hic praeponuntur, in ipsa Collectione eadem decreta signant. Loci autem Periodicorum numeris indicantur nisi praeposita sit littera p.

Cum litteris crassioribus intra ( ) argumentum indicetur, summariis marginalibus hic abstinendum esse duximus.

ANNOTATIO

Missae officio non conformes de quibus hic, illae sunt de quibus novae rubricae Tit. XII. (PER. VI, p. 135.)

4054. TIRASONEN. **Varia dubia.** — 2 maii 1900. — (PER. III, p. 95.)

Ad I. (Pro : *Serventur Rubricae et decreta*) : *Negative*, et serventur Rubricae ac Decreta, *etiam quando Symbolum locum non habet.*

Ad II. Negative (suppressis verbis : *in Missis sollemnibus cum ministris paratis.*)

Ad V. Affirmative (dein, pro : *ex gratia in casu*) : ita tamen ut fiat eorum commemoratio etiam in officio inter suffragia Sanctorum.

ANNOTATIO

Ad 1. In hoc casu, ex rubricis Missalis, subdiaconus defert bursam simul cum calice.

Ad 5. Non videtur novum responsum omnino congruere cum novis rubricis in quibus de patronis non fit commemoratio distincta ; forsan ita intellegi debet ut patroni nominari non debeant in oratione *A cunctis* in missa, nisi etiam nominentur in eadem oratione in suffragio.

4058. S. IACOBI DE VENEZUELA. (**Circa expositionem SS. Sacramenti.**) — 13 iun. 1900. — (PER. III, p. 95, ubi inscribebatur sub die 16 iun. 1900.)

4059. LAUDEN. SEU CONGREGATIONIS CLERICORUM REGULARIUM SANCTI PAULI BARNABITARUM. (**Varia dubia.**) — 17 iun. 1900. — (PER. III, p. 96.)

Ad I. (Pro : *Negative*) : Affirmative, post commemorationem S. Petri et ante alias commemorationes.

Dub. III fuit suppressum.

Ad III (antiquum IV ; pro : *Servetur Decretum Castrimaris, n. 3833, ad II, d. d. 20 iulii 1894, scilicet commemoratio officii currentis omittatur in missa sollemni, fiat in lectis*) : Commemoratio Officii currentis omittatur in Missa votiva sollemni, si altera Missa saltem lecta de eodem officio currenti celebretur, vel quotiens idem officium in alia Missa commemorationem assequatur ; fiat semper in Missis votivis lectis.

ANNOTATIO

Ad 1. Ex novo responso concludendum videtur commemorationem apostolorum in festo SS. Petri et Pauli habendam non esse tamquam officii cuiusdam simplificati, sed tamquam ad ipsum officium pertinentem, ac proin numquam ab eo separari debet. Cfr. etiam decr. Soc. Iesu Prov. belg. 15 nov. 1912 (infra n. 632.)

4071. ANGELOPOLITANA. (**De cantu ad elevationem in missis conventualibus, de canonicis pluvialistis in vesperis et de altari SS. Sacramenti.**) — 26 april. 1901. — (PER. V, 353.)

Ad 1. (Pro : *Servetur decretum generale*, etc.) : Negative et servetur decretum, etc.

Dubium III fuit suppressum.

4072. Mexicana. (**De kalendario adhibendo a sacerdotibus celebrantibus in oratoriis monialium, et de festo Apparitionis S. Iacobi impedito.**) — 16 maii 1901. — (Per. V, 354).

Ad I. (Pro : *Si Sanctimoniales in casu kalendario proprio rite utuntur, huic conformare se debent sacerdotes in illarum oratoriis celebrantes, si secus, sequi debent kalendarium dioecesis et detur decretum 3910*) : Affirmative quia talia oratoria non sunt habenda tamquam mere privata.

4085. Ordinis Carmelitarum excalceatorum. (**De missis pro defunctis in ecclesiis regularium.**) — 29 nov. 1901. — (Per. I, 66.)

Additum est verbum : anniversarium.

Annotatio

Sic in unum coniuncta sunt decretum hoc et decretum 24 ian. 1902 *Ordinis Carmelitarum excalceatorum*, quod et ipsum prostat Per. I, 66, B.

4096. Labacen. (**De missis pro Defunctis.**) — 28 april. 1902. — (Per. III, p. 98.)

Dub. IV, V, VI, VIII, IX, XI, et XV fuerunt suppressa.

4106. Congregationis FF. Scholarum Christianarum. (**De officio proprio S. I. B. de la Salle.**). — 23 ian. 1903. — (*De Religiosis* t, 2, n. 108.)

(Pro : *Nec primos nec alteros cappellanos teneri in casu*) : Capellani fixi tenentur praedictum officium recitare, dummodo ratione beneficii ad aliud Officium non adigantur ; alii vero sacerdotes nec tenentur nec possunt.

Annotatio

Capellani fixi enim ab Ordinario designati et addicti domibus Fratrum ad obeunda ibidem munera ecclesiastica habendi sunt ut rectores istarum ecclesiarum vel oratorium, ac proin per se istorum oratorium officium dicere debent : nec refert saepissime ista oratoria non esse publica, nihil enim obstat quominus sacerdos addictus sit oratorio semipublico domus religiosae, quod, deficiente ecclesia vel oratorio publico, eorum tenet locum.

4126. Congregationis Eremitarum Camaldulensium Montis Coronae. (**Varia dubia.**) — 11 dec. 1903. — (Per. I, 67, A.)

Ad IV. (Pro : *Iuxta consuetudinem*) : Iuxta ritum monasticum.

4132. Ordinis Fratrum Minorum. (**De calendario sacerdotum tertiariorum.**) — 15 april. 1904. — (Per. I, 18.)

In dubio II omittuntur verba : *in privato oratorio celebrantibus, vel ;* et inferius : *sive simplici, sive parochiali.*

Ad II. (Pro : *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam quoad sacras functiones in ecclesia*) : Negative ad primam partem ; affirmative ad secundam, dummodo choro non teneantur.

Annotatio

Ex suppressis verbis quae in ipso dubio legebantur : *in privato oratorio celebrantibus,* clare iam patet agi tantum de privata recitatione breviarii, nullomodo vero de celebratione missae, quae secundum legem generalem in oratoriis privatis quidem debet esse conformis officio celebrantis, in ecclesiis vero vel oratoriis publicis aut etiam in oratoriis semipublicis religiosorum conformari debet officio ipsius ecclesiae vel oratorii, et tantum, permittente huius ritu, conformari potest officio ipsius celebrantis.

4136. Ordinis FF. Minorum Provinciae Portugalliae. (**Varia dubia.** — 11 iun. 1904. — (Per. I, 31.)

Dub. I et II fuerunt suppressa.

4141. Ordinis Fratrum Minorum Provinciae Anglicae. (**Varia dubia.**) — 29 iul. 1904. — (Per. I, 32, A et 43.)

Dub. V et VI fuerunt suppressa.

4142. Ordinis Carmelitarum Excalceatorum. (**De translatione festivitatum Assumptionis et Nativitatis B. M. V.**) — 5 aug. 1904. — (Per. I, 32, B.)

Ad I. Verba : *uti mos est* fuerunt suppressa.

Dubium II fuit suppressum.

4155. Missionariorum Africae. (**De festo Dedicationis.**) — 1 april. 1905. — (Per. I, 61.)

Dubium III fuit suppressum.

4156. Compostellana. (**De musicis instrumentis inter sacra.**) — 15 april. 1905. — (Per. I, 62.)

In responsione ad I suppressa sunt ultima verba : *cum dispensatione a lege et praxi communi adhibendi in sacris functionibus cantum gregorianum vel musicam polyphonicam aut aliam probatam.*

Dubia II et III fuerunt suppressa.

Sub n° II datur decretum *Compostellana* quod prodierat 8 ian. 1904, et quod invenitur in Per. III, p. 101.

4158. Placentina in Hispania. (**De recitatione anticipata Matutini.**) — 12 maii 1905. — (Per. III, p. 107.)

Ad I. (Pro : *Consulantur probati auctores*) : Affirmative ad primam partem ; negative ad secundam.

ANNOTATIO

Sic iam certum est non solum valide anticipari matutinum diei sequentis ab hora secunda pomeridiana, de quo inter auctores sat constabat, sed hoc licite fieri ab omnibus, etiam sine speciali motivo.

4159. CONGREGATIONIS EREMITARUM CAMALDULENSIUM MONTIS CORONAE. (**Varia dubia.**) — 12 maii 1905. — (Per. I, 67, B.)

Dub. IV fuit suppressum.

Ad V (antiquum VI). Attentis expositis (*et additur :* et ratione canendi Hymni *Pange lingua* eadem Feria VI in Parasceve, post *Crux fidelis*, sub crucis adoratione, etiam apud Camaldulenses), affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

4163. DUBIUM. (**De loco quo tertiarii in processionibus incedere possunt.**) — 30 iun. 1905. — (PER. II, 82.)

Mutata est inscriptio decreti quae prius erat : *Ord. Carmelitarum antiquae observantiae*, sicut et introductio quae et ipsa generalis facta est : A Sacrorum Rituum Congregatione humillime exquisitum est.

4169. DUBIUM. (**Quomodo regulares deferre debeant amictum.**) — 23 aug. 1905. — (PER. II, 91.)

Mutata est inscriptio quae erat : *Ordinis Fratrum Minorum.* Simul etiam ipsum dubium et responsum fuerunt paululum mutata sequenti modo :

Utrum apud Regulares familias, iis non exceptis quae ex privilegio S. Sedis peculiarem Liturgiam sequuntur a Romana difformem, sacerdotes in Missa aliisque divinis officiis amictum super nudum caput imponere debeant, an etiam possint ipsum amictum caputio superimponere ?

R. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

ANNOTATIO

Binis istis decretis, ut patet, data est forma decreti generalis.

4179. SOCIETATIS SALESIANAE. (**De laudibus, exposito SS°.**) — 16 feb. 1906. — (PER. II, 125.)

Ad II. (Pro : *Nulla reverentia facienda est*) : Ut in praecedenti, si in casibus expositis vigeat consuetudo se inclinandi.

4181. DECRETUM. (**De clerico qui inter missam subdiaconum vel Capellanum suppleat.**) — 10 mart. 1906. — (PER. II, 126.)

Sequentia sunt addenda : 2. a) Ante offertorium *calicem non abstergat* et aquam, etc.

2. c) Calicem ipsum, *postquam illum ad altare detulerit*, infra actionem, etc.

4. d) *Calicem infra actionem numquam tangat, neque pallam supe eum ponat, aut ab eodem removeat;* e) *post ablutionem calicem no abstergat, etc., ut supra ad lit.* c) *n. 2.*.

4191. Ratisbonen. seu Congregationis SS. Redemptoris Provincia Bavaricae. — (**De mensa et titulari altaris fixi.**) — 10 nov. 1906. — (Per. II, 187.)

Ad IV. (Pro : *Negative*) : Imagines in vitris fenestrarum depictae nih cum altari commune habent, et tituli imago super altari absolute no praecipitur. Si tamen quaedam esset apponenda altari fixo imago, titu apponatur.

4192. Ordinis Fratrum Minorum Prov. Germaniae Inferioris. (**Vari dubia.**) — 10 nov. 1906. — (Per. II, 166.)

Ad I. Quoad primum. Affirmative in Oratoriis privatis (omissis : *dum modo cadaver sit adhuc physice praesens in domo*) ; negative in Oratori semipublicis quae (*additur :* deficiente Ecclesia vel Oratorio public horum locum tenent.

4194. Dubia. (**Varia dubia.**) — 23 nov. 1906. — (Per. II, 170.)

Dub. X fuit suppressum.

In resp. ad X (antiquum XI) in fine (pro : *necnon in festo et infr octavam SS. Corporis Christi*) : nisi aliter apostolica auctoritate statutu fuerit.

Annotatio

Haec prohibitio canendi in laudibus vespertinis oratione B. M. V., in festo et infra octavam SS. Corporis Christi sa singularis videbatur et certe contra usum in nostris region bus acceptum. Nihil mirum proinde si fuerit sublata.

4197. Congregationis Oratorii S. Philippi Nerii Perusiae. (**De ma ioris hebdomadae caeremoniis.**) — 16 ian. 1907. — (Per. II, 193

Ad II. Post verbum *baldachinum* additur : (supposita consuetudine ill utendi.)

4202. Derthonen. (**De incensatione Sanctissimi.**) — 5 iul. 190 — (Per. II, 224.)

Ad I. (Suppressis verbis : *iuxta responsum diei 14 maii 1907 in Pin rolien. nempe,* necnon circa medium : *antequam incipiantur preces,* et fine : *et haec est praxis ecclesiarum urbis*) additur : quo in casu non nova thuris impositio.

Annotatio

In brevissimis ergo illis expositionibus in quibus po expositum SS^{um}, nihil canitur nisi *Tantum ergo,* statim po expositionem incensum imponitur consueto modo et SS. i censatur : dein ad stropham *Genitori,* absque nova thur impositione in thuribulum, iterum incensatur SS.

4206. Declaratio **decretorum de luce electrica.** — 22 nov. 1907. — (Per. IV, 248, A.)

Suppressa sunt verba : aut Imaginibus.

Annotatio

Ex hac suppressione patet iam non urgeri prohibitionem adhibendi coram Imaginibus Sanctorum lumen electricum, quod proin coram illis permitti dicendum est ad prudens Ordinarii iudicium, dummodo species non habeatur theatralis.

4210. Angelipolitana. (**De luce electrica et cantu sacro.**) — 17 ian. 1908. — (Per. IV, 248, B).

Ad I. (Pro : *dentur et serventur decreta, iuxta alias similes resolutiones*) : detur et servetur decretum seu declaratio, d. d. 22 nov. 1907, n. 4206.

Ad II. Responsum sic mutatur : Affirmative ad utrumque et ad mentem. Mens est : Ubi viri et pueri suam partem convenienter, tamquam chorus seu Schola cantorum, conferre possunt, mulieres et puellae canentes a reliquo populo non distinguantur, salva separatione virorum a mulieribus, ubi laudabilis huiusmodi servatur consuetudo : et, ubi praesertim officiatura choralis habetur, cantus exclusivus mulierum non admittatur, nisi ex gravi causa ab Ordinario agnoscenda : et cauto semper ut quaevis inordinatio vitetur.

4225. Andrien. (**De altari consecrando.**) — 6 nov. 1908. — (Per. IV, 300, A.)

Ad I. (Pro : *iuxta plura decreta*) : dummodo quattuor columellae talem soliditatem exhibeant, qua altare nullimode moveri possit.

4235. Buscoducen. (**De missis et commemoratione pro defunctis, de missa propria non mutanda, de canticis in lingua vernacula, de festo in primam diem liberam reponendo.**) — 31 mart. 1909. — (Per. V, 359.)

Dub. I et II fuerunt suppressa.

Ad V (antiquum VII.) Omissa sunt verba : *inter orationes omnes, quae eadem die tam ex Rubricarum praecepto, quam ex Ordinarii mandato, aut ad Celebrantis placitum adiungantur.*

Annotationes

Ad I et II suppressa. Responsa ad illa dubia anno 1909 dilata, data fuere 22 mart. 1912 ad V, et 26 maii 1912 ad VII.

Ad V. Suppressio illorum verborum, praesertim post editum decretum 12 iun. 1912 ad IV, indicat Congregationem suam sententiam mutasse, uti iam notavimus Per. VI, p. 254. Difficultatem, quam ibi indicavimus de loco huius orationis si simul occurrunt oratio imperata et orationes

stricte votivae ad libitum celebrantis additae, sic solvendam proponit R. D. Callewaert (Collationes Brugenses 1912, p. 600) ut oratio imperata iam poni non possit ante orationes stricte votivas, sed ponenda sit post illas. Porro, ut consideranti patet, sic absque difficultate decretum intellegitur.

4236. Piae Societatis Missionum. (**Circa usum kalendarii Urbis, ac circa festa S. Bartholomaei Ap., S. Ioachim, Purissimi Cordis et SS. Nominis B. M. V.**) — 23 april. 1909. — (Per. V, 360.)

Ad I. Omittuntur verba : *exceptis octavis Titularis et Dedicationis archibasilicae lateranensis.*

Dub. II fuit suppressum.

Ad III (antiquum IV.) Quod ad priorem quaestionem : festum sancti Ioachim Confessoris fixe celebretur die 20 martii, etc.

4243. Cephaluden. (**De quibusdam peculiaribus consuetudinibus in officio, in missa aliisque sacris functionibus.**) — 16 dec. 1909. — (Per. V, 405.)

Ad III. (Pro : *negative ad utrumque*) : negative ad primam partem, quocumque tempore : ad secundam partem, provisum in prima.

Ad IV. Additur : seu non teneri.

Ad VI. Additur : et decretis.

4257. Tunquen. (**Resolutio dubiorum,** etc.) — 30 iul. 1910. — (Per. V, 455.)

Ad IV. Additur : servatis decretis.

4265. Dubia. (**Circa organi sonitum ad adiuvandum cantum gregorianum et formulam benedictionis apostolicae impertiendae in fine concionum.**) — 11 maii 1911. — (Per. VI, 510.)

Ad II. Additur : excepto ultimo triduo maioris hebdomadae.

4268. Westmonasterien. (**Dubia circa expositionem et benedictionem SS. Sacramenti.**) — 27 maii 1911. — (Per. VI, 515, A.)

Ad I, II, III. Suppressa sunt verba : *a sacra Congregatione S. Officii expetendum.*

Dub. VI et XI fuere suppressa.

Ad X (antiquum XII), additur in fine : et n. 3537, Leavenworthien., 27 febr. 1882 ad III.

Annotatio

Ad XI suppressum. Certum est hanc utriusque genu flexionem quae hoc decreto praecipiebatur, sicut et illam de qua decretum Baionen 8 iul. 1911 n. 4271 ad IV (cfr. infra) componi non posse cum regulis generalibus quae utrumque genu flectendum iubent unice in primo accessu et ultimo recessu ; utriusque dubii suppressio proin facile intellegitur. Forsan etiam sic implicite revocatum censeri potest decr. 4048 ad V quo in casu haud absimili eadem utriusque genu

flexio praescribitur, cum celebrans et ministri post missam coram SS^o^ exposito celebratam ab altari recedunt ad scamnum in cornu epistolae ut ibi exuant casulam et manipulos.

4269. Baionen. (**Dubia varia**.) — 27 maii 1911. — (Per. VI, 515, B.)

Ad III. (Pro: *Provisum in Decreto 8 aprilis 1908*): In publica recitatione, negative; in privata, ad libitum, iuxta Decretum n. 4262, Atrebaten., ad IV.

Ad V. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam, (*et additur*): Commemoratio autem de Nativitate fiat per antiphonam, versum et Orationem de I vesperis Circumcisionis.

Ad VIII. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam, (*et additur*): nisi habeatur Apostolicum Indultum.

Annotatio

Ad III. In annotando decreto (Per. VI, p. 65) monuimus responsum ad dubium minime erui posse ex decr. 8 apr. 1908, sed deducendam esse ex decr. Atrebaten 23 mart. 1911 ad IV, ibique praecise solutionem proposuimus quae in nova responsi redactione imponitur.

4271. Baionen. (**Nova dubia**.) — 8 iun. 1911. — (Per. VI, 520.)

Dub. I et IV fuerunt suppressa.

Dub. V (antiquum VII.) Suppressa sunt ultima verba: *vel in hoc casu servari debeat specialis dispositio decr. 16 dec. 1902 ad VI, super privilegiis Octidui vel Tridui concedi solitis*.

Ad V (antiquum VII.) (Pro: *Satis provisum in decreto citato*): satis provisum in decretis citatis.

Annotatio

Ad IV. Cfr. superius annotationem in decr. 4268 ad XI suppressum.

Ad V (antiquum VII). Responsum, etsi primo aspectu videtur vix mutatum, reapse tamen sensum prorsus contrarium iam habet. Ex priore enim responso servandum erat decr. 16 dec. 1902; ex novo vero responso servanda sunt decreta 4194 et 4198 quae praecise contrarium praecipiunt. Porro decr. 16 dec. 1902 fuit suppressum, sed die 22 maii 1912 de eodem argumento prodiit *Instructio* fere similis, at novis rubricis accomodata in qua traditur modus cantandi *Te Deum* conformis decretis 4194 et 4198.

II. Decreta quae in his PERIODICIS nondum allegata sunt

N. B. Ex decretis istis alia, ante Commentarium officiale data, publici iam iuris erant, alia, quamvis recentiora, ipsis Actis Apostolicae Sedis praetermissa sunt.

4057. URGELLEN. (**Dubia varia**.) — 29 maii 1900. — Cfr ACTA S. SEDIS, 33, p. 187.

II. Thurificatio SS. Sacramenti publice expositi, et Canonicorum, perficienda est duplici ictu in quolibet ductu, iuxta decreta S. Marci n. 3110, d. d. 22 martii 1869 [1] ad XX, et Minoricen. n. 4048, d. d. 24 novembris 1899 ad IX. Quaeritur ergo : 1° Utrum idem observandum sit in thurificatione Crucis altaris, sacrarum Imaginum, libri Evangeliorum ante cantum Evangelii in missa sollemni, Episcopi, Celebrantis, Ministrorum, Beneficiatorum, aliorumque de Choro et Altari, iis exceptis, qui non sigillatim incensantur? 2° Perficine debet duplici ictu ductus in thurificatione Altaris et in sollemni benedictione Candelarum, Cinerum et Palmarum ?

IV. E collectione authentica Decretorum S. R. C. expunctum est decretum in Santanderien. d. d. 26 ian. 1793, in quo disponebatur, ad XVII, festum S. Laurentii martyris concurrens cum SS. Iusti et Pastoris Mm. festo dupl. II classis in Hispania integras habere debere Vesperas cum commemoratione praedictorum Martyrum. Unde quaeritur : utrum ita observandum sit, an Vesperae in casu sint dimidiandae ?

Ad II. (Pro : *Quod ad primam partem quaestionum serventur decreta : quod ad reliqua, et secundam quaestionem servetur consuetudo*) : Affirmative quod ad primam partem, negative quod ad secundam.

Ad IV. (Pro : *Negative ad primam partem ; affirmative ad secundam*) : Affirmative ad primam partem : negative ad secundam, quia festum S. Laurentii de sollemnioribus est inter duplicia secundae classis in Ecclesia universali.

ANNOTATIO

Ad II. Antiquum responsum, ut iam animadvertit VAN DER STAPPEN (t. 3, p. 286) lumen meridianum non praebebat. Ex novo vero responso clare patet incensationem semper faciendam esse pro unoquoque ductu in duplici ictu praeterquam in incensatione altaris, candelarum, cinerum, palmarum ceterarumque rerum quae in altum non elevantur, necnon in incensatione personarum quae in globo incensantur.

Ductus thuribuli, uti explicat Caerimoniale Romano-Seraphicum a S. R. C. approbatum, in eo consistit quod thurificans ipsum thuribulum, ad altitudinem cinguli fere sustentum, versus rem vel personam incensandam attollendo ducit et reducit. Ictus vero qui insuper pro singulo ductu praescribitur, in eo consistit ut statim ac thuribulum usque ad altitudinem superioris pectoris elevatum fuerit, quidam motus ulterior cum ipso thuribulo ad obiectum thurificandum perficiatur [2].

Ad IV. Nova responsi redactio omnino conformis videtur principiis novarum rubricarum. Attendatur tamen in ipsis rubricis (tit. II, n. 2) hanc praestantiam explicite tribui solis

[1] Sic mendose in decreto pro 1862.

[2] Cfr. CALLEWAERT. *Collationes brugenses*, 1912, p. 670.

duplicibus 1 classis primariis universalis Ecclesiae. Cfr etiam Notandum 2, in tabellis occurrentiae et concurrentiae. (PER. VI, p. 145.)

4070. DECRETUM. (**Varia dubia.**) — 4 mart. 1901. — Cfr ACTA S. SEDIS, 34, 30.

In hoc decreto suppressa sunt :

Dub. III in quo dicebatur Anniversarium Dedicationis Omnium Ecclesiarum esse secundarium in illis ecclesiis quae consecratae non sunt [1].

Dub. VII in quo de concurrentia diei octavae dedicationis propriae ecclesiae cum festo dedicationis Basilicarum SS. Apost.

Dub. IX in quo de concurrentia diei octavae dedicationis propriae ecclesiae cum primis Vesperis festi duplicis primae classis.

IV. An dies octava alicuius festi habentis octavam, incidens infra Octavam Corporis Christi, ubi haec octava non est privilegiata ad instar Epiphaniae, sed ita ut quaevis duplicia classica, sive occurrentia sive translata admittat, celebranda sit per integrum officium, vel per solam commemorationem ?

Ad IV. (Pro : *negative ad primam partem, affirmative ad secundam*) : affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

ANNOTATIONES

1. Responsa data ad III. VI. IX. non iam quadrant cum novis rubricis, in specie tit. 6, n. 1 [2], tit. 9, n. 1, Notanda in tabellis occurrentiae et concurrentiae n. 9.

2. Ad IV. Non videtur cur servatum fuerit hoc responsum, quod ne quidem postquam mutatum fuit, obiectum habet, cum ex novis rubricis octava Corporis Christi privilegiata iam sit ad instar Epiphaniae.

4074. ORDINIS S. BENEDICTI CONGREGATIONIS AMERICANAE CASSINENSIS. (**Plura solvuntur dubia.**) — 14 iun. 1901. — Cfr ACTA S. SEDIS, 34, 32.

I. In Vesperis festi Expectationis Partus B. Mariae V. (18 dec.), iuxta breviarium monasticum, responsorium breve notatur « Rorate caeli ». Cum autem fieri debeat commemoratio feriae, quaeritur : Utrum pro hac commemoratione mutandus sit versus, an idem « Rorate » sit repetendus.

III. Quodnam responsorium dicendum est post lectionem XII in festo SS. Septem Fundatorum vel alterius festi plurium Confessorum non Pontificum.

Fuerunt suppressa, dub. IV et V de tono *Ite missa est* quando adhibetur doxologia B.

IV (antiquum VI). In festo S. Elisabeth Reg. Vid. (8 iul.) notatur versus proprius « Ora pro nobis » ; quaeritur, quinam versus adhibendus sit pro commemoratione B. Mariae V. in suffragiis ?

---

[1] Haec sola pars decreti prostat in PER. III, p. 304 Nota.

[2] Uti ex Monito ad editores pontificios misso patet, duplicia 1 classis in primis vesperis admittunt commemorationem concurrentis diei octavae festi Domini *privilegiati* tantum non vero cuiuscumque festi Domini primarii.

VII (antiquum IX). Si missa de Requiem legatur pro uno et una defunctis, an liceat mutare orationem hoc modo : « animabus famuli tui et famulae tuae » ?

Ad I. (Pro : *In alia Commemoratione dicatur* ℣. Vox clamantis in deserto) : Negative ad primam partem, affirmative ad secundam, quia ex ritu monastico ℣. br. post Capitulum potest inservire tamquam ℣. pro Commemoratione.

Ad III. Sumatur de relativo Communi (*et additur*) : mutato numero singulari in pluralem, et reticitis nominibus, si plures quam tres vel quattuor fuerint Confessores.

Ad IV (antiquum VI, pro : *Retineatur versus prouti in Breviario, tum pro Festo enunciatio tum pro suffragiis B. M. V.*) : Retineatur versus « Ora pro nobis », prouti in Breviario pro Festo enunciato ; pro Suffragio B. M. V. sumatur ℣. « Dignare me. »

Ad VII (antiquum IX, pro : *Negative*) : Dicatur « famuli et famulae tuae », quando non exprimuntur nomina ; secus dicatur « famulorum tuorum. »

Annotationes

Ad IV (antiquum VI). Responsio adaptata est decr. 4262, 23 mart. 1911 quo hoc revocabatur, sed post novas rubricas facta est sine obiecto practico.

Ad VII (antiquum IX). Ex novo responso concludi potest in aliis similibus casibus similes mutationes in orationibus pro defunctis esse licitas.

4076. Tarbien. (**Circa lectiones 1 Nocturni in duplicibus maioribus et circa missam exsequialem in feria IV Cinerum**.) — 5 iul. 1901. — Cfr Acta S. Sedis, 39, 604.

Responsum ad I de lectionibus 1 Nocturni fuit novis rubricis accomodatum.

II. Utrum feria IV Cinerum in ecclesiis parochialibus ubi unicus est sacerdos, celebrari possit missa exsequialis ?

Ad II. (Pro : *affirmative*) : negative.

Annotatio

Ratio negationis est quia in ecclesiis parochialibus fieri debet benedictio Cinerum, quae necessario cum missa de die est coniungenda.

4081. Vicentina. (**Varia dubia**.) — 20 aug. 1901. — Cfr Acta S. Sedis, 34, 252.

III. Psalmus *De profundis*, cum versiculis et oratione post absolutionem ad tumulum recitandus, debetne persolvi in sacristia an in choro ante altare maius ?

IV. Plerumque in civitate efferuntur cadavera sub vesperas in ecclesia, preces exsequiales persolvuntur super iisdem, antequam terrae tradantur. Estne adhibendum thus circa feretrum, uti fieri solet quando exsequiae post missam peraguntur ?

VII. Consuetudo hic viget dicendi *Dominus vobiscum*, ante orationes, quibus litaniae B. M. V. vel hymni sanctorum concluduntur coram SS. Sacramento publice exposito; cum non immediate, sed post cantum *Tantum ergo* et orationem *Deus qui nobis*, detur benedictio cum eodem, potestne talis consuetudo servari?

Ad III. (Pro: *Servetur Rituale Romanum*): Psalmus cum Antiphona « Si iniquitates » dicatur in reditu ad sacristiam, in qua deinde persolventur preces « Kyrie eleison » etc., cum oratione « Fidelium », etc.

Ad IV. (Pro: *Si adsit consuetudo, servari potest*): Affirmative si sollemnius, scilicet adhibito pluviali, exsequiae persolvantur. At si exsequiae persolvi debeant post officium vel Missam, quae serius, vel etiam die sequenti habebuntur; post ℣ « Subvenite », dicatur « Kyrie eleison etc., Pater noster, etc. » ℣℣ et Oratio « Absolve ». ut in Missali « Ritus celebrandi Missam », Tit. XIII. n. 4 in fine.

Ad VII. (Pro: *Stetur decretis, praesertim n. 1265*, etc.). Negative, iuxta alias decreta.

Annotatio

Ad VII. Inde clare patet in laudibus nostris vespertinis ante primam orationem (quae de B. M. V. esse solet) praeponi non posse versum *Dominus vobiscum*.

4107. Romana. (**Circa identitatem Postcommunionis SS. Perpetuae et Felicitatis cum Postcommunione feriae II post Dominicam III Quadragesimae.**) — 10 febr. 1903. — Cfr Acta S. Sedis, 35, 622, ubi decr. datur sub die 19 febr.

Responderat tunc Congregatio: Sumatur in casu Postcommunio de Missa plurimorum Martyrum « Salus autem ». Ubi autem in festo duplici vel semiduplici SS. MM. Perpetuae et Felicitatis mutanda sit postcommunio feriae, sumatur Postcommunio proxime sequentis.

Nunc autem, suppressis ceteris omnibus: sumatur in casu Postcommunio feriae sequentis.

Annotatio

Decretum mutatum est, ut patet propter elevatum ad ritum duplicis festum SS. Perpetuae et Felicitatis: cum autem ex novis rubricis tamen liceat illa die missam celebrare de feria occurrente, casu quo festum SS. Perpetuae et Felicitatis occurreret in feria II post Dominicam III Quadragesimae, in huiusmodi missa de feria mutanda non foret postcommunio ipsius feriae, sed festi, quae sumeretur ex missa « Salus autem ».

4130. Perentinen. et Polen. (**Dies in quibus prohibitae sunt obsequiae.**) — 8 ian. 1904. — Cfr Acta S. Sedis, 36, 427.

Antiquitus responsum fuerat: Omnia festa quae iuxta catalogum festorum a S. R. C. die 22 aug. 1893 cum decreto generali 3810 publice uti festa primaria sub ritu dupl. 1 classis et quidem de praecepto celebrantur,

et, si non sunt de praecepto, illae dominicae ad quas praefatorum festorum sollemnitas transfertur.

Nunc responsum brevius sonat :

Ad I. Omnia Festa in quibus Missa exsequialis praesente cadavere prohibetur.

4135. Rhemen. (**De genuflexionibus in missa faciendis.**) — 20 maii 1904. — Cfr Acta S. Sedis, 36, 697.

I. Utrum canonici, ante altare in quo missa celebratur transeuntes, a consecratione usque ad communionem, genuflexionem duplicem, nempe utroque genu efficere debeant, an genu dextrum tantum usque in terram flectere ?

II. Utrum idem modus genuflectendi servari etiam debeat a quolibet sacerdote, qui sive ad altare procedit missam celebraturus, sive redit celebrata missa, transit ante aliud altare in quo tunc missa celebratur, et est inter consecrationem et communionem ?

III. Utrum eodem modo genuflectere debeant ceroferarii, qui ab altari discedunt post consecrationem, cum intorticia in sacristiam referunt, et cum statim ad loca sua prope altare redeunt ?

Ad I. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Ad II. (Pro : *Negative, et serventur rubricae De ritu celebrandi missam tit. II, n. 1*) : Negative, nisi ultro, scilicet nulla facta inquisitione, momentum advertatur, et serventur rubricae De ritu celebrandi missam, tit. II, n. 1.

Ad III. Genuflectant unico genu.

Annotationes

Ex his regula generalis statui potest generatim transeundo ante altare, in quo celebratur missa, quae tunc est inter consecrationem et communionem, genuflexionem faciendam esse simplicem, non vero utriusque genu : celebrans vero qui procedat missam celebraturus, vel redeat, celebrata missa, transeuns ante aliud altare, nullomodo inquirere debet num ibi missa sit inter consecrationem et communionem, sed absque reverentia procedat, nisi ultro id animadvertatur, quo casu et ipse genuflexionem simplicem faciat capite cooperto. Quod si transit in ipso momento quo Sacramentum elevatur, de quo monebitur sonitu campanae, ex ipsis rubricis utrumque genu flectit, et detecto capite Sacramentum adorat, nec ante surgat, quam celebrans deposuerit calicem super corporale, etiam si advenerit ad elevationem hostiae. Pariter utrumque genu flectit, si transit ante locum in quo ministratur Communio, sed tunc, adorato detecto capite, Sacramento, statim surgit et pergit. Ratio ob quam celebrans transiens ante altare inquirere non debet num ibi celebretur missa et illa sit inter consecrationem et communionem est, uti recte

annotat R. D. CALLEWAERT [1] quia ex rubricis procedere debet *oculis demissis*.

4144. GIENNEN (**Dubia**.) -- 11 nov. 1904. — Cfr ACTA S. SEDIS, 37, 340.

III. An permittenda sit praeintonatio *Gloria in excelsis* in missis sollemnioribus (et suppressa sunt : *dum in choro canitur* Kyrie eleison)?

Ad III. (Pro : *Negative, et serventur Rubricae et Decreta*) : Affirmative, ubi adsit longaeva consuetudo, quae difficulter eliminari possit.

4165. DUBIORUM. (**Varia dubia**.) [2]

Sacrorum Rituum Congregationi sequentia dubia pro opportuna solutione exposita sunt, nimirum :

I. Utrum in altarium consecratione, loco calcis et sabuli, quae a Pontificali Romano indicantur, adhiberi possit gypsum, coementum, vel quid simile ; et quatenus affirmative, an in casu oratio analoga sit immutanda ?

II. Cum ante ostiolum Tabernaculi nihil queat collocari, an exceptio sit facienda pro tabella secretarum ; aut saltem, quatenus haec inferius non possit collocari, valeat in duas dividi, hinc et inde apponendas ?

III. Licetne celebranti cum sacris ministris in missa sedere ad *Gloria*, etc., eodem in scamno, quo sedet clerus de choro, in parte Altari proximiore ?

IV. Cum scamnum celebrantis et Ministrorum alto postergali praeditum est, potestne serico panno contegi usque ad summum ?

V. Licetne pannum emortuale aurea tela conficere, quam sola nigra zona circumdat, saepe phrygio opere aureo, maxima ex parte ornatae ?

Et Sacra eadem Congregatio, audito voto Commissionis Liturgicae omnibusque mature perpensis, rescribendum censuit :

Ad I. Affirmative ad utrumque.

Ad II. Affirmative et iuxta consuetudinem.

Ad III. Non esse interloquendum.

Ad IV. Ut in praecedenti.

Ad V. Colorem panni emortualis esse debere nigrum, ornamenta autem sobria esse oportere.

Atque ita rescripsit, die 4 augusti 1905.

4172. DUBIORUM. (**Varia dubia**.)

Ad Sacram Rituum Congregationem sequentia dubia humiliter exhibita sunt solvenda, nimirum :

I. Permittine potest in Defunctorum officiis legile chori et scamnum celebrantis ac Ministrorum nigro aut violaceo panno, etiam serico, contegere ?

II. Possuntne adhiberi pulvinaria in celebrantis ac Ministrorum scamno, saltem si hi sint Canonici vel Praelati ?

III. Die festo alicuius Sancti, exposita eius Reliquia, loco Altaris principe, debetne inclinatio, cum Sanctus nominatur in Missa, erga ipsam fieri, an versus imaginem vel Missale ?

---

[1] COLLATIONES BRUGENSES, 1912, p. 340.

[2] Hoc decretum, sicut et sequens, nundum erat publici iuris factum.

IV. Quando Subdiaconus in Feria V in Cena Domini, vel alias, exposit SSmo Sacramento, allaturus est calicem ad abacum, teneturne genuflec tere, antequam a mensa recedat, immo calicem ipsum accipiat, et etian per medium transiens, super infimo gradu? In reditu autem debetn genuflexionem post celebrantem, Postcommunionem canentem, peragere

Et Sacra eadem Congregatio, exquisito voto Commissionis Liturgicae omnibusque sedulo perpensis, respondendum censuit :

Ad I. Affirmative

Ad II. Tam in Missis quam in Vesperis standum esse Decreto no 2079 ad VII, Cortonen., d. d. 10 septembris 1701.

Ad III. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam et tertiam ad mentem Decreti no 3767, Calaguritana et Calceaten., 13 februarii 1892 ad XXV.

Ad IV. Ad primam quaestionem : affirmative ad utrumque ; ad alteram negative.

Atque ita rescripsit, die 7 novembris 1905.

Annotationes

Ad II. Decretum 2079 ad VII, sic habet: Absente episcopo iuxta Caeremoniale lib. 2, cap. 3, § 4, debetur pulvinar e tapete pro Hebdomadario Canonico.

Ad III. Ratio est quia in casu reliquia expressius sanctun repraesentant quam eius imago vel nomen in libro.

Ad IV. Subdiaconus proin in casu bis genuflectit : prius antequam calicem accipiat, dein super infimum gradum ; s in reditu celebrans non staret ante cornu epistolae, sed pos cantatas postcommuniones ad medium altare iam regressus fuerit, subdiaconus huc accedens novam faceret genu flexionem.

4186. Bergomen. (**De reliquiis S. Crucis et sanctorum, de « Credo » in missa non expositis reliquiis insignibus, et de fundo colorato albarum.**) — 25 maii 1906. — Cfr Acta Apostolicae Sedis, I, 506.

I. An reliquia Sacrosanctae Crucis D. N. I. C. et reliquiae sanctorun in eadem theca includi et exponi possint super parvo throno, corona i parte superiore ornato ?

II. An recitari debeat *Credo* in missa, etiam quando reliquiae insigne sanctorum, de quibus festum agitur, in ecclesia non exponuntur ?

III. An toleranda sit consuetudo utendi fundis rubri vel violacei colori in fimbriis et manicis albarum ?

Ad I. Negative, et reliquia Sanctae Crucis includatur et exponatur i theca separata.

Ad II. Affirmative.

Ad III. (Pro : *Detur decretum b. 4048 Minoricen., 24 nov. 1899, ad VII*) Regulariter, color fundi colorati respondere debet colori vestis, et respec tivae extremitatis manicarum, quo uti potest unusquisque celebrans ve minister.

ANNOTATIONES

Ad II. Ex rubricis generalibus Missalis, tit. XI, *Credo* dicitur ubi habetur corpus, vel insignis reliquia sancti, de quo agitur; non tamen requiritur, ut ex praesenti decreto patet, ut illa reliquia in ipsa ecclesia sit exposita, dummodo sit reapse insignis.

Ad III. Decretum 4048 ad VII ad quod antiquitus remittebatur permittebat usum fundi coerulei, innixum et ipsum alii decreto 3780 ad V, quod permittebat usum fundi colorati absque ulla restrictione coloris in manicis et fimbriis albarum, et in solis manicis rocchetti hoc restringebat ad colorem vestis talaris respectivae dignitatis. Hanc tolerantiam, quae Cl^o VAN DER STAPPEN videbatur valde mira et vix credibilis [1] nova redactione est sublata, sicque regressus fit ad decreta 17 aug. 1833 ad V, et 5 dec. 1868 ad VI, quae ambo ex collectione authentica fuerunt expuncta.

4239. MECHLINIEN. (**De his quae cantari licent in Missa de Requiem post Consecrationem.**) [2]

Hodiernus praeses Commissionis de Musica sacra, ab E^mo et R^mo Domino Card. Archiepiscopo in dioecesi Mechliniensi constitutae, Sacrorum Rituum Congregationi, de consensu ipsius E^mi archiepiscopi, reverenter exposuit, vigere in Dioecesi consuetudinem canendi in Missa sollemni exsequiarum, post Elevationem et *Benedictus*, mottetum: *Pie Iesu, Domine, dona eis requiem sempiternam*, vel: *Iesu Salvator mundi, exaudi voces supplicum. Miseremini mei*, etc., ex libro Iob. Hinc idem Orator ab ipsa Sacra Congregatione humiliter expostulavit an eiusmodi consuetudo, quae pietati fidelium congruere videtur, possit continuari?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, audito etiam Commissionis Liturgicae suffragio, praepositae quaestioni ita respondendum censuit: Servetur Decretum generale n^o 3827, diei 22 maii 1894, ad III; nempe: si post Elevationem et *Benedictus*, usque ad Orationem Dominicam, aliquid modulari libeat, quod concinitur, ad Sacramentum pertineat, et ad mentem. — Mens est continuari posse cantum primi motteti *Pie Iesu, Domine, dona eis requiem sempiternam*, et etiam alterius, *Iesu Salvator mundi, exaudi voces supplicum*, absque tamen sequentibus versiculis. Quam resolutionem et mentem Sacrae Rituum Congregationis, Sanctissimo Domino nostro Pio Papae X, per Cardinalem eidem Sacrae Congregationi relatas, Sanctitas sua ratas habuit et probavit. Die 11 augusti 1909.

4277. NULLIUS CLUNIEN. (**De sollemnitate extrinseca festi.**)

R^mus D^nus Episcopus Dorensis, Quattuor Ordinum Militarium Prior, Cluniae in Hispania, ut Parochorum sibi subditorum tranquillitati consulat, sequens, super Motu proprio *de diebus festis*, n. 4272, Sacrorum

---

[1] VAN DER STAPPEN, t. 3, c. 112, p. 154.

[2] In ACTIS APOSTOLICAE SEDIS decreta 4239, 4277 et 4278 non fuerunt vulgata.

Rituum Congregationi dubium enodandum humillime proposuit ; scilicet : Utrum Dominica, in quam Sollemnitas externa Sancti Thomae a Villanova, Dioecesis Nullius Clunien. Patroni, transfertur, agendum sit Festum cum Officio et Missa et cum Octava eiusdem Sancti Patroni, sicut hucusque factum est die festo, 18 septembris ?

Et Sacra Rituum Congregatio propositae quaestioni respondendum censuit : Negative, et sollemnitas externa permittitur cum unica Missa sollemni propria de Festo Sancti Patroni, servatis Rubricis et Decretis.

Atque ita rescripsit, die 25 augusti 1911.

4278. Florentina. (**De festis patronorum.**)

Evulgato Motu proprio « Supremi disciplinae n. 4272, die 2 iulii 1911, R^mus Ordinarius Florentinae Archidioeceseos Sacrorum Rituum Congregationi sequentia dubia pro opportuna solutione reverenter proposuit ; nimirum :

I. An diebus dominicis, quibus Orninarius Sollemnitatem exteriorem Patronorum transfert, liceat saltem Missam propriam sollemnem celebrare ad consursum populi ?

II. An liceat Ordinario Festa ex voto vel constituto, auctoritate quoque ecclesiastica interveniente sancita, vel etiam Patronorum, in proximam diem dominicam tamquam in sedem propriam, transferre, etiam cum Officio et Missa et Octava occurrente ?

Et Sacra eadem Congregatio propositis dubiis ita respondendum censuit :

Ad I. Affirmative.

Ad II. Negative.

Atque ita rescripsit, die 25 augusti 1911.

III. Decreta quae, in hisce PERIODICIS exscripta vel allegata, in collectione decretorum authenticorum, locum non invenerunt.

Ordinis s. Ioannis de Deo. (**De usu bireti.**) — 15 sept. 1900. — Per. V, 352.

Montis Albani. (**De imaginibus servorum Dei.**) — 27 iun. 1901. — Per. V, 355.

Laurana, 2 iulii 1901

Privilegia quae concedi solent in triduo vel octiduo sollemniter celebrando intra annum a Beatificatione vel Canonisatione. — 16 dec. 1902. — Per. I, 41, II et III p. 92.

S. Marci et Pisianen. (**Translatio festi de praecepto, incidentis feria VI in Parasceve vel Sabbato sancto.**) — 2 sept. 1903. — Per. III, p. 100.

Ordinis Cisterciensis. (**De usu Missalis.**) — 15 maii 1903. — Per. IV, 266, B.

Plocen. (**Lingua vernacula inter missam cantatam.**) — 29 ian. 1904. — Per. III, p. 102.

UTINEN. (**Lingua vulgaris in sacris functionibus.**) — 5 mart. 1904. — PER. III, p. 103.

CENETEN. (**Exsequiae ; missa cantata sine ministris ; communionis dispensatio a sacerdote celebraturo.**) — 5 mart. 1904. — PER. III, p. 103.

ORDINIS CARMELITARUM EXCALCEATORUM. (**De Calendario religiosorum.**) — 26 mart. 1904. — PER. I, 17.

CONGR. CLER. REG. INFIRMIS MINISTRANTIUM. (**Officium votivum cum missa de Immaculata primo cuiusvis mensis sabbato.**) — 10 iun. 1904. — PER. III, p. 104.

CONGR. MISSIONIS. (**Translatio festorum.**) — 2 dec. 1904. — PER. III, p. 105.

ORDINIS MINORUM CAPUCCINORUM. (**De formula absolutionis generalis tertiarorum religiosorum.**) — 22 mart. 1905. — PER. I, 60.

ORDINIS FRATRUM MINORUM. (**De privilegio missae votivae de Immaculata conceptione.**) — 22 mart. 1905. — PER. I, 57.

AGENNEN. (**Translatio festorum ; commemorationes ; occurentia.**) — 19 maii 1905. — PER. III, p. 107.

ASSISIEN. (**De authentia asservatorum praecordiorum s. Francisci assisiensis.**) — 24 maii 1905. — PER. II, 77.

SOCIETATIS IESU. (**De anniversario Dedicationis ecclesiae et de Patrocinio s. Ioseph.**) — 7 iul. 1905. — PER. II, 83.

CONGR. CLERIC. REGULARIUM INFIRMIS MINISTRANTIUM. (**Privilegium altaris portatilis.**) — 26 iul. 1905. — PER. II, 85.

CONGR. CLERIC. REGULARIUM INFIRMIS MINISTRANTIUM. (**De officiis votivis.**) — 31 iul. 1905. — PER. II, 86.

ORDINIS MINORUM CAPPUCINORUM PROV. RHEGINENSIS. (**De patronis dioecesis colendis a regularibus.**) — 22 aug. 1905. — PER. II, 90.

ORDINIS PRAEDICATORUM. (**Translatio festi ss. Rosarii et festum s. Remigii, in quibusdam Galliae dioecesibus.**) — 23 aug. 1905. — PER. III, p. 108.

ORDINIS CISTERCIENSIS. (**Mutationes in calendario.**) — 8 nov. 1905. — PER. II, 138.

BUSCODUC. (**Translatio missae exsequialis.**) — 24 nov. 1905. — PER. III, p. 109.

REMENSIS. (**De exsequiis defunctorum in festis.**) — 1 dec. 1905. — PER. II, 104.

Tertiariorum ordinis Minorum Capuccinorum. (**De usu calendarii, Missalis et Martyrologii Capuccinorum**) — 22 ian. 1906. — Per. II, 113 et III, p. 110.

Ordinis s. Benedicti. (**De translatione festorum.**) — 26 ian. 1906. — Per. II, 114.

Congregationis Missionis. (**Missae de Requiem inter missiones.**) — 2 mart. 1906. — Per. III, 180.

Ordinis Fratrum Minorum. (**Indultum de festo Mysteriorum viae crucis, et gaudiorum B. M. V.**) — 14 mart. 1906. — Per. II, 127.

Litterae. (**De forma notarum in cantu gregoriano.**) — 6 maii 1906. — Per. III, 163.

Fratrum Minorum provinciae seraphicae. (**De missa votiva s. Francisci.**) — 27 iul. 1906. — Per. II, 146.

Tornacensis. (**De s. Communione in nocte Sollemnitatis Adorationis perpetuae.**) — 23 ian. 1907. — Per. III, 194.

Ordinis s. Benedicti. (**De benedictione dicta a s. Mauro.**) — 23 ian. 1907. — Per. III, 195.

Congregationis Missionis. (**De translatione festorum.**) — 2 mart. 1907. — Per. III, 208.

Ordinis Fratrum Minorum Provinciae Hiberniae. (**De precibus post missam conventualem.**) — 13 mart. 1907. — Per. III, 209.

Dubiorum. (**De calendario loci.**) — 10 maii 1907. — Per. III, 216, A.

De Aguascalientes. (**De calendario loci.**) — 31 maii 1907. — Per. III, 216, B.

Ordinis Cisterciensis. (**De breviarii mutatione.**) — 31 maii 1907. — Per. IV, 232.

Ordinis Fratrum Minorum. (**De missis votivis.**) — 13 nov. 1907. — Per. IV, 293.

Decretum. (**De festo Apparitionis B. M. V. ad universalem ecclesiam extenso.**) — 13 nov. 1907. — Per. IV, 235.

Decretum. (**Additio breviario inserenda.**) — 27 nov. 1907. — Per. IV, 235.

Decretum. (**De festo ss. Septem Fundatorum Ordinis Servorum B. M. V.**) — 8 ian. 1908. — Per. IV, 249.

Decretum. (**Variationes in Martyrologio.**) — 11 mart. 1908. — Per. IV, 272, A.

FRATRUM MINORUM CONVENTUALIUM. (**De praeferentia in festorum translatione**.) — 14 mart. 1908. — PER. IV, 270.

DECRETUM. (**Variationes in Breviario**.) — 8 apr. 1908. — PER. IV, 272, B.

URBIS ET ORBIS. (**De festo VII Dolorum**.) — 13 maii 1908. — PER. IV, 275.

DECRETUM GENERALE. (**De reformandis tabellis vel rubricis**.) — 8 iul. 1908. — PER. IV, 286.

ORDINIS S. BENEDICTI. (**De usu ritus monastici pro sacerdotibus**.) — 11 iul. 1908. — PER. IV, 288.

URBIS ET ORBIS. (**De mutandis lectionibus S. Bonaventurae.**) — 22 iul. 1908. — PER. IV, 289.

DECRETUM. (**Addenda in Martyrologio**.) — 9 sept. 1908. — PER. IV, 297.

DECRETUM. (**De Congr. peculiari instituenda pro minoribus causis servorum Dei**.) — 9 dec. 1908. — PER. IV, 306.

EREMITARUM CAMALDULENSIUM, CONGREGATIONIS MONTIS CORONAE. (**De qualitate Priorum apud Camaldulenses.**) — 22 ian. 1909. — PER. IV, 310.

SANCTIMONIALIUM ORDINIS S. BENEDICTI. (**De responsoriis et Evangeliis officii et missae votivae B. M. V.**) — 22 ian. 1909. — PER. IV, 311.

CONGREGATIONIS SS. REDEMPTORIS, PROVINCIAE HOLLANDIAE. (**De pyxidis purificatione**.) — 19 febr. 1909. — PER. IV, 319.

URBIS ET ORBIS. (**De litaniis S. Ioseph**.) — 18 mart. 1909. — PER. IV, 323.

DECRETUM. (**De vaticana editione Officii defunctorum**.) — 12 maii 1909. — PER. V, 361.

ORDINIS CARMELITARUM EXCALCEATORUM. (**De missa conventuali apud regulares, ac missa votiva diei infra octavam**.) — 14 maii 1909. — PER. V, 362.

URBIS ET ORBIS. (**De novo officio S. Paulini**.) — 9 iun. 1909. — PER. V, 366, 3, A.

ROMANA. (**Circa privilegia externae sollemnitatis SS. Cordis Iesu et S. Aloisii Gonzaga**.) — 16 iun. 1909. — PER. V, 363.

DECRETUM. (**De rubrica addenda in Missali romano**.) — 14 iul. 1909. — PER. V, 366, 1.

Ordinis Fratrum Minorum. (**Additio ad lectionem VI in officio Dedicationis patriarchalis basilicae B. M. V. Angelorum in Portiuncula.**) — 14 iul. 1909. — Per. V, 366, 2.

Urbis et Orbis. (**Officium et Missa de SS. Perpetua et Felicitate.**) — Per. V, 366, 3, B.

Dioecesium Galliae et Belgii. (**Conceditur officium et missa S. Coletae.**) — 25 aug. 1909. — Per. V, 385, 1; et 413.

Decretum. (**Addenda in breviario et martyrologio.**) — 10 nov. 1909. — Per. V, 385, 2.

Ordinis S. Benedicti Congregationis Bavaricae. (**De calendario loci.**) — 12 nov. 1909. — Per. V, 365.

Ordinis Praedicatorum. (**Concessio officii et missae propriae B. Ioannae d'Arc fratribus Praedicatoribus Galliae et Americae Septemtrionalis.**) — 21 ian. et 9 febr. 1910. — Per. V, 438.

Litterae. (**De rythmo cantus gregoriani.**) — 18 febr. 1910. — Per. V, 413, 6.

Decretum. (**Mutationes in Breviario, Missali et Rituali.**) — 9 mart. 1910. — Per. V, 408.

Ordinis Fratrum Minorum. (**Indultum missae votivae de Assumptione B. M. V.**) — 9 mart. 1910. — Per. V, 413, 8.

S. Christophori de Habana. (**Dubia circa sollemnitatem externam in Dominicam transferendam.**) — 29 apr. 1910. — Per. V, 412.

Annotationes

Uti ex his suppressis decretis patet, in nova collectione relata non inveniuntur, non solum decreta omnia de canonizationibus vel beatificationibus, sed insuper decreta quibus indulta particularia concedebantur, necnon pleraque decreta nova festa vel officia instituentia vel mutationes in Breviario, Missali, Martyrologio introducentia. Tandem non pauca decreta vel dubia fuerunt suppressa, quia aut res sufficienter ex rubricis aut aliis decretis diiudicari potest, aut quia novis rubricis aut decretis erant contraria. Non tamen inde concludi potest decreta omnia quae in collectione sunt relata necessario novis rubricis esse consentanea ; nonnulla enim certo certius eis adversantur quod inde provenire censendum est quia nova collectio iam sub prelo erat quando novae dispositiones fuerunt latae.

I. Pauwels, S. I.

631. — S. CONGR. RITUUM

DECRETUM 11 NOV. 1912.

De iudiciali ordine servando in causis servorum Dei procedentibus per viam casus excepti

(A. A. S. 2 dec. 1912, 4, 705)

Utilitas severitatis in diiudicandis causis. Desideratae cautiones, considerata rei gravitate.

Cum in agendis causis Servorum Dei procedentibus per viam casus excepti vetus disciplina, recte sapienterque constituta, sensim immutata esset, et novus longeque facilior et expeditior ordo introductus; tum f. r. Leo PP. XII (Decret. 20 dec. 1826), tum b. m. Pius PP. IX (Decret. 10 dec. 1868) generalium Decretorum tenorem ac veterem sacrae Congregationis praxim religiosius observari iubentes, obliteratum rigorem, ex parte saltem, in usum revocarunt.

Verum experientia compertum est, in causis huius generis non modo expedire, sed plane necesse esse, ut severitas maxime iudicialis ordinis sancte retineatur et integre: ex quo enim mitigatam formam is ordo suscepit, non satis, iudicio quidem probatorum virorum, illae adhibitae sunt cautiones, quas ad confirmationem cultus, beatificationi aequalem, ipsa rei gravitas monet adhiberi. Neque enim eodem habenda est loco simplex conservatio antiqui et immemorabilis cultus, cuius iudicium pleno iure ad Ordinarios pertinet, atque confirmatio, quae a Sede apostolica petitur: quaeque cum beatificationem exaequet, seu, ut mos fuit maioribus loqui, beatificatio sit aequipollens, Servum Dei, cuius cultus confirmatus fuerit, in insigniori quodam honoris gradu ante fidelium oculos constituit, qui supremo canonizationis honori proximus est.

Quare a S. Pontifice vetus disciplina cum quibusdam additamentis restituitur.

Hisce rebus omnibus SS^mus D. N. Pius Papa X mature perpensis, cum prudentissimis viris collato consilio, huiusmodi causarum veterem disciplinam instaurandam censuit: nonnullis additis praescriptionibus ad eum finem ut confirmatio cultus, quae vim beatificationis habeat, fundamentis semper nitatur idoneae firmitatis.

Intacto iure honorum praesentium, approbatio vel confirmatis cultus haec postulat.

Itaque idem SS^mus Dominus nullum quidem detrimentum afferre intendit iuri Servorum Dei, quos f. r. Urbanus Papa VIII a suis Decretis excepit.

Quatenus vero ipsorum Dei Servorum cultus confirmatio vel approbatio ab apostolica Sede petatur, haec statuit inviolate servanda:

1. Ordo servandus describitur.

1. In omnibus et singulis causis procedentibus per viam casus excepti, abrogato penitus quovis alio iudiciali ordine, ante omnia, more solito, perquirantur diligenterque recognoscantur scripta Servi Dei: tum confecto ab Ordinario processu super fama sanctitatis vitae, virtutum (vel martyrii) et miraculorum, quo respondeatur quaestionibus: « An in loco sit constans et communis fama et persuasio de sancta Servi Dei in terris conversatione (vel de eius martyrio et martyrii causa), necnon de miraculis ad eius intercessionem patratis: an ibidem de praesenti vigeat ipsius S. D. cultus et quibus obsequiis S. D. honoretur »; eoque ad S. Congregationem transmisso et ad normam iuris aperto, proponatur in congregatione ordinaria dubium: *An signanda sit Commissio introductionis*, exquisito in scriptis voto trium consultorum, quorum sententiam S. Rituum Congregationis Secretarius in ipsa congregatione ordinaria referet.

Signata Commissione, expediantur litterae remissoriales ad viros a ipsa S. C. electos, ut, ad tramitem iuris, processus apostolicus instruat super casu excepto et sententia feratur. Processu vero ad sacram Congr gationem transmisso et aperto, atque comparata a causae patrono pos tione cum animadversionibus promotoris S. Fidei et responsionibus ipsi patroni, in ordinaria congregatione proponatur dubium : *An confirmand sit sententia iudicis delegati.*

2. Quid processus demonstrare debeat.

2. Processus probare debet tum cultus initium, tum eius iugem con nuationem usque ad sententiam delegati iudicis.

3. Quo pacto documenta examinentur.

3. Documenta historica manu scripta, autographa tamen et impress cultus antiquitatem eiusque iugem continuationem comprobantia, tran mittantur ad sacram Congregationem, ut a viris peritis examinentur : casu vero quo ad S. C. transmitti nequeant, a peritis S. C. recognos debent ubi asservantur.

Quo pacto ad Decretum perveniatur.

4. Si sententia super casu excepto favorabilis fuerit et a Summo Pon fice approbata, expediantur litterae remissoriales ad processum sup virtutibus vel super martyrio eiusque causa, iuxta diversitatem causarun Quo item ad S. C. transmisso et aperto, eiusque validitate approbata, tribus Congregationibus, nempe antepraeparatoria, praeparatoria et gen rali, proponatur dubium super virtutibus vel super martyrio eiusqu causa, prout fit in causis procedentibus per viam non cultus.

Effectus decreti.

5. Post editum Decretum, si SS^mo placuerit, de heroicitate virtutum v de martyrio, et de cultu immemorabili, Servus Dei dicitur aequipollent beatificatus, et tunc tantum locus fit Officio et Missae, quae concedi n possint nisi iis Servis Dei qui beatificationis vel formalis vel aequipolle tis, uti vocant, honore decorati sint.

Triduana sollemnia quae liceant.

6. Occasione confirmationis cultus, iis quorum interest, primo anno confirmato cultu, inchoando a die editi Decreti, in ecclesia in qua asse vatur Servi Dei corpus, vel ipse Servus Dei peculiari veneratione colitu triduana sacra sollemniter celebrare liceat.

Quid pro canonizatione requiratur.

7. In progressu ad canonizationem omnia pertractentur, ut in caus Servorum Dei procedentibus per viam non cultus : requiruntur ve quattuor miracula post indultam venerationem patrata.

Iussio SS^i.

Atque ita SS^mus D. N. servandum censuit et decrevit, mihique infra cripto Secretario mandavit, ut praesens Decretum in tabulas S. R. Co gregationis referrem et in Actis apostolicae Sedis edi curarem, hac d

Dies (11 nov. 1912).

11 novembris 1912.

Fr. S. Card. Martinelli, *Praefectus.*

† *Petrus La Fontaine, Ep. Charystien., Secret.*

Annotatio

Ex art. 6, observes iam perspicuis verbis concedi facu tatem celebrandi triduana sollemnia intra annum a confirmat cultu computandum.

632. — S. RITUUM CONGR.

RESPONSA 15 NOV. 1912

De unitate calendarii patriae et coloniarum ; ac de commemoratione Apostolorum et Martyrum [1]

Societatis Iesu Provinciae Belgicae

Orator. Hodiernus redactor calendarii Provinciae belgicae S. I. sequentia dubia, annuente Praeposito suo Provinciali, humiliter Sacrae Rituum Congregationi exposuit :

Dubia. I. Ex Decreto « Missionariorum Africae » 1 aprilis 1905 ad I., obligatio celebrandi Festum Dedicationis Ecclesiarum Dominica post Octavam Omnium Sanctorum extenditur ad omnes regiones, decursu temporis, Galliae subiectas ; quaeritur num idem dici debeat de regione Congolensi nunc subiecta Belgio, in quo viget decretum Card. Caprara ?

II. Ex indulto reductionis Festorum 9 aprilis 1802 in Belgio facienda est, nisi in Calendario Dioecesano aliter provisum sit, commemoratio omnium Apostolorum in festo SS. Petri et Pauli, et commemoratio omnium Martyrum in festo S. Stephani protomartyris ; quaeritur :

1. Quaenam in his faciendis commemorationibus adhibenda sint in Belgio antiphona, versus et oratio ?

2. Num illae commemorationes faciendae sint in regione Congolensi Belgio subiecta ?

3. An illa commemoratio ponenda sit statim post orationem diei et ante alias commemorationes ?

Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito Commissionis Liturgicae suffragio, reque sedulo perpensa, rescribendum censuit :

Responsa. Ad I. Affirmative.

Ad II. Quod ad primam partem : Quae adhibentur a Clero saeculari loci.

Quod ad secundam partem : affirmative.

Quod ad tertiam partem : affirmative iuxta decretum n. 4059 Lauden. 17 iun. 1900 ad I.

Dies (15 nov. 1912). Atque ita rescripsit die 15 novembris 1912.

Fr. S. Card. MARTINELLI, *Praef.*

Petrus La Fontaine, Episc. Charystien., Secret.

ANNOTATIONES

1. Ex repetita hac responsione concludere iam possumus officia alicui regioni praeceptiva ad eiusdem regiones colonias extendi, etiam si illae coloniae subsequenti tantum tempore huic regioni subici inceperint.

---

[1] Ex rescripto authentico.

2. Difficultatem facescere possunt verba quae in secundo dubio leguntur : *nisi in Calendario dioecesano aliter provisum sit*. In Indulto enim reductionis festorum haec commemoratio absolute praecipitur, sine ulla restrictione. Ac verba ista sunt ab ipsa S. Congregatione in supplici libello inserta. Verum cum binae Belgii dioeceses preces modo porrexissent ut commemoratio ista e suo calendario demeretur, S. Rituum Congregatio mentem ad preces istius modi audiendas propensam prodere voluisse videtur. Re vera enim dioecesi cum Mechliniensi tum Tornacensi gratiam istam concessam iam esse modo accepimus. Quam facilitatem probe intellegeret quisquis consideret commemorationes ad supplendam festorum celebrationem inductas esse, hodie autem festa Apostolorum et Martyrum ubique suppressa esse.

Sed enim addita verba hanc utilitatem habent ut nos doceant Congolensem coloniam lege belgica teneri quamvis in variis Belgii dioecesibus lex ista suppressa sit. Quare etiam si omnes dioeceses Belgii gratiam impetraverint quae modo Mechliniensi et Tornacensi facta est, obligatio commemorandi Apostolos et Martyres manebit in Congolensi colonia, donec vel diserte pro ista vel pro Belgio ut sic dispositione formaliter universali, suppressa non sit.

---

633. — S. C. PRO NEGOTIIS ECCLESIASTICIS EXTRAORDINARIIS

DECLARATIO 29 NOV. 1912

De quibusdam libellis in hispania editis

(A. A. S. 2 dec. 1912, 4, 707)

Ex audientia SSmi die 29 novembris 1912

De quibusdam libellis **quaeritur** *num cum mente S. Sedis congruant.*

Cum a sacra Congregatione pro Negotiis ecclesiasticis extraordinariis quaesitum sit, utrum sententiae et conclusiones quae in libellis « ¿ Se « puede, en conciencia, pertenecer al partido liberal-conservador ? — « Cartas á un joven católico por el Magistral de Sevilla » et « ¿ Cuál « es el mal mayor y cuál el mal menor ? por el Magistral de Sevilla » (Bilbao : Imp. y Enc. de la Editorial Vizcaina), aliisque id genus scripti eiusdem auctoris exponuntur, plane congruant cum mente sanctae Sedis beatissimus Pater, referente me infra scripto memoratae sacrae Congregationis Pro-Secretario, omnibus sedulo perpensis, responderi iussit Negative, quin etiam eas in pluribus repugnare ut verbo ac litterae ita sensui documentorum sanctae Sedis, ac praesertim Normis, ipsius Sanctitatis Suae mandato, traditis in epistola Emi Cardinalis a Secretis Status ad Emum Cardinalem Archiepiscopum Toletanum diei XX aprilis superioris anni ; quae quidem Normae in se plene ac perspicue complectuntur doctrinas cum Pontificiis Litteris *Inter catholicos* diei XX februari

Respondetur *Negative. Indicantur documenta quae adeunda sunt.*

MDCCCCVI, tum ceteris sanctae Sedis hac de re Actis contentas, et ab omnibus catholicis Hispaniae religiose inviolateque servari debent.

Iussio S. Pontificis.

Et ita Sanctitas Sua rescribi et publicari mandavit, contrariis quibuslibet minime obfuturis.

Dies (29 nov. 1912.)

Datum Romae, e Secretaria eiusdem sacrae Congregationis, die, mense et anno praedictis.

Eugenius Pacelli, Pro-Secretarius.

---

634. — SS. D. N. PII PP. X [1]

MONITUM

De quibusdam ephemeridibus (A. A. S. 2 dec. 1912, 4, 695)

Declarationis ratio ac tenor.

A togliere l'equivoco che certi giornali vanno creando in mezzo al clero ed ai fedeli, si dichiara che la santa Sede non riconosce per conformi alle direttive pontificie ed alle norme della Lettera di Sua Santità all'Episcopato Lombardo, in data del 1° Luglio 1911, i giornali seguenti: L'AVVENIRE D'ITALIA, IL MOMENTO, IL CORRIERE D'ITALIA, IL CORRIERE DI SICILIA, L'ITALIA, ed altri dello stesso genere, checchè ne sia delle intenzioni di alcune egregie persone che li dirigono ed aiutano.

---

635. — FACULTATES MATRIMONIALES PRAESULIBUS CONGOLENSIBUS CONCESSAE

Disparitas cultus

1. Dispensandi cum Catholicis sibi subditis, urgentissimis dumtaxat accedentibus causis, et pro casibus in quibus tempus non suppetat recurrendi ad S. Sedem, super impedimento disparitatis cultus, quatenus sine contumelia Creatoris fieri possit, et dummodo cautum omnino sit condicionibus ab Ecclesia praescriptis ac praesertim de amovendo a coniuge fideli perversionis periculo, deque conversione coniugis infidelis pro viribus curanda, ac de universa prole utriusque sexus in Catholicae religionis sanctitate baptizanda et omnino educanda, servata in reliquis instructione typis impressa.

Mixta religio.

2. Dispensandi cum iisdem Catholicis, iustis tamen gravibusque accedentibus causis, super impedimento impediente mixtae Religionis, dummodo cautum omnino sit condicionibus ab Ecclesia praescriptis prout in superiori N. I.

Consanguinitas et Affinitas.

3. Dispensandi cum Catholicis sibi subditis, iustis tamen gravibusque accedentibus causis, super secundo gradu simplici consanguinitatis et affinitatis in linea collaterali aequali.

---

[1] ACTA APOSTOLICAE SEDIS imitati, ad S. Pontificem ascribimus declarationem istam, quae nullo nomine subscribitur. Sic autem latine reddi potest: Ut ambiguitatem tollamus quam ephemerides quaedam apud clerum et fideles generant, declaratur a S. Sede non agnosci conformes directionibus pontificiis et normis litterarum quas SS. Dominus episcopis Longobardiae 1 iul. 1911 dedit, sequentes ephemerides: L'AVVENIRE D'ITALIA, IL MOMENTO, IL CORRIERE D'ITALIA, IL CORRIERE DI SICILIA, L'ITALIA et alias eiusdem generis, quaecumque intentiones sint quarundam egregiarum personarum a quibus diriguntur et adiuvantur.

4. Dispensandi cum memoratis Catholicis pro casibus urgentis necessitatis, et gravata super hoc eius conscientia, in primo gradu affinitatis ex copula licita provenientis in linea collaterali.

5. Dispensandi cum iisdem Catholicis, quatenus concurrat necessitas, et pro casibus in quibus tempus non suppetat recurrendi ad S. Sedem, super secundo affinitatis vel consanguinitatis collateralis gradu mixto cum primo.

Cognatio spiritualis. 6. Dispensandi cum Catholicis praedictis super impedimento cognationis spiritualis inter levantem et levatum.

Affinitas. 7. Dispensandi in casibus sive publicis sive occultis super primo et secundo gradu simplici et mixto affinitatis ex copula illicita provenientis, in linea sive collaterali sive etiam recta, in matrimoniis contractis, dummodo, si de linea recta agatur, nullum subsit dubium quod coniux possit esse proles ab altero contrahentium genita ; in contrahendis vero urgente tantum necessitate, et si tempus non suppetat recurrendi ad S. Sedem.

Banna. 8 Dispensandi super promulgatione bannorum, iusta occurrente causa.

Interpellatio. 8bis. Ex audientia Fer. V die 15 dec. 1910.

... Praefectus Apostolicus Orator dispensare valeat, ad quinquennium, cum gentilibus et infidelibus plures uxores habentibus, ut post conversionem ad baptismum, quam ex illis maluerint, si etiam ipsa fidelis fiat, ipsi retinere possint, nisi prima voluerit converti ; item ad quinquennium dispensare valeat, super interpellatione coniugum in infidelitate relictorum pro omnibus casibus ordinariis, servatis de iure servandis ; et insuper pro viginti casibus extraordinariis quando nempe adiri quidem potest coniux infidelis, sed de comparte iam facta christiana interpellari nequit sine evidenti gravis damni ei vel christianis inferendi periculo. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Sanatio in radice. 9. Sanandi in radice matrimonia contracta quando comperitur affuisse impedimentum dirimens, super quo ex Apostolicae Sedis indulto dispensare ipse possit, magnumque fore incommodum requirendi a parte innoxia renovationem consensus, monita tamen parte conscia impedimenti de effectu huius sanationis.

Subdelegatio. 10. Communicandi praedictas facultates suis Missionariis.

---

636. — S. RITUUM CONGREGATIONIS

NORMAE APPROBANDI PARTICULARIA ORDINUM CALENDARIA

Sancti Ordine. « 1° Celebrari pergent festa omnium Sanctorum et Beatorum Ordinis, quae Officium et Missam approbata habent.

Festa particularia. « 2° Concedetur, ut festa quoque particularia Domini nostri, B. Virginis et Sanctorum vel Beatorum celebrentur, de quibus ostendi possit ipsa artissimam habere cum Ordine necessitatem.

« 3° Non concedetur, ut festa particularia regionum, aut dioecesium, in quibus Ordinis domicilia inveniuntur, celebrentur, illis exceptis quae a Rubricis Generalibus indicantur et praescribuntur.

Ritus festorum. « 4° Ad ritum quod attinet, ritus 1 classis non concedetur nisi solum Fundatori, Titulari ecclesiarum Ordinis et Dedicationi anniversiae earundem ; ritus duplex 2 classis Sanctis illius Ordinis maxime praecipuis. Octavae autem non nisi duplicibus primae classis concedentur. »

DECRETA SUMMATIM RELATA

637. — *SS. D. N. PII PP. X*

A. *Erigitur dioecesis Hadju-Doroghensis ritus graeci catholici in Hungaria* (A. A. S. 1 iul. 1912, 4, 429).

Erectio dioecesis.

Apostolicis sub plumbo litteris, 8 iunii 1912, constituitur dioecesis ritus graeci catholici in Hungaria e paroeciis, quarum incolae fere omnes hungarice loquuntur et sunt ritus graeci. Harum non nullae localiter prorsus discretae sunt a reliquis. Lingua liturgica huius novae dioecesis est graeca antiqua, vetita prorsus hungarica lingua. Conceditur Francisco Iosepho, Hungariae regi apostolico, eiusque successoribus, ius « Romano Pontifici nominandi seu praesentandi ad Hadju-Doroghensem ecclesiam dignum ecclesiasticum virum,... ab eodem Pontifice in episcopum praeficiendum ». Dioecesis subicitur S. Congregationi de Propaganda Fide pro negotiis Rituum Orientalium simulque suffraganea constituitur archidioecesis latini ritus Strigoniensis. Adduntur clausulae derogatoriae amplissimae.

B. *Transfertur paroecia S. Mariae a Rosario et erigitur nova paroecia S. Ioseph ad Viam Triumphalem* (A. A. S. 1 iul. 1912, 4, 436).

Translatio et erectio paroeciae.

Apostolicis sub plumbo litteris « nono Kalendas iunias » 1912, ad commoditatem fidelium transfertur ius parochiale ab aede in monte Martis sita ad novum templum S. Mariae a Rosario ; huiusque paroeciae pars erigitur in novam paroeciam S. Ioseph, cui attribuntur reditus et bona exstinctae paroeciae S. Marcelli.

C. *Paroeciae novae instituendae in agro Romano* (A. A. S. 1 iul. 1912, 4, 437).

Erectio paroeciarum.

Apostolicis sub plumbo litteris « nono Kalendas iunias » 1912, crescente numero fidelium in agro Romano, potestas fit Em. Cardinali Vicario constituendi successive et definiendi sex novas paroecias.

D. *Erigitur in archisodalitatem consociatio B. V. Immaculatae sub titulo Cleri Reginae* (A. A. S. 1 iul. 1912, 4, 439).

Erectio archisodalitatis.

Litteris apostolicis 21 maii 1912, S. Pontifex erigit in archisodalitatem, cum facultate ubivis aggregandi, consociationem B. V. Mariae, in templo parochiali S. Nicolai *du Chardonnet* in civitate Parisiensi constitutam sub titulo Reginae Cleri.

E. *Erigitur in Vicariatum Praefectura Insularum Salomonicarum Meridionalium* (A. A. S. 1 iul. 1912, 4, 440).

Erectio vicariatus.

Litteris apostolicis 1 iun. 1912, S. Pontifex Praefecturam Insularum Salomonicarum Meridionalium, mutatis finibus, erigit in Vicariatum.

F. *Uni Cardinali Titulari tribuuntur reditus diaconiae S. Caesarei in Palatio* (A. A. S. 15 iul. 1912, 4, 469).

Attributio fructuum.

Apostolicis sub plumbo litteris 30 nov. 1911, S. Pontifex revocat privilegium quo reditus diaconiae S. Caesarei in Palatio partim concessi fuerant Collegio a Clemente VIII condito, eosque simulque cum plenaria administratione praefatae diaconiae tribuit Cardinali Titulari van Rossum.

Utile etiam est idem monumentum ad docendum nos quaenam iura Cardinales in suos titulos vel diaconias per se possideant.

G. *Definitur formula diplomatis tribuendi a Pontificio Instituto Biblico* (A. A. S. 15 iul. 1912, 4, 471).

Formula diplomatis.

Die 2 iunii, in epistula ad R. P. Fonck, Pontificii Instituti Biblici praesidem, S. Pontifex determinavit formulam diplomatis tribuendi ab eodem Instituto, auctoritate apostolica, discipulis optime meritis, ut sequitur :

« Cum R. D.... condicionibus omnibus a legibus Pontificii Instituti Biblici requisitis satisfecerit et legitimis Doctorum suffragiis in triplici doctrinae experimento.... probatus fuerit, vi facultatum ab Apostolica Sede Nobis concessarum, ipsum lectorem seu professorem Sacrae Scripturae declaramus et pronunciamus, eidemque authenticum documentum hisce concedimus testimonialibus litteris, sigillo Instituti ac Praesidis subscriptione munitis ».

Ex hac formula ita concinnata « hoc etiam sequetur commodi ut qui diplomate aucti sint, docendo, scribendo sibi viam muniant ad academicos gradus, quos conferendi uni Pontificia Commissioni Biblicae ius potestatemque reservamus ».

H. *Erigitur novus Vicariatus Ce-Li in Sinis* (A. A. S. 31 iul. 1912, 4, 489).

Erectio Vicariatus.

Litteris apostolicis 27 apr. 1912, S. Pontifex in novum Vicariatum apostolicum Ce-Li maritimi erigit partem Vicariatus Pekinensis.

I. *Sanctuarium S. Mariae ad vallem Suppentoniam erigitur in Basilicam minorem* (A. A. S. 31 aug. 1912, 4, 553).

Erectio basilicae.

Motu proprio 15 aug. 1912 S. Pontifex sanctuarium S. Mariae ad Rupes erexit in basilicam minorem.

K. *Constituitur Episcopus Ritus Rutheni in regione Canadensi* (A. A. S. 31 aug. 1912, 4, 555).

Constituitur Episcopus cum iurisdictione personali.

Litteris apostolicis 15 iul. 1912, S. Pontifex constituit Episcopum Ritus Rutheni, cum iurisdictione personali in omnes fideles eiusdem ritus in regione Canadensi, sub dependentia dumtaxat Delegati Apostolici.

L. *Conceduntur indulgentiae recitantibus preces in honorem Virginis Guadulupensis* (A. A. S. 15 oct. 1912, 4, 641.)

Indulgentiae.

Litteris apostolicis 7 sept. 1912, S. Pontifex fidelibus Reipublicae Mexicanae, recitantibus preces iaculatorias in honorum B. Virginis Guadulupensis, partiales indulgentias concessit.

M. *Erigitur in archisodalitatem Sodalitas S. Catharinae.* (A. A. S. 2 dec. 1912, 4, 689.)

Erectio archisodalitatis.

Litteris apostolicis 30 oct. 1912, S. Pontifex sodalitatem S. Catharinae, sub patrocinio D. N. Matris Bonorum Studiorum Parisiis erectam, constituit archisodalitatem cum facultate aggregandi ubique terrarum.

N. *Promulgatur novus textus Catechismi.* (A. A. S. 2 dec. 1912, 4, 690.)

Catechismus Romanus.

Litteris 18 oct 1912 ad S. Card. Respighi, S. Pontifex novum textum Catechismi approbat ac in tota provincia ecclesiastica Romana tradi praecipit ; simul exoptans ut in aliis dioecesibus Italiae adoptetur.

O. *Alloquitur S. Pontifex sacerdotes « Unionis apostolicae ».* (A. A. S. 2 dec. 1912, 4, 693.)

Allocutio.

Die 18 nov. 1912 S. Pontifex adhortatus est sacerdotes « Unionis apostolicae » semper accurate Statuta Unionis servare et omnes confratres praeire exemplo amoris genuini erga S. Sedem. « Per amarlo basta riflettere chi è il Papa. Il Papa è il guardiano del dogma e della morale ; è il depositario dei principi que formano onesta la famiglia, grandi le nazioni, sante le anime ; è il consigliere dei principi e dei popoli ; è il capo sotto del quale nessuno sentesi tiranneggiato, perche rappresenta Dio stesso ; è il padre per eccellenza che in se riunisce tutto che vi può essere di amorevole, di tenero, di divino. »

Quid sit Papa.

Quomodo Papa amandus sit.

Tradita pulcherrima ista Papae definitione, SS^us^ D^nus^ signa quibus Papa amari demonstretur haec indicavit : « Quando si ama il Papa, non si fanno discussioni intorno a quello che Egli dispone od esige, o fin dove debba giungere l'obbedienza, ed in quali cose si debba obbedire ; quando si ama il Papa, non si dice che non ha parlato abbastanza chiaro, quasi che Egli fosse obbligato di repetere all'orecchio d'ognuno quella volontà chiaramente espressa tante volte non solo a voce, ma con lettere ed altri pubblici documenti ; non si mettono in dubbio i suoi ordini, adducendo il facile pretesto di chi non vuole ubbidire, che non è il Papa che comanda, ma quelli che lo circondano ; non si limita il campo in cui Egli possa e debba esercitare la sua autorità ; non si antepone alla autorità del Papa quella di altre persone per quanto dotte che dissentano dal Papa, le quali se sono dotte non sono sante, perchè chi è santo non può dissentire dal Papa.

Inoboedientes sacerdotes esse dolet.

« È questo lo sfogo di un cuore addolorato, che con profonda amarezza faccio non per voi, diletti confratelli, ma con voi per deplorare la condotta di tanti preti, che non solo si permettono discutere e sindacare i voleri del Papa, ma non si vergognano di arrivare alle impudenti e sfacciate disubbidienze con tanto scandalo dei buoni e con tanta rovina delle anime. »

638. — *S. CONGR. INDICIS*

Declarationes subiectionis. (A. A. S. 1 iul. 1912, 4, 445 et 15 iul. 1912, 4, 474).

Ex litteris R^mi^ Secretarii, Thomae Esser, O. P. 15 iun. et 8 iul. 1912 novimus R^m^ E. Th. de Cauzons (abbé Thomas) et Aloisium Iszóf, decreto 6 maii 1912 opera proscribenti, se laudabiliter subiecisse.

639. — *S. C. S. OFFICII*

(*Sectio de indulgentiis*)

Summarium indulgentiarum et privilegiorum archiconfraternitatis Doctrinae christianae in ecclesia S. Mariae de Planctu, Urbis, erectae. (A. A. S. 16 sept. 1912, 4, 587).

Approbatur summarium, exclusis aliis indulgentiis ac privilegiis.

Ex audientia SSi 6 iun. 1912, approbatur Summarium indulgentiarum ac privilegiorum quibus archiconfraternitas Doctrinae christianae, in ecclesia Urbis, S. Mariae de Planctu, a variis SS. Pontificibus ornata est. Sanctitas sua simul mandavit ne aliis indulgentiis ac privilegiis dicta Archiconfraternitas uteretur. Idque contrariis quibuscumque non obstantibus.

640. — *S. CONGR. DE PROPAGANDA FIDE*

A. *Fines Praefecturae apostolicae de Zambese innovantur* (A A. 15 iul. 1912, 4, 473.

Immutatio finium.

Decreto 28 iun 1912 fines Praefecturae apostolicae de Zambese et contermini Vicariatus Nyassae, ad opportuniorem determinationem, tantisper ad orientem innovantur.

B. *Constituitur Praefectura Apostolica de Nygata* (A. A. S. 31 aug. 1912, 4, 566).

Constituitur Praefectura.

Decreto 31 aug. 1912, constituitur Praefectura Apostolica de Nygata, in Iaponia, detractis partibus ex dioecesibus Hacodatensi, Tokiensi, Osachensi ; commititur Societati Verbi Divini « de Steyl ».

641. — *S. CONGR. RITUUM*

A. *Causa beatificationis.*

Introductio causae.

Die 10 iul. 1912 signata est Commissio introductionis causae Beatificationis Ven. Luciae Filippini fundatricis Instituti Magistrarum piarum ab eius nomine nuncupatarum (A. A. S. 31 iul. 1912, 4, 500).

B. *Quaedam prolata a Sacerdote S. Ruschitzka commentitia esse declarantur* (A. A. S. 15 nov. 1912, 4, 669.)

Monitum de falsis rumoribus.

Sacerdos Sigismundus Ruschitzka, degens in Ursberg in Bavaria, vulgavit « Missalia alia approbata esse tantum pro Urbe, alia pro ceteris dioecesibus », et suadere conatur nomina Imperatorum etc. inserenda in Canone Missae, etc. Quae omnia ementita et incongrua declarantur.

642. — *SACRA ROMANA ROTA*

Dismembratio.

A. Die 2 apr. 1912, S. Romana Rota in causa Sedunen. Dismembrationis paroeciae, instantibus non nullis incolis loci Balen adversus Ill. Episc. Iulium Abbet, statuit sustineri fundationem paroeciae cum delimitatione ab Episcopo facta (A. A. S. 1 iul. 1912, 4. 450).

Nullitas matrimonii propter vim et metum.

B. Die 1 maii 1912, S. Romana Rota in causa Transylvanien. Nullitatis matrimonii, inter Barbaram Peter et Ioannem Nagy, statuit constare de nullitate matrimonii ex capite vis et metus (A. A. S. 15 iul. 1912, 4, 474).

C. Die 12 mart. 1912, S. Romana Rota in causa Tarvisin. Nullitatis matrimonii, inter Angelam Berengam et Angelum Caberlotto, statuit constare de nullitate matrimonii ex capite vis et metus (A. A. S. 31 iul. 1912, 4, 503). *Nullitas matrimonii propter vim et metum.*

D. Die 30 apr. 1912, S. Romana Rota in causa Westmonasterien. Proprietatis inter Henricam ducissam de Newcastle et Ordinem FF. Minorum S. Francisci, statuit fundum de quo ambigebatur (propter dubium circa intentionem in donatione) exclusive competere ad Ordinem FF. Minorum (A. A. S. 16 aug. 1912, 4, 539). *Proprietas.*

E. Die 31 maii 1912. S. Romana Rota in causa appellationis Colonien. seu Monasterien. Suspensionis et iurisdictionis, inter Officialatum Colonien. appellantem et sacerdotem I. Schmelcher appellatum, confirmavit priorem sententiam rotalem et statuit constare de legitima moderatione condemnationis sacerdotis Schmelcher facta per sententiam Monasterien. — In hac causa fuse exponitur quomodo recusetur iudex ecclesiasticus iuxta praxim vigentem; habet proinde momentum non exiguum (A. A. S. 16 sept. 1912, 4, 591). *Exceptio contra iudicem; appellatio.*

F. Die 10 iun. 1912, S. Rom. Rota in causa Colonien. Nullitatis matrimonii, inter Ant. Hospelt (instantem pro appellatione adversus sententiam rotalem) et Ludovicam Bernardth, statuit non constare de nullitate matrimonii, cum non probaretur consensum datum in contrahendo matrimonio civili (non vigente impedimento clandestinitatis) non fuisse maritalem (A. A. S. 30 sept. 1912, 4, 629.) *Nullitas matrimonii ob consensum in matrimonium mere civile.*

G. Die 28 iun. 1912, S. Rom. Rota in causa Lugdunen. Nullitatis matrimonii, inter Felicem Rognin et Iuliam Saillet, statuit non constare de nullitate matrimonii ex capite vis et metus (A. A. S. 15 oct. 1912, 4, 646.) *Nullitas matrimonii ob vim et metum.*

H. Die 1 iul. 1912, S. Rom. Rota in causa Colonien. Nullitatis matrimonii, inter Alvinam Laube et Amadeum Ziebe, statuit, reformans sententiam Curiae Coloniensis, non constare de nullitate matrimonii ex capite vis et metus (A. A. S. 15 nov. 1912, 4, 670.) *Nullitas matrimonii ob vim et metum.*

I. Die 17 iul. 1912, S. Rom. Roma in causa Gratianopolitana. Nullitatis matrimonii, inter Mariam Reynier et Marcellum de Chalonge, statuit, reformans sententiam Curiae Gratianapolitanae, non constare de nullitate matrimonii ex capite clandestinitatis (A. A. S. 15 nov. 1912, 4, 675.) *Nullitas matrimonii ob clandestinitatem.*

K. Die 10 aug. 1912, S. Rom. Rota in causa Massilien. Nullitatis matrimonii, inter Iosephum Castagnier appellantem et Agnetem Monier, statuit non constare de nullitate matrimonii, neque ex capite vis et metus, neque ex defectu consensus matrimonialis (A. A. S. 2 dec. 1912, 4, 708.) *Nullitas matrimonii.*

643 — *SIGNATURA APOSTOLICA*

A. Die 26 iul. 1912, Signatura apostolica in causa Melevitana, Funerum seu Nullitatis Sententiae Rotalis, inter Capitulum Ecclesiae B. M. Virginis Immaculatae in civitate « Cospicua » et Vicarium eiusdem Ecclesiae, statuit circumscribendam esse sententiam Rotalem (quae favebat Vicario Curato) ad tramitem legis particularis quae statuta erat in hac ecclesia a Pio VIII et a Pio IX. *Funera.*

I. Salsmans, S. I.

BIBLIOGRAPHIA [1]

Scripturistica, Dogmatica, Ascetica et Mystica

Augustin Arndt, S. J. *Die unvollkommene Reue nach den Lehrbestimmungen des Tridentiner Konzils*. Paderborn, Bonifacius-Druckerei, 1912, in-8°, 188 ss.

I. La contrition imparfaite d'après le concile de Trente.

II. Nature de la contrition imparfaite.

Jean-Pierre Bock, S. J. *Le Pain quotidien du Pater* Contribution à l'intelligence de cette prière et des questions patristiques et liturgiques qui s'y rapportent. Traduction française par A. Villien. Paris, Lethielleux (1912), in-8°, XII-500 p.

1e p. Le demande du « Paiu quotidien » considérée au point de vue exégétique.

2e p. Le « Panem nostrum » au point de vue patristique.

3e p. Le « Panem nostrum » dans la liturgie et la doctrine officielle de l'Eglise.

R. P. Joseph Calot, S. J. *Le Cœur de Jesus et l'Eucharistie*. Comment l'Apostolat de la prière conduit de l'un à l'autre. Rapport présenté au Congrès eucharistique de Vienne 1912. Tournai et Toulouse, Apostolat de la prière (1912), in-18, 19 p.

Joseph Maréchal (S. J.). *Sur quelques traits distinctifs de la mystique chrétienne*. (Extrait de la Revue de Philosophie). Paris, Rivière, 1912, gr. in-8°, 75 p.

1e p. Phénoménologie générale de la vie mystique : méthodologie ; — l'unité formelle de la vie psychologique ; — sur le chemin de la mystique. Les étapes de la vie spirituelle.

2e p. Le problème de l'extase : différentes solutions.

3e p. Ontologie et théologie de la mystique chrétienne : les données intégrales du problème ; — quelques caractères essentiels de la mystique chrétienne.

Charles Plater, S. J. *Retreats for the people*. A sketch of a great revival. London and Edinburgh, Sands ; St Louis, Herder, 1912, in-8°, XV-293 p.

Nécessité ; — origine ; — réviviscence récente : France, Belgique, Hollande, Allemagne, Espagne, Italie, Grande-Bretagne, Irlande, Etats-Unis, Canada, etc. ; — opinions ; — retraites pour femmes et enfants ; — méthodes et moyens ; — organisation subséquente ; — résultats sociaux ; — bibliographie.

---

[1] Tous les ouvrages cités dans la Bibliographie sont en vente chez M. Beyaert, Librairie, Bruges.

(**Sine nomine**) *Le Saint Evangile de N. S. Jésus-Christ et les Actes des Apôtres.* Nouvelle traduction approuvée avec notes. Lyon, Association catholique pour l'édition et la diffusion des Saints Evangiles, 1910, in-32, XX-492 p.

Apologeticum

Severino Aznar. *Ordenes monásticas. Institutos misioneros.* (Las grandes Instituciones del Catolicismo). Madrid, Gabriel López del Horno, 1912, in-16, 413 p.

1e p. Les Bénédictins ; — les Cisterciens ; — les Chartreux ; — importance numérique des instituts de moines ; — le travail industriel dans les couvents ; — les religieuses contemplatives ; — l'oisiveté et l'inutilité des ordres contemplatifs.

2e p. Les Dominicains ; — les Franciscains ; — les Carmes déchaussés ; — les Augustins ; — les Capucins ; — les Jésuites ; — les religieux de St Vincent de Paul ; — les Rédemptoristes ; — les Passionistes ; — les Fils du Cœur de Marie ; — les Missionnaires ; — le Missionnaire comme agent de civilisation.

Canonica et Iuridica

H. de Hoon. *De l'état de nécessité en droit pénal et civil.* (Extrait de la Revue de droit belge). Bruxelles, Bruylant, 1911, gr. in-8o, 51 p.

Du caractère de l'état de nécessité. — De la contrainte morale opposée à l'état de nécessité. — De la législation ancienne. — Des diverses théories de la nécessité. — Des atteintes portées aux personnes et à l'ordre public. — Des atteintes au droit de propriété d'autrui. — Conclusion.

Gaston Kisselstein (R. D.). *Les dons et legs aux fabriques d'églises paroissiales en Belgique.* Étude juridique. (Université catholique de Louvain. Dissertations doctorales de la faculté de théologie. IIe série, tome V). Louvain, Van Linthout ; Paris, Giard et Brière, 1912, in-8o, XXXII-585 p.

Intr. : Les libéralités en faveur des établissements ecclésiastiques avant la révolution française.

1e p. Valeur de la législation civile sur les libéralités aux fabriques d'églises.

2e p. La compétence des fabriques d'églises en matière de libéralités.

3e p. Le régime légal des libéralités pieuses.

App. : La législation canonique.

Isidore Maus. *Commentaire législatif de la loi du 15 Mai 1912 sur la protection de l'enfance.* (Ministère de la Justice). Bruxelles, Larcier ; Paris, Larose et Tenin, 1912, gr. in-8o, III-589 p.

I. Texte de la loi.

II. Travaux préparatoires.

III. Commentaire.

Arthur Oliviers. *Histoire du droit — droit comparé ?* (Extrait du Journal des Tribunaux, Mars 1910), gr. in-8o, 14 p.

Fr. **Paulo Stein,** O. F. M. *Tractatus de indulgentiis lucrandis.* Heythuysen, Beijnsberger, 1912, in-8o, 67 p.

I. De indulgentiis in genere : conditiones ; — opera praescribi solita ; — authenticitas.

II. De quibusdam indulgentiis in specie : Altare privilegiatum et Missae Gregorianae ; — S. Via Crucis et Crucifixus Viae Crucis ; — Actus heroicus caritatis ; — de indulgentiis realibus generatim ; — de rosariis ; — de scapularibus ; — de indulgentia plenaria in articulo mortis ; — de indulgentiis trium Ordinum S. Francisci.

(**Sine nomine**) *Encyclique « Auspicato » et Constitution « Misericors » de S. S. le Pape Léon XIII sur le Tiers-Ordre Franciscain*, précédées du plan de l'Encyclique. Louvain, Wouters-Ickx (1912), in-18, 35 p.

Plan de l'Encyclique : 1) Saint François a sauvé la Société de son temps ; — 2) Saint François par ses institutions peut sauver la Société actuelle.

Encyclique « Auspicato ».

Constitution « Misericors ».

App. : Extrait de l'Encyclique « Humanum genus » contre la Franc-Maçonnerie.

Moralia

Dr **Simon Deploige** (R. D.). *Le conflit de la Morale et de la Sociologie.* (Bibliothèque de l'Institut supérieur de Philosophie). 2e éd. Louvain, Institut supérieur de Philosophie ; Paris, Alcan, 1912, in-8o, XVI-424 p.

Ch. I. Critique de la philosophie morale.

Ch. II. La conception sociologique de M. Durkheim.

Ch. III. La science des mœurs et l'art moral.

Ch. IV. La genèse du système de M. Durkheim.

Ch. V. Le réalisme social.

Ch. VI. Délimitation du conflit.

Ch. VII. Vers la solution.

Ch. VIII. Conclusion.

Dr **A. Knoch** (R. D.). *L'éducation de la chasteté.* Nouv. éd. Paris, Téqui ; Liége, Revue ecclésiastique, 1912, in-8o, 100 p.

I. Les ennemis modernes de la chasteté.

II. Chasteté chrétienne et code mondain.

III. A. La formation d'une jeunesse pure.

B. L'enseignement de la chasteté.

Dr **A. Knoch** (R. D.). *L'onanisme conjugal et le tribunal de la Pénitence.* 3e éd. Paris, Magnin ; Liége, Dessain, 1912, in-8o, 68 p.

I. Le fléau de l'onanisme conjugal : l'existence du mal et sa gravité actuelle ; — ses causes ; — ses différentes formes.

II. L'onanisme au tribunal de la Pénitence : la bonne foi chez les onanistes ; — faut-il éclairer les pénitents de bonne foi ? — faut-il interroger ceux qui n'ont pas accusé le péché d'onanisme ? — la manière de traiter les pénitents onanistes ; — la coopération à l'onanisme conjugal.

App. : Episcoporum Belgii instructiones.....

A. Vanderpol. *La Guerre devant le Christianisme* (suivi d'une traduction du « De iure belli » de François de Victoria). Paris, Tralin, (1911), in-16, 282 p.

I. La Guerre et le Nouveau Tastament

II. La Guerre et les chrétiens des trois premiers siècles.

III. La doctrine scolastique de la guerre.

IV. Les théologiens des trois derniers siècles.

App. : Note sur les guerres mentionnées dans l'Ancien Testament. De iure belli.

Socialia

Mlle Victoire Cappe. *La femme belge.* Education et action sociales. Rapports et documents. Avec une lettre-préface de S. E. le Cardinal Mercier. Louvain, Bibliothèque de la Revue Sociale catholique (1912) in-8°, XIII-326 p.

1e p. Idées et initiatives.

2e p. Notes et documents.

Georges Chatterton-Hill, Ph. D. (vir catholicus.) *The Sociological value of christianity.* London, Black, 1912, in-8°, XXII-285 p.

R. P. Rutten, O. P. *Rapport général sur le mouvement syndical chrétien en Belgique.* (Secrétariat général des Unions professionnelles chrétiennes). Gand, Het Volk, 1912, gr. in-8°, 44 p.

Ch. 1. Liste des syndicats par arrondissement administratif.

Ch. 2. La protection légale du travail à domicile.

Ch. 3. L'article 310.

Conclusions.

Ex Periodicis

Le Canoniste Contemporain. Mai 1912. **A. Boudinhon.** Encore le privilège du for et l'excommunication. **A. Villien.** Le décret *Maxima Cura* et le déplacement des Curés. Acta S. S. — Juin 1912. **A. Villien.** Le décret *Maxima Cura* et le déplacement des Curés. **F. Nau.** La version syriaque de l'Octateuque de Clément, sixième livre. Acta S. S. — Juillet-Août 1912. **A. Boudinhon.** L'histoire du secret de la Confession, d'après une étude récente. **A. Villien.** Le décret *Maxima Cura* et le déplacement des Curés (fin). **F. Nau.** La version syriaque de l'Octateuque de Clément. Acta S. S. — Septembre-Octobre 1912. **A. Villien.** La procédure canonique pour l'expulsion des religieux. **A. Boudinhon.** Les nouveaux décrets de la S. C. des Rites. Acta S. S. — Novembre 1912. **A. Boudinhon.** L'histoire du secret de la Confession, d'après un livre récent (suite). **A. Boudinhon.** Une dispense d'affinité au premier degré en ligne directe. Acta S. S.

Collationes Brugenses. Decembris 1912. Decreta authentica Congr. S. S. Rituum ad musicam spectantia.

Collationes Gandavenses. Iulii 1912. Quaedam de Rubricis... ad normam bullae « Divino Afflatu ». — Le péché originel et l'Épître aux Romains, V, 12 sq.

Ilustracion del Clero. 16 Mayo 1912. **Eulogio Nebreda**, C. M. F. La institucion de la Eucaristia y la comunion de Judas (sq.). — 1 Junio 1912. **E. Nebreda**, C. M. F. Algo sobre la naturaleza de la apologética. **Francisco Orue**, C. M. F. Condicion juridica de los regulares secularizados (sq.). **E. Nebreda.** Sobre la aplicacion de la misa. — 16 Junio 1912. **E. Nebreda.** La institucion de la Eucaristia y la comunion de Judas (sq.). — 1 Julio 1912. **E. Nebreda.** Sobre la aplicacion de la misa (sq.). **F. Orue.** Condicion juridica de los regulares secularizados (sq.) **Juan Postius,**

C. M. F. Associaciones sacerdotales. — 16 Agosto 1912. **E Nebreda.** La institucion de la Eucaristia y la comunion de Judas (sq.). — 1 Septiembre 1912. Id. (sq.). — 1 Octubre 1912. Id. (finis).

Resena Ecclesiastica. Maijo de 1912. **Luis Carreras.** Tolstoï (Conclusion). **Roberto Feys.** Movimiento liturgico in Bélgica. **Ch. Rolland.** La Eucaristia es la mejor salvaguardia de las Sociedades. — Junio de 1912. **José Colom.** Un modelo de oratoria sagrada. **Pedro Alborna.** Casas para obreros. — Julio de 1912. **Luis Gomis.** La confesionalidad o la interconfesionalidad en las organizaciones catolicas. **Pedro Alborna.** Casas para obreros (II). **J. de D. Frias.** Union para el estudio del derecho de gentes segun los principios cristianos. — Agosto de 1912. **Esteban Roldan.** Modo de organizar las secciones de perseverancia en los catecismos populares. **José Udina.** Metodo ciclico que debe emplearse en la ensenanza del Catecismo en las Escuelas y desarrollo que debe darse al superior. **Juan Roqueta** Medios para estimular a los maestros a la ensenanza del Catecismo. Medios morales. **José Rubio.** Medios practicos para la formacion de buenos catequistas. El catequista en los actos de la catequesis. — Octubre de 1912. **Luis M. Brugada,** XXIII Congreso internacional eucaristico de Viena. **Luis Carreras,** Del homenage a D. Manuel Mila y Fontonals. — Noviembre de 1912. Dedicado al III congreso nacional de musica sagrada.

Revista ecclesiastica. Vol. XXXI, nº 7. El gobierno y la ensenanza. Protesta del episcopado espanol. Mons. **Julio Serafini.** La musica sagrada en su caracter intimo y en su ejecucion. R. P. **L. Serrano,** O. S. B. El congreso eucaristico de Viena.

Zeitschrift für Missionswissenschaft. 1 Heft 1912. **Groeteken,** O. F. M. Eine mittelalterliche Missionsgesellschaft. **Braam,** M. S. C. Die Eigenschaften der Missionare nach den alten Missionstheoretikern. **Schmidlin.** Prof. Dr. Deutsche Kolonialpolitik und Katholische Heidenmission. **Kösters,** S. V. D. Das chinesische Schulwesen. — 2 Heft 1912. **Schmidlin,** Prof. Dr. Die missionsgeschichtliche Methode. **Freytag,** S. V. D. Die Missionsmethode des Weltapostels Paulus auf seinen Reisen. **Pietsch,** O. M. I. Die Vorbildung der Katholischen Missionare. — 3 Heft 1912. **Schmidlin,** Prof. Dr. Die Notwendigkeit des Mitarbeits des heimatlichen Klerus am Werke der Heidenmission. **Vogt,** S. V. D. Schwierigkeiten der Indianer-Missionen in Südamerika. — 4 Heft 1912. **Schwager,** S. V. D. Die pastoralen Mittel zur Hebung des heimischen Missionssinnes. **Linckens,** M. S. C. Aertzliche Fürsorge der Katholischen Missionen unter den Naturvölkern. **Kassiepe,** O. M. I. Die Stellung der Katholischen Missionen zur Rassenmischehe.

MONUMENTA[1]

644. — S. C. DE DISCIPLINA SACRAMENTORUM

RESPONSA 22-23 DEC. 1912

De Missa celebranda extra locum sacrum ; de baptismo extra ecclesiam conferendo ; de occulta delatione S. Sacramenti (A. A. S. 30 dec. 1912, 4, 725).

Dubia.

In plenario eminentissimorum Patrum coetu, habito in palatio apostolico Vaticano die 20 decembris 1912, sequentia dubia proposita fuerunt :

Celebratio extra locum sacrum.

I. An et quibus de causis Ordinarii permittere possint per modum actus, ut sacrosancta missa extra locum sacrum, privatis in domibus, celebretur.

Baptismus extra ecclesiam.

II. An Ordinarii permittere possint, ut parvulis, praeterquam quod instante mortis periculo vel urgente infirmitate, domi baptismatis sacramentum administretur.

Delatio occulta SS. Sacram.

III, An. Ordinarii permittere possint, ut mala affectis valetudine, qui domo egredi nequeant et sacram Communionem ob devotionem petant, cum praesertim in aliqua paroecia plures petant, vel aliquis petat frequenter, S. Eucharistia privatim, seu non observatis Ritualis praescriptionibus, ab ecclesia domum deferatur.

Responsa.

Et Emi Patres, re matura perpensa, reposuerunt :

Ad I.

Ad I. Affirmative ex iustis et rationabilibus causis, per modum actus, non tamen in cubiculo, sed in loco decenti, servatisque aliis de iure servandis et gratis omnino quocumque titulo.

Ad II.

Ad II. Affirmative ex iusta et rationabili causa.

Ad III.

Ad III. Affirmative ex iusta et rationabili causa, servato saltem ritu proposito a Benedicto XIV in Decreto *Inter omnigenas*, 2 febr. 1744, § 23, scilicet : « *Sacerdos stolam semper habeat propriis coopertam vestibus ; in sacculo seu bursa pixidem recondat, quam per funiculos collo appensam in sinu reponat ; et numquam solus procedat, sed uno saltem fideli, in defectu clerici, associetur* ».

Approbatio pontificia.

Quas resolutiones Ssmus D. N. Pius PP. X in audientia habita ab infrascripto Secretario die 22 decembris 1912, ratas habere et confirmare dignatus est.

Datum Romae e Secretaria S. C. de disciplina Sacramentorum, die 23 decembris 1912.

D. Card. Ferrata, *Praefectus.*

Ph. Giustini, *Secretarius.*

---

[1] Auctore itinerante, visum est statim MONUMENTA cum lectoribus communicare. Ne tamen tribuant R. P. VERMEERSCH commentationem quae ipsi subici nullatenus potuit. Quae pertinent ad rubricas, de more lucubrata sunt a R. P. I. PAUWELS, pariter in Collegio Lovaniensi S. I. professore.

I. Salsmans, S. I.

ANNOTATIONES

I. De Missa extra locum sacrum.

Post Concilium Tridentinum (Sess. 22, decr. de obs. et vit. in celebr. Missae) non iam poterant Ordinarii concedere oratorium privatum, in quo scilicet *stabiliter* Missa celebraretur. Plerique tamen recentiores canonistae, praesertim post resp. S. Congr. Conc. 20 dec. 1856, agnoscebant Ordinario facultatem permittendi ut *per modum actus* in oratorio privato SS. Sacrificium offerretur, propter *magnas et urgentes causas*. Quod ultimum nunc ita emollitum et extensum est ut sufficiant *iustae et rationabiles causae,* qualis sane censetur devotio aegroti qui secus diutius privaretur assistentia Missae, vel qui periculose decumbens non iam speretur adire posse ecclesiam et ante mortem paucis vicibus per assistentiam Sacro spiritualiter refici cupiat. Nec restringitur facultas ad casum aegroti, sed comprehendit omnem rationabilem causam in favorem quorumcumque, puta fidelium qui secus tempore persecutionis vel alius impedimenti Sacro carerent, vel ipsius sacerdotis qui propter quodcumque impedimentum ecclesiam adire nequeat ad celebrandum.

Remanet tamen in suo robore restrictio ut celebratio fiat *per modum actus,* propter motivum transitorium supra explicatum. Itaque etiam non licet ita iteratis vicibus celebrare ut moraliter dicatur « habitualiter » fieri Sacrum, vel erigi oratorium stricte privatum, puta in favorem personae permanente paralysi laborantis.

Altare portatile erigendum est *non in cubiculo :* quod intellegatur de cella dormitoria in qua actu quis decumbit. Non enim videtur inconveniens, ut, omnibus decenter compositis, altare instruatur in cubiculo ubi sedens degit aegrotus, vel in loco vicino ubi alius noctu decumbere soleat. Nihil etiam prohibet quominus in loco contiguo ita disponatur altare ut ab aegroto decumbente videri possit. Patet nostro decreto nihil praeiudicari privilegio eorum religiosorum qui possint in ipso cubiculo infirmi celebrare.

Inculcatur ut *gratis omnino* quocumque titulo praefata facultas concedatur. Excipitur sane stipendium ipsius Missae, quod percipere potest celebrans ab eo ad cuius intentionem celebrat.

Alia de iure servanda potissimum spectant usum kalendarii adhibendi ut in oratorio stricte privato ; — praeceptum de audienda Missa, cui non satisfit per talem assistentiam Sacro nisi ab iis in quorum praecise gratiam facultas ita celebrandi facta est, vel nisi celebratio fiat ab Episcopo vel in gratiam Episcopi praesentis (S. Cong. Rit. 8 iun. 1896) ; — alias functiones non adhibendas, praeter missam lectam cum

distributione S. Communionis omnibus pie petentibus, ut eruere licet ex decl. S. Cong. Rit. 8 maii 1907. Cfr. haec PERIOD. t. III, p. 161-2.

Consentimus etiam R. D. SCHAEPMAN existimanti (*Nederl. Kath. Stemmen* 1913, blz. 37) ab usu praefatae facultatis non excludi *dies sollemniores* qui excludantur in Indultis oratorii domestici. Episcopo tamen fas est die determinato circumscribere facultatem celebrandi, salva manente S. Sedis intentione quae iustis et rationabilibus casibus provideri voluit.

Cum in nostro decreto mentio fiat explicite de *privatis domibus,* oritur quaestio utrum Ordinarius possit praefatam celebrationem indulgere in domibus quae privatae dici nequeant, ipsius tamen potestati subsunt, puta si in nosocomio, in domo Congregationis religiosae non exemptae decumbit aegrotus longe ab oratorio. Affirmandum putamus e mente S. Sedis, praesertim cum sub iure huc usque vigente Episcopi vix videantur plus quam unum oratorium in talibus domibus concedere posse. Cf. *De Relig.* t. I, n. 511, II. — Ex altera parte in ipsis domibus Regularium vix usus esse potest praesentis decreti. Ipsis ceterum iam sufficienter provisum est sive Iure communi (*De Relig.* t. I, n. 511, I), sive etiam amplioribus privilegiis.

II. **De Baptismo extra ecclesiam.**

In primis advertamus agi de baptismo *parvulis* conferendo *extra casum necessitatis.* Possunt scil. esse adiuncta quae suadeant infantem non deferri ad ecclesiam, ut magna distantia, horrida tempestas, infamia parentum etc.

Baptismus qui nunc permitti possit ab Episcopo *ex iusta et rationabili causa*, estne *baptismus sollemnis* cum omnibus scil. caerimoniis, an mera collatio sacramenti, mera ablutio *(ondoiement)?* Huc usque non concordes sunt commentatores: cum enim in *Revue ecclésiastique de Liége* (1912-3, p. 344) mera ablutio commemoretur, ad quam etiam propendet « *Nouvelle Revue Théologique* » (1913, p. 181), in *Canoniste Contemporain* (1913, p. 96) potius baptismus sollemnis propugnatur. Salva ulteriore determinatione S. Sedis, nobis distinguendum videtur iuxta praxim huc usque in similibus adiunctis vigentem.

Sane impertinens est ad materiam nostram distinctio inter caerimonias quae *subsequuntur* collationem sacramenti et eas quae ipsam *praecedunt,* quandoquidem in hypothesi facta, extra casum necessitatis, nulla datur ratio festinandi ut statim sacramentum et deinde caerimoniae sequentes conferantur.

Neque dubitandum est quominus, si propter permanentem rationem impedimenti videtur infans *vix umquam vel non nisi*

post longum tempus posse deferri ad ecclesiam, (qui casus Missionariis facile occurrere potest) caerimoniae *omnes* domi faciendae sint. Ut enim pluries respondit S. C. de Prop. Fide dubiis Missionariorum: « Si praevideatur quod parentes neque decursu temporis infantes ad ecclesiam pro supplendis caerimoniis deferri permittant, tunc satius erit ut in ipsis privatis domibus ritus et caerimoniae per Rituale Romanum praescriptae adhibeantur. Potius enim erit ut laudabilis consuetudo, quae tantum concernit maiorem erga hoc sacramentum decentiam et reverentiam, celebrandi baptismum in ecclesia, omittatur, quam ut priventur parvuli baptizati non exiguis spiritualibus bonis quae ex adhibitis super eos sacris caerimoniis in ipsos derivantur » S. C. de Prop. Fide, 21 ian. 1789. Cfr. S. Off. 28 febr. 1663 et 27 iul. 1775. — Quod ceterum erui potest ex recentioribus responsis S. Congr. Conc. 20 ian. et 14 apr. 1894.

Si autem speratur infantem *posse brevi deferri ad ecclesiam*, manente tamen *causa iusta et rationabili* cur domi sacramentum recipiat, sic ponitur quaestio, utrum nempe melius sit circa caerimonias neglegere circumstantiam loci sacri easque domi cum sacramento coniungere, an ipsas seiungere a sacramento et servare in ecclesia supplendas. Cui quaestioni, si stamus tum theoria tum praxi huc usque vigente, videtur respondendum caerimonias potius a sacramento seiungendas et in ecclesia supplendas esse. Verum, posita nunc maiore facultate qua Episcopi baptismum domi conferri permittere possunt, exinde magis invalesceret usus merae sacramentalis ablutionis domi factae, quem tamen S. Sedes huc usque semper tamquam abusum reprobavit et prudenter eliminandum edixit. Nec sine evidenti ratione ab hac sua repugnantia recessisse S. Sedes putanda est, neque proinde faciliorem copiam Episcopis nunc factam ita intellexisse ut « abusus » invalesceret, cum ex altera parte non tantum inconveniens videatur propter iustam causam neglegere circumstantiam loci sacri (cfr. supra S. C. de Prop. Fide 21 ian. 1789).

Proinde, salva ulteriore declaratione, non audemus carpere Episcopum qui, etiam ubi speratur infans posse brevi deferri ad ecclesiam, iubeat potius omnes caerimonias fieri domi cum collatione ipsius sacramenti, eo vel magis quod in non nullis dioecesibus regionis Neapolitanae talis consuetudo iam exsistit, quam Episcopos, ex rationabilibus causis, tolerare posse responsum est. Cfr. S. Congr. Conc. 20 ian. 1894.

III. De occulta delatione SS. Sacramenti.

Facultas amplior quae fit Episcopis permittendi ut sine sollemnitate externa deferatur Sanctissimum, merito habetur

tamquam complementum renovationis Eucharisticae a Pio Pp. X promotae. Fieri enim facile poterat ut non nullis domo detentis frequentia Communionis impediretur, quoniam frequens delatio publica ob adiuncta impossibilis erat, vel pro ipso clero coniuncta nimio incommodo. Iam vero *ex iusta et rationabili causa*, i. e. quotiens (etiam cotidie) persona domi detenta ex devotione sacra Dape refici cupiat, nec sine incommodo publica delatio Sanctissimi servari queat, potest Episcopus permittere ut de consueta sollemnitate detrahatur. Neque sane deceret Episcopum se in concedenda facultate difficilem praebere, contra mentem Ecclesiae. Applicatio huius decreti non ita raro occurret, ubi ex. gr. infirmus habitat prope ecclesiam non suae paroeciae, vel sacellum ex quo commode possit afferri S. Eucharistia, dum clerus parochialis merito repugnat quominus ex eo publice afferatur et, ex altera parte, quominus ex ecclesia parochiali longe distante afferatur. Quo in casu etiam a regularibus qui ita velint deferre Sacramentum, videtur exquirenda licentia Episcopi, qui eam etiam ipsis dare potest.

Facultas conceditur in gratiam eorum qui *mala valetudine affecti domo egredi nequeant*. Non ergo *huius* decreti usus esse potest in favorem ex. gr. eorum qui bona valetudine gaudentes carcere detinentur, ubi non permittitur ipsos accedere ad oratorium carceris nec S. Communionem ad ipsos in cellulas publice deferri. Ex altera parte non requiritur ut mala affecti valetudine *decumbant ;* non requiritur periculum mortis, neque morbus gravis, neque morbus proprie dictus : sufficit sane ex. gr. ut paralysi, debilitate vel senio aliquis afficiatur, ut beneficium nostri decreti reportet, modo ne possit sine medio extraordinario seu sine incommodo egredi domo.

Cum unice mentio fiat de S. Communione *ob devotionem* recipienda, excluditur ex ambitu *huius* decreti Communio paschalis et Viaticum.

Urgetur ea saltem sollemnitas externa quae a Benedicto XIV describitur. — Cum nulla mentio fiat *superpellicei,* consentimus R. D. Besson in *Nouvelle Revue Théologique* (1913, p. 181) existimanti illud non stricte requiri, neque ad ipsam S. Communionem in domo ministrandam. Episcopus tamen usum illius praescribere potest. — Videtur etiam curandum ne species consecratae plures quam necesse est asportentur, ne occulta delatio Sanctissimi extendatur sine necessitate. I. S.

645. — S. CONGR. CONCILII

EX AUDIENTIA SS.

De communione in ecclesiis non parochialibus etiam Regularibus die Paschatis fidelibus administranda

(A. A. S. 30 dec. 1912, 4, 726).

Quaestio Num die Paschatis communio distribui extra ecclesias parochiales possit.

Cum quaesitum a sacra Congregatione Concilii fuisset, an, post decretum de cotidiana Ssmae Eucharistiae sumptione, cuius initium « Sacra Tridentina Synodus », servanda adhuc sit lex, qua prohibetur quominus die Paschatis in ecclesiis non parochialibus, praesertim regularibus, devotionis etiam causa, Ssmae Eucharistiae Sacramentum fidelibus administretur ; Ssmus Dominus noster Pius divina providentia PP. X, audita relatione infrascripti Cardinalis Praefecti, in audientia diei 26 huius mensis, responderi iussit : *Negative*, contrariis quibuscumque non obstantibus ; idque in *Actis Apostolicae Sedis* publicari mandavit.

Responsum.

Datum Romae, e Secretaria S. Congregationis Concilii, die 28 novembris 1912.

Dies (28 nov. 1912).

C. Card. Gennari, *Praefectus.*

O. Giorgi, *Secretarius.*

Annotationes

Haec etiam veteris dispositionis abrogatio conectitur cum renovatione Eucharistica a Pio Pp. X promota. Fieri enim poterat ut aliquis sacellum vel ecclesiam non parochialem vicinam adire posset, non tamen ecclesiam parochialem, itaque ipso die Paschatis S. Communione privaretur. Cui incommodo occurrere volens, S. Pontifex penitus abrogat antiquam restrictionem de non ministranda Communione ipso die Paschatis in sacello publico vel semipublico et in ecclesia non parochiali, sive sit regularium vel aliorum religiosorum sive non. Aequiperatur proinde ipse dies Paschatis ceteris omnibus diebus per annum. Neque possunt Episcopi, contra dispositiones Iuris communis, rursus prohibere ne in ecclesia vel sacello regularium S. Eucharistia ministretur.

Accurate tamen notetur nullatenus huc usque abrogari legem de *Communione paschali* in paroecia facienda. Qui ergo extra ecclesiam parochialem suam communicat die Paschatis, hac Communione non satisfacit praecepto de S. Eucharistia semel quotannis sumenda. Ut vero testantur *Ephemerides liturgicae* (1913, p. 83) locus faciendae Communioni paschali non iam indicatur in Catechismo Romano edito iussu Pii Pp. X, et in non nullis regionibus circumstantia loci non iam obligat.

I. S.

646 — S. CONG. RITUUM

DECRETUM

approbationis antiphonalis diurni romani
(A. A. S. 30 dec. 1912, 4, 727.)

Exponitur causa.

Antiphonale diurnum sacrosanctae Ecclesiae Romanae, ad normam Constitutionis apostolicae *Divino afflatu* diei 1 novembris MCMXI iuxta novum psalterii cursum diligenter dispositum, typis Vaticanis nunc demum feliciter prodiit. Cum autem cantum gregorianum exhibeat vel a Patribus acceptum vel, ubi opus erat, eodem stilo concinnatum iuxta apostolicas Litteras sanctissimi Domini nostri Pii divina providentia Papae X Motu proprio datas die XXV aprilis MCMIV, sacra Rituum Congregatio hanc ipsam editionem uti typicam ab omnibus Romanae Ecclesiae ritu utentibus habendam esse declarat, atque decernit ut in posterum melodiae gregorianae in futuris editionibus contentae, praedictae typicae editioni sint conformandae, quin derogetur ipsius sacrae Rituum Congregationis decretis datis diebus XI aprilis MCMXI, n. 4263, *super editione Vaticana eiusque reproductione quoad libros liturgicos gregorianos*, et VIII iulii MCMXII *circa modulandas monosyllabas vel hebraicas voces in lectionibus, versiculis et psalmis*.

Approbatio.

Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 8 decembris 1912.

Dies (8 dec. 1912.

Fr. S. Card. Martinelli, *Praefectus*.
† Petrus La Fontaine, Episc. Charystien., *Secretarius*.

---

647. — S. CONGR. RITUUM

RESPONSA 6 DEC. 1912 (A. A. S. 30 dec. 1912, 4, 727.)

Dubia

Sacrae Rituum Congregationi, pro opportuna solutione, sequentia dubia proposita fuerunt, nimirum :

I. In novis rubricis, tit X, num. 2, Missae votivae aut privatae pro defunctis prohibentur in feria in qua anticipanda vel reponenda est Missa Dominicae. Quaeritur : Quid intellegendum in verbo « reponenda » ?

II. Si prima dies libera mensis sit sabbatum, et in eo fiat de S. Maria in sabbato, Missa principalis debetne esse de S. Maria, vel pro defunctis ? Quid vero si impedita fuerit Missa Dominicae praecedentis ?

III. In ecclesiis quarum titulus est S. Ioseph, et in locis in quibus S. Ioseph usque nunc tamquam patronus principalis colebatur die 19 martii, festum patronale aut titulare servandumne adhuc est ipsa die 19 martii, seu potius in Dominicam III post Pascha reponendum ?

IV. In kalendariis dioecesanis reformatis quaedam festa particularia et non stricte propria suppressa sunt, quorum Officium vel ex Proprio dioecesano, vel ex appendice Breviarii pro aliquibus locis desumebatur. Quaeritur : Quodnam Officium adhiberi debet in ecclesiis ubi eiusmodi festa sint stricte propria, ac retinenda vel ratione tituli, vel patronatus, vel

reliquiae insignis ? Recitandumne adhuc est Officium in dioecesi suppressum, vel potius ad Commune recurrendum ?

V. In vigiliis S. Mathiae Apostoli, S. Matthaei Apostoli et Evangelistae, et S. Thomae Apostoli, prima in Quadragesima, ceteris in feriis Quattuor Temporum occurrentibus, licetne Missam privatam celebrare vel de festo occurrenti, vel de feria maiori, vel de vigilia ?

VI. Si eadem die 27 iunii occurrant vigiliae S. Ioannis Baptistae et SS. Apostolorum Petri et Pauli, Missae privatae poteruntne esse vel de festo occurrenti, vel de alterutra vigilia ?

VII. Attenta praesertim rubrica tit. IX, num. 4, in locis ubi habetur Patronus principalis tum oppidi seu civitatis, tum dioeceseos, tum provinciae, tum nationis, debentne singula festa sub competenti ritu Patronis proprio celebrari ?

VIII. Octava et nona lectio SS. Nerei et Sociorum Martyrum, S. Matthaei Apostoli et Evangelistae, ac Dedicationis S. Michaëlis Archangeli suntne uniendae quando legenda sit nona lectio feriae aut Dominicae?

IX. Quo colore utendum est in festo Commemorationis Omnium sanctorum S. R. E. summorum Pontificum ?

Et sacra Rituum Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, audito Commissionis Liturgicae suffragio, reque accurato examine perpensa, respondendum censuit :

Responsa. Ad I. Dicitur Missa reponenda, quae Dominica praecedenti, ob occursum nobilioris Officii, celebrata non fuit : et in casu, Missae votivae et privatae defunctorum prohibentur in illa feria in qua prima vice resumenda est Missa Dominicae.

Ad II. Celebranda est Missa principalis de S. Maria in sabbato, etiam in casu quo impedita fuerit Missa Dominicae praecedentis. In ecclesiis autem cathedralibus et collegiatis, post Primam et extra chorum, celebranda est sine cantu Missa pro defunctis.

Ad III. Festum de quo in casu convenientius in Dominicam III post Pascha reponatur ; nisi speciales habeantur rationes illud in sua die 19 martii retinendi.

Ad IV. Adhibeatur Officium hucusque recitatum, cum respondente Missa.

Ad V. Affirmative.

Ad VI. Affirmative.

Ad VII. Affirmative ; etiam quoad Patronum dioeceseos, dummodo hucusque festum eius per totam dioecesim, in locis quoque peculiarem Patronum habentibus, celebratum sit sub ritu duplici I classis cum Octava.

Ad VIII. Affirmative quoad lectiones tantum SS. Nerei et Sociorum Martyrum ac Dedicationis S. Michaëlis Archangeli.

Ad IX. Servetur antiqua praxis Patriarchalium aliarumque ecclesiarum Urbis, in quibus adhibetur color rubeus.

Dies (6 dec. 1912. Atque ita rescripsit, die 6 decembris 1912.

Fr. S. Card. Martinelli, *Praefectus.*

† Petrus La Fontaine, Episc. Charystien., *Secretarius.*

Annotationes

Ad I. Confirmatur hoc responso quod dicebamus in Periodicis t. VI, 174 ; ceterum, vix aliter verba novarum rubri-

carum intellegi possunt, cum evidenter ad missas privatas extendant prohibitionem quae in Rubricis generalibus Missalis habetur pro missis conventualibus (Tit. IV, n. 3 et Tit. V, n. 1). Unde, si in ipsa dominica, missae dominicae in *aliqua ecclesia* celebrari non potuerunt ob occurrens festum 1 vel 2 classis, aut festum Domini, aut octavam Domini, prima die infra hebdomadam in qua officium fit de feria eamdem missam habente, in hac ecclesia missae votivae privatae et lectae de Requiem sunt prohibitae. Non est attendendum utrum necne ipse celebrans missam de dominica iam celebraverit, sed unice utrum necne in hac ecclesia illa missa celebrari in ipsa dominica aut in praecedenti aliqua feria resumi iam potuerit. Unde, sacerdos qui in dominica celebravit de festo, si feria II sequenti celebrat in alia ecclesia ubi fit de ea, et in ipsa dominica item officium fuit de ea, potest missam votivam vel de Requiem dicere, etsi missam de dominica nondum recitavit ; contra, qui in dominica iam recitavit de ea, et feria II celebrat in ecclesia ubi pariter fit de ea, sed in dominica factum est de festo, nullo modo potest in hac ecclesia hac die missam dicere votivam vel de Requiem, sed omnino debet missam de dominica repetere, etsi illam pridie iam celebravit.

Cum autem haec missa dominicae reponenda sit tantum in die in qua fit de feria, nullo modo vero in die in qua fit de festo simplici, nec etiam in die in qua fit de B. M. V. in sabbato, uti constat ex resp. ad II, consequens est pariter prohibitionem de qua hic ad illos dies non esse extentendam, etiam si in tota hebdomada nullus occurrit dies in quo fit de feria, ac proin missa dominicae repeti non potest. Non possumus proinde consentire his quae habent *Ephemerides liturgicae* 1 febr. 1913 p. 70.

Ad II. Ex rubricis Missalis (Tit. V n. 1) prima die mensis (extra Adventum, Quadragesimam et tempus paschale) non impedita officio duplici vel semiduplici, missa conventualis dicenda est de Requiem, in missis vero privatis, si non sunt de Requiem, facienda est commemoratio generalis pro defunctis. Quod si prima dies libera fuerit festum simplex, vel feria propriam missam habens, aut resumenda sit missa dominicae praecedentis, et infra hebdomadam non occurrat alius dies in quo resumi possit, in ecclesiis cathedralibus et collegiatis duae missae conventuales erant celebrandae, una de festo, vel feria, altera de Requiem. Decreto 12 iun. 1912 ad VII (Period. t. VI p. 599) declaratum est hanc rubricam in toto suo vigore manere, nisi quod in ecclesiis ad chorum astrictis sola missa de festo vel de feria cum cantu et praesentia choralium sit celebranda, missa vero de Requiem extra chorum tantum legenda.

Porro in rubrica Missalis non dicitur quid sit faciendum quando prima dies libera est sabbatum in quo officium fit de B. M. V. Hanc diem in rubrica comprehendi per se patet, cum non sit impedita officio duplici vel semiduplici; cum vero non dicatur duas in casu esse dicendas missas conventuales, concludere quis possit dicendam tantum missam de Requiem; contrarium tamen indicabat Merati in suis tabellis, praecipiens missam principalem dicendam de B. M. V. et recte quidem, cum officium B. M. V. aequiperari possit festo simplici, quo immo est praestantius; nihil proin mirum Congregationem eodem sensu respondisse. Animadvertetur tamen in decreto agi tantum de missa conventuali; aliae enim missae, sive lectae, sive cantatae aut sollemnes, pro lubitu esse poterunt vel de festo, vel votivae, aut etiam de Requiem, nostra sententia, ut superius diximus, si in tota hebdomada missa dominicae nondum dici potuit. Quod si non dicitur missa de Requiem, penultimo loco inter orationes a rubrica praescriptas aut permissas, addenda est collecta pro omnibus defunctis *Fidelium*, quae habetur tertio loco in missa cotidiana defunctorum.

Ad III. Post decretum 24 iul. 1911 (Period. t. VI p. 81) ambo festa s. Ioseph eiusdem evaserunt ritus et qualitatis. Haud aegre tamen ex ipso hoc decreto deduci potuit festum dominicae tertiae post Pascha affixum iam habendum ut principalius: celebratur enim cum octava, in die sua numquam impediri valet, et tempus paschale aptius recolendae sollemnitati convenit.

Ad V. et VI. Cum in novis rubricis de hac occurrentia feriae maioris cum vigilia vel duarum vigiliarum nihil habeatur, non nulli auctores [1] plures afferentes rationes, contenderunt in casu optionem inter missam feriae et vigiliae, vel inter missas utriusque vigiliae minime dari, sed, si missa non dicitur de festo occurrenti, necessario tunc dicendam esse de feria maiori, vel de principaliori vigilia, de qua scilicet in ecclesiis ad chorum astrictis alia celebranda foret missa conventualis secundum rubricas. Explicite praesenti decreto datur optio quotiens officium dictum sit de festo; sed quid si non de festo, verum de feria aut vigilia officium fuerit recitatum? v. g. in anno bissextili, vigilia s. Mathiae occurrit die 24 februarii; quod si tunc sit iam quadragesima, officium dicitur de feria maiori quadragesimae; item si festum ss. Petri et Pauli occurrit feria II, eorum vigilia anticipanda est in sabbato 27 iunii in quo in calendario universalis ecclesiae tunc officium fit de vigilia

[1] V. g. D. Robert Trilhe. La Constitution « Divino afflatu » et les nouvelles rubriques du Bréviaire romain. p. 201 et seq.

s. Ioannis Baptistae. Putamus in casu in missis privatis eandem dari optionem inter missam feriae vel vigiliae, vel utriusque vigiliae ; rubricae enim quae his diebus in Missali inveniuntur, et quibus in primo casu praescribitur missa feriae cum commemoratione vigiliae, et in altero, missa vigiliae s. Ioannis cum commemoratione vigiliae ss. Petri et Pauli, non agunt nisi de missa conventuali.

Notandum tandem, sicut in missa de feria semper in fine dicitur evangelium s. Ioannis *In principio*, etiam si facta sit commemoratio vigiliae, sic in omni missa de vigilia idem evangelium in fine esse dicendum, etiam si fiat commemoratio feriae aut alterius vigiliae.

Ad VII. Hoc responsum practicum consectarium habebit pro multis regularibus. In multis enim dioecesibus patronus dioeceseos ab universo clero saeculari iam dudum colebatur sub ritu duplicis 1 classis cum octava, etiam in locis peculiarem patronum habentibus. Regulares vero, ab eodem patrono colendo per totam dioecesim se immunes putabant, nisi festum annexam haberet, vel habuisset feriationem, quod multo rarius accidit. Nunc iam in illis dioecesibus et ipsi regulares illum per totam dioecesim sub eodem ritu duplicis 1 classis colere debebunt (absque tamen octava, si fruantur calendario proprio) et hoc, etiam si hoc festum numquam feriatum fuerit.

Ad VIII. De nona lectione officii quae lectione homiliae impediretur, responderat Congregatio 8 aug. 1835 (2735 ad 2) illam cum octava esse coniungendam, si lectiones tertii nocturni sint historicae, secus vero, si agatur de lectionibus propriis, illas *convenientius* coniungi, quod ultimum ex decreto 4262. IV intellegendum est de sola privata recitatione. Ceterum decr. 4269 ad 4 statuit in singulis casibus particularibus decernendum num coniunctio ex obligatione sit facienda, hanc autem praescripsit decr. 23 mart. 1911 (4262, III) pro festo s. Ioannis ante portam latinam (6 maii), et praesens decretum pro festo ss. Nerei et sociorum (12 maii) et pro festo Dedicationis s. Michaelis (29 sept.) ; illam negat faciendam in festo s. Matthaei apostoli (21 sept.).

Statim intellegitur cur coniunctio praescribatur in festo ss. Nerei et sociorum ; lectiones enim tertii nocturni horum sanctorum desumptae sunt ex homilia quam in Basilica horum sanctorum in eorum die natali habuit s. Gregorius papa ; iamvero de nostris martyribus praecise sermo est in lectione nona. Quare vero diverso modo sit responsum pro festis Dedicationis s. Michaelis et s. Matthaei, minus apparet. In Breviario Minorum coniunctio praecipitur facienda in utroque festo. Ratio disparitatis illa forsan est quam indicant Ephemerides liturgicae (1 febr. 1913, p. 73) quod in festo

s. Michaelis in lectionibus 7 et 8 nihil dicitur de angelis, sed tantum in lectione 9 ; contra in festo s. Matthaei in lectione 7 iam multa dicuntur quae festo adaptantur.

I. P.

648. — SS. D. N. PII PP. X

MOTU PROPRIO (17 DEC. 1912)

Providetur regimen ordinis Fratrum minorum conventualium durante infirma valetudine ministri generalis (A. A. S. 25 ian. 1913, 5, 5.)

Argumentum et necessitas exponitur.

Supremum officium in universa Ecclesia humilitati Nostrae commissum rei sacrae procurationis gerendae postulat, ut rectae cuiuscumque Ordinis actioni provideamus. Cum porro dilecto filio Victori Mariae Sottaz, Fratrum Minorum Conventualium generali Ministro, diuturna invaletudo a laboribus quiescendi necessitatem faciat ; ipso in Ministri generalis munere permanente, ad totius Ordinis Conventualium administrationem religiosum virum Franciscum Mariam Dall'Olio, eiusdem Ordinis Procuratorem, etiam in Vicarium generalem cum omnibus facultatibus eidem debitis eligimus. Duobus vero modo assistentibus dilectis Hieronymo Mariae Mileta et Stephano Mariae Ignudi, duos alios adiungimus, dilectos Aloisium Mariam Santoro, in Basilica Vaticana Paenitentiarium, et Dominicum Mariam Tavani in collegio seraphico S. Theodori de Urbe moderatorem, qui in officio, quod obtinent, permanentes, eidem Vicario generali in cunctis praesto erunt, et quorum ipse vota deliberativa exposcere tenebitur. In omnibus vero Curiae generalis conventibus etiam religiosi Francisci Mariae Formenti consilia et vota erunt exquirenda, praecipue si de sacris expeditionibus populis ad pietatem excolendis aliquid erit pertractandum.

Providetur.

Haec a Nobis, uti supra, decreta et statuta, usque ad Congregationem generalem anno 1913 habendam ab universis Ordinis Conventualium sodalibus ita erunt servanda, ut uni cuique religiosum sit moderatorum voluntati morem gerere, iisdemque oboedientiam et reverentiam prompto hilarique animo in omnibus praestare : non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus apostolicis, etiam speciali mentione dignis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Dum porro Deum apprecamur, ut quantocius dilectus Minister generalis plene convalescat, omnibus dilectis filiis apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Dies (17 dec. 1912).

Datum Romae apud S. Petrum, die 17 decembris 1912.

PIUS PP. X.

Annotatio

Egregium hoc Motu proprio praestatur argumentum sollicitudinis quam erga Ordines religiosos fovet S. Sedes.

I. S.

649. — S. CONGR. DE RELIGIOSIS

LITTERAE CIRCULARES (15 IAN. 1913)

Circa ephemeridum non nullarum lectionem

Recensetur causa.

Nel fascicolo N° 21 dell'*Acta Apostolicae Sedis*, del 2 dicembre 1912, si publicò la seguente Avvertenza: « A togliere l'equivoco che certi « giornali vanno creando in mezzo al clero ed ai fedeli, si dichiara che la « Santa Sede non riconosce per conformi alle direttive pontificie e alle « norme della Lettera di Sua Santità all'Episcopato Lombardo, in data « del 1° luglio 1911, i giornali seguenti: *L'Avvenire d'Italia, Il Momento, « Il Corriere d'Italia, Il Corriere di Sicilia, L'Italia*, ed altri dello stesso « genere, checchè ne sia delle intenzioni di alcune egregie persone, che li « dirigono ed aiutano ».

Prohibitio facta Religiosis.

Ora, sebbene questa sacra Congregazione sia persuasa che nessuna famiglia religiosa abbia rinnovato l'abbonamento ai suddetti giornali in seguito a tale Avvertenza, pure, avendo saputo che ad essa si dànno le più strane interpretazioni, crede opportuno di dichiarare, a togliere ogni equivoco, che ai Religiosi è proibito non solo l'abbonamento, ma anche la lettura dei menzionati giornali. Che se qualche Religioso per giuste ragioni si trovasse nella necessità di leggerne qualcuno, egli dovrà riceverne speciale autorizzazione in iscritto da' suoi Superiori maggiori.

Dies (15 ian. 1913).

Roma, 15 gennaio 1913.

Fr. G. C. Card. Vives, *Prefetto*
† Donato, Arciv. di Efeso, *Segretario.*

ANNOTATIO

Monitum circa praefatas ephemerides exscriptum est supra p. 53. Cum autem, ut narratum est (cfr. *Civiltà cattolica* 1913, p. 744), negotia horum diariorum feliciter componantur, dubitare quis possit utrum hoc Monitum et prohibitio hic facta religiosis in pleno, ut antea, robore suo permaneant.

I. S.

---

650. — S. CONGR. S. OFFICII

(SECTIO DE INDULGENTIIS)

DECRETUM 11-12 DEC. 1912

Circa missas Gregorianas et altaria item Gregoriana

(A. A. S. 15 febr. 1913, 5, 32.)

Dubia

Supremae S. Congregationi S. Officii sequentia exhibita sunt dubia de Missis triginta quae Gregorianae nuncupantur, nec non de Altaribus, tum ecclesiae S. Gregorii in Monte Caelio Urbis, tum alibi exsistentibus, quae ad instar illius appellata sunt Gregoriana:

de Missis Gregorianis

I. Utrum sit necessarium quod Missae triginta, quae Gregorianae appellantur, celebrentur triginta diebus continuis sine interruptione ? Et quatenus affirmative :

De Altaribus Gregorianis.

II. Utrum in casu satisfaciat sacerdos, qui eadem die bis vel ter, vel per se (v. gr. die Natalis Domini) vel per alios, celebrationem reassumat, ita ut triginta dierum spatio Missae omnes celebrentur ? Et quatenus negative :

III. Utrum idem sacerdos teneatur alium sibi substituere celebraturum Missam aliquam tricenariam ?

IV. Utrum quis satisfaciat obligationi curandi tricenarium Gregorianum, si pluribus sacerdotibus triginta Missas Gregorianas distributas committat, eadem die vel paucorum dierum spatio omnes celebrandas ad dictam intentionem ?

V. Utrum diebus in tricenario occurrentibus, in quibus Missa de requie a rubricis permittitur, ipsa legi debeat ad onus tricenarii Gregoriani satisfaciendum ?

VI. Utrum Altare S. Gregorii in Monte Caelio de Urbe sit vere ac proprie privilegiatum ?

VII. Quaenam requirantur condiciones ab obtinendum privilegium Altaris Gregoriani « ad instar » ?

VIII. Utrum concedatur privilegium personale Altaris Gregoriani « ad instar » ? Et quatenus negative :

IX. Quid dicendum de concessionibus Altaris Gregoriani personalis forsitan iam factis ?

Responsa.

Quibus dubiis mature perpensis, E^mi^ Patres una mecum Generales Inquisitores, feria IV, die 11 decembris 1912, dixerunt :

Ad I. Affirmative, prout in decisis a S. Congregatione Indulgentiarum, die 14 ianuarii 1889.

Ad II. Negative.

Ad III. Affirmative.

Ad IV. Negative.

Ad V. Negative ; poterit tamen laudabiliter legi, pietatis gratia erga defunctum, diebus quibus licet et decet.

Ad VI. Affirmative, iuxta Rescriptum ex audientia SS^mi^, diei 18 februarii 1752.

Ad VII. Deinceps Altaria Gregoriana non esse concedenda.

Ad VIII. Negative.

Ad IX. Habeantur ut merae concessiones Altaris personalis simpliciter privilegiati.

Approbatio pontificia.

Dies (12 dec. 1912).

Et feria V, die 12, iisdem mense et anno, SS^mus^ D. N D. Pius div. Prov. Pp. X, in solita audientia R. P. D. Assessori S. Officii impertita, supra relatas E^morum^ Patrum resolutiones benigne approbare dignatus est.

M. Card. Rampolla.

D. Archiep. Seleucien., Ass. S. O.

Annotationes

I. *Gregorianae Missae*, ut notum est, sunt quae per triginta continuos dies, exemplo S. Gregorii Magni, pro animabus in purgatorio detentis dicuntur in quovis altari. Peculiarem

fiduciam in illo tricenario reponunt fideles, quam piam et rationabilem esse respondit S. Congr. Indulgentiarum 11 mart. 1885. Non tamen constat huic praxi peculiarem indulgentiam adiunctam fuisse ab Ecclesia (S. Congr. Ind. 24 aug. 1888), puta ut illae missae haberentur tamquam dictae in altari privilegiato. Unde explicatur responsio ad V, non opus esse ut missa de requie legatur, quod regulariter requirebatur ubi agitur de indulgentia altaris privilegiati.

II. *De altaribus Gregorianis.* Similem fiduciam habent fideles circa Missas celebratas in altari S. Gregorii in ecclesia Caelimontana Urbis vel in altaribus quae dicuntur « Gregoriana ad instar ». Quam rursus fiduciam non vituperavit S. Congr. Indulgentiarum 11 mart. 1885. Constat ceterum praedicta altaria habenda esse ut privilegiata. — Immo ad instar concessionis altaris privilegiati personalis, quandoque concessum est privilegium personale altaris Gregoriani ad instar. Quod ultimum privilegium modo explicans S. Congregatio declarat simpliciter habendum esse ut concessionem altaris privilegiati personalis (ad IX).

Notatu dignissimum est ad VII declarari deinceps altaria Gregoriana ad instar non esse concedenda. Norma videlicet resumitur lata in audientia Sanctissimi 15 mart. 1852, qua suspendebantur novae concessiones altaris Gregoriani. Plura videsis apud BERINGER, De Indulgentiis.

I. S.

---

651. — S. CONGR. RITUUM

DECRETUM 8 FEBR. 1913

Circa rubricas tit. X, num. 2 et 5 de Missis votivis et « De Requie » (A. A. S. 15 febr. 1913, 5, 43.)

Argumentum.

In nova Rubrica Constitutioni Pianae *Divino afflatu* adiecta Tit. X, num. 2 et 5, « prohibentur Missae votivae privatae seu lectae pro defunctis, « in feriis Quadragesimae, Quattuor Temporum, II. Rogationum, in « vigiliis, et in feria in qua anticipanda vel reponenda est Missa Domi- « nicae : in Quadragesima vero permittuntur Missae privatae defunctorum « tantum prima die cuiuscumque hebdomadae libera in kalendario « ecclesiae in qua Sacrum celebratur ».

Dubia de missis votivis privilegiatis.

Nunc vero ad dirimendas quaestiones non nullas huic S. Congregationi propositas circa applicationem praefatae Rubricae quibusdam Missis votivis privilegiatis tum in Ecclesia universali, tum certis in locis per Indultum apostolicae Sedis concessis, firmis manentibus legibus et privilegiis Missas sollemnes seu in cantu respicientibus, quoad Missas privatas lectas sequentia decernuntur et declarantur :

In dupl. I et II classis.

I. Privilegium Missae votivae lectae, de speciali gratia non nullis Sanctuariis concessum, ita ut celebrari possit in duplicibus I. et II. classis, seu

SS. Cordis prima feria VI.

etiam II. classis tantum ; et privilegium Missae votivae SS. Cordis Iesu in prima feria VI cuiusque mensis, permanent in suo robore, etiam in feriis et vigiliis per dictam rubricam exclusis.

In duplicibus.

II. Privilegium Missae votivae lectae aliquibus Sanctuariis aut aliis ecclesiis vel communitatibus regularibus quocumque modo et titulo concessum, ita ut celebrari queat tantummodo in duplicibus maioribus et minoribus, et exclusis feriis, vigiliis et Octavis privilegiatis, sic erit deinceps applicandum, ut dictae Missae votivae lectae prohibitae sint in omnibus feriis in praefata rubrica enumeratis. Loco tamen huiusmodi Missae votivae, extra feriam IV Cinerum, hebdomadam maiorem et vigilias Nativitatis et Pentecostes, adiungi poterit oratio ipsius Missae votivae, vel in Missa de die post orationem feriae seu vigiliae, vel in Missa de feria seu vigilia ante alias orationes. Quod si adsit specialis concursus populi, unica Missa lecta ex praedictis Missis votivis celebrari poterit, quotiens Missa in cantu commode haberi nequeat.

Pro sponso et sponsa.

III. Privilegium Missae votivae lectae pro sponsis ita erit applicandum, ut liceat, extra tempus clausum, haec Missa dici etiam in praedictis feriis et vigiliis.

Pro defunctis.

IV. Privilegium Missae pro defunctis lectae aliquibus locis vel Ordinibus concessum ita ut bis vel ter in hebdomada celebrari possit etiamsi occurrat aliquod duplex maius vel minus, in posterum ita erit applicandum, ut intellegatur tantummodo concessum pro diebus in quibus non occurrat aliqua feria aut vigilia, ut supra. Quapropter in huiusmodi feriis vel vigiliis Missae lectae pro defunctis semper prohibitae sunt, exceptis Missis in die obitus vel pro die obitus, in ecclesiis ubi celebratur funus alicuius defuncti cum Missa in cantu ; item excepta unica Missa quae pro defuncto paupere celebrari potest iuxta decretum 9 maii 1899, n. 4024 ; item Missis quae in sepulcretis celebrantur, ad normam decreti 19 maii 1896, num. 3903 ; item exceptis Missis lectis in prima die libera unius cuiusque hebdomadae in Quadragesima iuxta novas rubricas. — Ex indulgentia vero sanctae Sedis habentur adhuc valida, donec expirent, Rescripta quinquennalia, aliquibus dioecesibus et provinciis religiosis exteris nuper concessa, celebrandi bis in hebdomada Missas lectas de Requie in die obitus seu depositionis, tertio, septimo, trigesimo et anniversario.

Dies (8 febr. 1913).

Contrariis non obstantibus quibuscumque, die 8 februarii 1913.

Fr. S. Card. Martinelli, *Praefectus.*

† *Petrus La Fontaine, Episc. Charystien., Secretarius.*

Annotationes

Ad prooemium. Uti ex inspecto hoc prooemio liquet, non agitur in praesenti decreto nisi de missis votivis quae simul sunt lectae et celebratae ex privilegio seu indulto. Unde :

a) Nihil est mutatum quod ad missas votivas sollemnes proprie dictas, quae iisdem diebus et sub iisdem clausulis celebrari poterunt atque ante reformationem rubricarum.

b) Nihil magis mutatur quod ad missas votivas quae ex privilegio celebrantur, sed sollemniter seu saltem in cantu. Et hoc valet non tantum de illis missis votivis quae ad instar

missarum votivarum sollemnium conceduntur, quales sunt missae concessae in oratione XL horarum, et in adoratione perpetua, missa sollemnis de Spiritu sancto quae nonnumquam permittitur in instauratione scholarum, missa sollemnis in externa sollemnitate alicuius mysterii vel sancti ; sed etiam de illis missis votivis quae potius accedunt ad missas votivas cotidianas, uti sunt missae illae quae quibusdam diebus concessae sunt sive ordini, sive loco, sive sanctuario in cantu vel sollemniter celebrandae.

c) Missae votivae privatae, seu illae pro quibus nullum habetur indultum seu privilegium, sive sint lectae sive celebratae in cantu, aut immo cum externa sollemnitate, reguntur novis rubricis Tit. X, n. 2 ac proin sunt prohibitae praeterquam in omnibus duplicibus, dominicis, feriis, vigiliis et octavis privilegiatis, in omnibus insuper feriis Quadragesimae, Quattuor Temporum, II rogationum, in vigiliis omnibus et in feria in qua anticipanda vel reponenda est missa dominicae, sive officium dicatur de feria aut vigilia, sive de occurrente festo semiduplici. [1]

Ad I. Pariter in robore suo permanere dicenda sunt :

a) Missae votivae quae sub iisdem clausulis (h. e. ita ut celebrari possint in duplicibus 1 et 2 classis, seu saltem in 2 classis) non quidem sanctuario alicui, sed ordini religioso vel regioni essent concessae, nam eadem prorsus pro illis militat ratio.

b) Missa votiva B. M. V. concessa caecutientibus uti per se patet. Notandum caecutientem pro missa B. M. V. missam de Requiem dicere posse his tantum diebus quibus novae rubricae missas cotidianas de Requiem permittunt.

Ad II. Missae votivae lectae quae ex privilegio vel indulto erant concessae sub clausulis de quibus hic, prohibitae sunt in feriis et vigiliis de quibus in novis rubricis, non solum si officium fit de feria aut vigilia, sed etiam si officium dictum fuerit de festo duplici aut semiduplici.

Quaeres 1° Num huiusmodi missae votivae censendae sint prohibitae in dominicis minoribus ?

a) Pro prohibitione in his dominicis certe eaedem militant rationes ac pro prohibitione in feriis. Huc enim inter alia tendebat reformatio « ut in sacra Liturgia missae antiquissimae *de dominicis infra annum* et de feriis, praesertim qua-

[1] Ergo, qui in praedictis feriis celebrat in aliena ecclesia, omnino missam dicere debet conformem officio ecclesiae in qua celebrat, nisi tamen mallet dicere de currenti feria vel vigilia, ubi per novas rubricas (Tit. X, n. 2) id licet, et hoc etiam si ritus ecclesiae in qua celebrat sit duplici inferior ; praedictae enim feriae iam annumerantur « diebus, in quibus praefatas missas (votivas vel de Requiem) rubricae Missalis Romani vel S. R. C. decreta prohibent », unde in iis, ex decr. 3862 et 3892 ad 5 in aliena ecclesia neque licet dicere missam conformem officio proprio.

dragesimalibus, locum suum recuperarent. » Immo dicendum est novas rubricas magis favere missis dominicalibus quam ferialibus ; missa enim dominicalis ex obligatione praevalet missae de festo duplici etiam maiori occurrenti, dummodo non sit festum Domini ; missa contra ferialis in occurrentia festi duplicis maioris aut minoris et etiam festi semiduplicis relinquitur tantum optioni celebrantis.

b) Attamen, cum in praesenti decreto dominicae formaliter non excludantur, putamus opinionem contrariam in praxi sustineri posse usque dum competens auctoritas aliter non statuerit.

Quaeres 2° Num sub hac prohibitione comprehendantur missae lectae in externa sollemnitate mysterii aut sancti, ita ut tales missae lectae de mysterio aut de sancto iam sint prohibitae si sollemnitas celebretur in feria de qua in novis rubricis ?

Putamus respondendum generatim affirmative. Testante enim decreto 3960, « hoc privilegium iuxta praxim S. R. C. excluditur.... quod ad missas lectas a duplicibus 2 classis, necnon a dominicis, feriis, vigiliis octavisque privilegiatis » ; patet ergo huiusmodi privilegium praecise esse ex illis de quibus sermo est in nostro decreto ad II. Quod si alicubi concessum esset ut de externa sollemnitate missae lectae celebrari possent etiam in duplicibus 2 classis, tale privilegium iam referendum esset ad I, et in casu missae lectae de sollemnitate permitterentur, etiam in feriis de quibus in novis rubricis.

Prohibitioni in hoc numero factae duplex affertur temperamentum :

a) Unica permittitur missa votiva lecta, si missa in cantu commode haberi nequeat, quotiens adsit specialis populi concursus. Non tamen explicite hic requiritur ut in Tit. X, n. 3 ut de concursu iudicet Ordinarius. Per se patet hanc missam non permitti nisi in his feriis in quibus ante reformatas rubricas missa votiva ex indulto erat permissa, nunc vero ex praesenti decreto ipsa est prohibita.

b) Diebus nunc prohibitis, ante vero permissis, addi potest sive in missa de die, sive in missa de feria aut vigilia oratio ipsius missae votivae. Haec oratio prohibetur non tantum, ut decretum habet, in feriis et vigiliis privilegiatis, sed etiam aliis diebus quibus indultum non favet v. g. in duplicibus 1 et 2 classis, infra octavas privilegiatas, etc. Haec oratio ponenda est in missa de die post commemorationem feriae seu vigiliae, ac proin etiam post commemorationem festi simplificati quae orationem feriae praecedit, sed ante commemorationem festi simplicis. In missa vero de feria ponenda est statim post orationem ipsius feriae, ac proin etiam ante

orationem festi de quo forsan dictum est officium ; semper tamen dicitur sub altera conclusione. Concessio similis est illi quae in novis rubricis facta est circa orationem pro defunctis addendam in missa de feria (Tit. X n. 5) et si in nonnullis ambae concessiones differunt, hoc repetendum est ex indole utriusque orationis addendae.

Quaeres 1° Num haec oratio habenda sit *intra* vel *extra* numerum ?

Resp. Putamus ex analogia cum iis quae statuta sunt de oratione pro defunctis (Decr. 12 iun. 1912 II et III. — PERIOD. n. **599**, VI, p. 251), illam ponendam esse *extra* numerum ; ac proin illa orationes de tempore non excludi, nisi occurrat commemoratio duplicis ; sed neque in casu attendendum numerum orationum utrum sit dispar an non.

Quaeres 2° An propter hanc orationem omitti possit imperata, si numerus ternarius orationum excedatur ?

Resp. Deficiente declaratione authentica, putamus respondendum *negative*, cum haec oratio non sit ex praescriptis, sed tantum permissa.

Quaeres 3° Quonam loco ponenda sit haec oratio si in missa de festo simul commemoretur feria maior et vigilia, aut in missa feriae commemoranda sit vigilia aut vicissim in missa vigiliae commemoranda sit feria aut altera vigilia ?

Resp. In priore casu non est dubium orationem missae votivae ponendam esse post commemorationem alterius feriae ; item nobis probabilissimum videtur in secundo et tertio casu, nisi forsan inter orationem feriae et vigiliae, vel utriusque vigiliae alia interponenda sit oratio, v. g. oratio festi de quo recitatum est officium.

Ad III. Notandum ex decreto 4274, 28 iul. 1911 ad V (PERIOD. n. **526**, C. t. VI, p. 82) missam votivam pro sponsis esse prohibitam infra octavam integram commemorationis sollemnis sanctissimi Corporis D. N. I. C. Unde in benedictione nuptiarum haec missa celebranda est, nisi occurrat in dominica quacumque aut festo de praecepto, in duplici 1 vel 2 classis, in vigilia Pentecostes, aut infra octavas integras Epiphaniae, Pentecostes et Commemorationis sollemnis sanctissimi Corporis D. N. I. C., in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum, necnon, ubi unicus tantum habetur sacerdos, diebus rogationum in ecclesiis in quibus fit processio.

Ad IV. 1. Certum est missas privilegiatas de Requiem h. e. missas celebratas in die obitus aut pro die obitus, in die tertia, septima, trigesima et anniversaria, nec non prima die post acceptum nuntium, si fiunt sollemnes aut in cantu, manere in toto suo robore. Animadvertatur tamen missam exsequialem ex decreto 4274 ad VI et VII (cfr. supra) manere

et esse prohibitam in festis Commemorationis sollemnis sanctissimi Corporis D. N. I. C., Annuntiationis B. M. V., Commemorationis sollemnis s. Ioseph, et Patroni loci, in festis Sollemnitatis s. Ioseph et sanctissimae Trinitatis, et in dominica in quam transfertur sollemnitas externa Commemorationis ss. Sacramenti. Insuper ex eodem decreto ad V missae de Requiem pro prima vice post obitum, vel eius acceptum nuntium, prohibentur iam infra totam octavam Commemorationis sollemnis sanctissimi Corporis D. N. I. C.

2. Certum est quoque nullo modo esse mutata indulta quibus missas de Requiem in non nullis dioecesibus celebrare licet *cum cantu* bis vel ter singulis hebdomadis, etiam si occurrat duplex.

3. Immo idem dici posset de missis *cotidianis* de Requiem *cantatis* absque indulto celebratis in semiduplicibus. In novis enim rubricis (Tit. X n. 5) sic legitur : « Leges pro missis defunctorum *in cantu* immutatae manent. Quod ad vero missas defunctorum *lectas* dicendas diebus ritus semiduplicis aut simplicis, in posterum numquam celebrari poterunt... »

Verum est easdem rubricas (Tit. X n. 2) sic habere : « Prohibentur tamen missae votivae privatae, aut *privatae pro defunctis*. » Iam vero privatae dicuntur *omnes* missae cotidianae de Requiem, *etiam si fiant in cantu*. Unde quis deduceret missas cotidianas de Requiem, etiam in cantu, prohibitas iam esse in feriis de quibus in novis rubricis. Oppositae autem difficulati ex Tit. X n. 5 ortae ubi dicitur leges pro missis defunctorum *in cantu* immutatas manere responderet : missas in cantu hic intellegi missas privilegiatas, eo magis quod absque speciali indulto, missae de Requiem non sunt simpliciter privilegiatae, nisi sint sollemnes, aut saltem fiant in cantu.

Etsi hic intellegendi modus theoretice magis videtur consonare menti novarum rubricarum quae postulant ut non nisi graves ob causas missae feriali substituatur missa votiva vel de Requiem, in praxi tamen ob textum n. 5 priore opinione est standum.

4. Quod ad missas *de Requiem lectas* standum est novis rubricis (Tit. X n. 5) etiam si agatur de missis lectis in diebus privilegiatis, aut de missis celebrandis ex indulto. Excipiuntur tantum missae lectae de Requiem quae per rescripta quinquennalia nuper concessae sunt non nullis dioecesibus et provinciis religiosis in die obitus seu depositionis, tertio, septimo, trigesimo et anniversario. Haec tamen facultas est transitoria, et indultum, quando expiraverit, non renovabitur.

A prohibitione circa missas lectas de Requiem de qua in

novis rubricis (Tit. X n. 5) excipiuntur in praesenti decreto :

α) missae quae in sepulcretis celebrari permittuntur ad normam decreti 19 maii 1896 n. 3903 ;

β) missa in die obitus vel pro die obitus, in ecclesiis ubi celebratur funus alicuius defuncti cum missa exsequiali ;

γ) unica missa quae pro paupere defuncto celebrari permittitur iuxta decretum 9 maii 1899, n. 4024.

Attamen :

a) In toto suo robore manere censendum est indultum quo in ecclesiis Societatis Iesu missa exsequialis quae cum assistentia communitatis celebratur praesente corpore pro defuncto socio, fit lecta, quaeque proin etiam nunc iisdem diebus fieri poterit quibus licita est missa exsequialis in cantu.

b) Etsi hic sub β sermo tantum est de missis lectis in die obitus vel pro die obitus celebrandis *in ecclesiis ubi celebratur funus cum missa in cantu*, idem tamen extendendum putamus ad easdem missas quae ex decreto 4192 ad 1, in domibus religiosis, dici possunt in oratoriis privatis et semipublicis quae locum ecclesiae vel oratorii publici non tenent, *singulis diebus* ab obitu ad sepulturam quam diu corpus praesens est in domo, idque etiam si ibidem non fiat funus cum missa exsequiali.

c) Item censemus praedictas missas in die obitus vel pro die obitus licitas esse in ecclesiis Societatis Iesu, dum ibidem celebratur pro defuncto socio missa exsequialis *lecta*. Nec obstat quod praesens decretum exigat missam exsequialem *in cantu ;* iure enim missa exsequialis debet esse in cantu ac proin missa exsequialis lecta quae fit in Societate Iesu aequiperari potest missae cantatae in cuius loco subrogatur. Sed, neque obstat quod pro pauperibus permittitur *unica* missa lecta ; facile enim intellegitur plures missas pauperibus non concedi, cum censeantur impares solvendo expensas missae exsequialis cum cantu.

d) Unde circa hanc missam in die obitus vel pro die obitus per novas rubricas hoc unum nobis videtur innovatum, quod illae missae iam prohibitae sunt in duplicibus 2 classis. Ceteri dies in quibus celebrari non possunt, sunt : duplicia 1 classis, dominicae omnes et festa de praecepto, dies omnes qui excludunt duplicia 1 classis h. e. vigiliae Nativitatis Domini et Pentecostes, feriae privilegiatae, dies omnes infra octavas Paschae et Pentecostes, et dies octavae Epiphaniae et Commemorationis sollemnis sanctissimi Corporis D. N.

I. C. I. P.

652. — S. CONGR. DE RELIGIOSIS

DECRETUM 3 FEBR. 1913

De monialium et sororum confessionibus

(A. A S. 1 mart. 1913, 5, 52.)

Causa exponitur.

Cum de sacramentalibus Monialium et Sororum confessionibus moderandis plures ad hunc diem, ex re et ex tempore, iussae sint leges, eas, aliqua ex parte immutatas et apte dispositas, visum est in unum colligere Decretum, prout sequitur :

Unitas confessarii ordinarii.

1. Unicuique religiosae communitati tum Monialium tum Sororum, regulariter, unus dumtaxat detur Confessarius ordinarius : nisi ob magnum ipsarum numerum, vel aliam iustam causam, alterum vel plures dari oporteat.

Muneris duratio.

2. Confessarius ordinarius, regulariter, non ultra triennium in hoc munere permaneat. Episcopus tamen seu Ordinarius eum ad secundum, immo etiam ad tertium confirmare poterit :

a) si ob sacerdotum ad hoc officium idoneorum penuriam aliter providere nequeat ; vel

b) si maior Religiosarum pars, earum quoque quae in aliis negotiis ius non habent ferendi suffragium, in eiusdem Confessarii confirmationem, per secreta suffragia, convenerit ; dissentientibus tamen, si velint, aliter providendum erit.

Confessarius extraordinarius.

3. Pluries in anno, unicuique religiosae communitati detur Confessarius extraordinarius, ad quem omnes Religiosae accedant oportet, saltem ut benedictionem accipiant.

Designandi qui vocari possint.

4. Unicuique domui religiosae aliquot ab Ordinario sacerdotes deputentur, quos Religiosae in casibus particularibus, confessionis peragendae causa, facile vocare queant.

Confessarius specialis.

5. Si qua Religiosa, ad animi sui quietem et maiorem in via Dei progressum, aliquem specialem Confessarium vel moderatorem spiritualem postulet, erit facile ab Ordinario concedendus ; qui tamen invigilabit ne ex hac concessione abusus irrepant : quod si irrepserint, eos caute et prudenter eliminet, salva tamen conscientiae libertate.

A quo deputandi.

6. Si Religiosarum domus Ordinario loci subiecta sit, hic eligit sacerdotes a confessionibus tum ordinarios tum extraordinarios ; si vero Superiori regulari, hic Confessarios Ordinario loci praesentet, cuius est iisdem audiendi confessiones potestatem concedere.

Qui deputari possint.

7. Ad munus Confessarii sive ordinarii, sive extraordinarii, sive specialis, deputari possunt sacerdotes, tum e Clero saeculari tum, de Superiorum licentia, e Clero regulari, dummodo tamen nullam habeant in easdem Religiosas in foro externo potestatem.

8. Hi Confessarii, qui annos quadraginta expleverint oportet, morum integritate et prudentia emineant ; at Ordinarius, iusta de causa et onerata eius conscientia, ad hoc munus eligere poterit sacerdotes, qui nondum ea aetate sint, modo memoratis animi laudibus excellant.

9. Confessarius ordinarius non potest renuntiari extraordinarius, et, praeter casus in articulo 2 recensitos, rursus eligi ut ordinarius, in eadem communitate, nisi post annum ab expleto munere. Extraordinarius immediate ut ordinarius eligi potest.

Summa discretio.

10. Confessarii omnes sive Monialium sive Sororum, caveant ne interno vel externo communitatis regimini sese immisceant.

Nullo modo Superiorissa impediat vocari extraordinarium.

11. Si qua Religiosa extraordinarium Confessarium expetat, nulli Antistitae liceat, vel per se vel per alios, neque directe neque indirecte, petitionis rationem inquirere, petitioni verbis vel factis refragari, aut quavis ratione ostendere se id aegre ferre ; quod si ita se gesserit, a proprio Ordinario moneatur ; si iterum id ipsum peccaverit, ab eodem deponatur, audita tamen prius sacra Congregatione de Religiosis.

Silentium.

12. Omnes Religiosae de sociarum confessionibus nullo modo inter se colloquantur, neve eas sorores carpere audeant, quae apud alium, quam deputatum, confessionem peragant ; secus ab Antistita vel ab Ordinario puniantur.

Confessarius specialis sine iusta causa vocatus, renuat.

13. Confessarii speciales, ad monasterium, seu domum religiosam vocati, si intellegant Religiosas nulla iusta causa vel necessitatis vel utilitatis spiritualis ad ipsos accedere, eas prudenter dimittant. Monentur praeterea omnes Religiosae, ut facultate sibi concessa specialem petendi Confessarium sic utantur, ut, rationibus humanis sepositis, tantummodo spirituale bonum et maiorem in religiosis virtutibus progressum intendant.

Extra proprium domum.

14. Si quando Moniales aut Sorores extra propriam domum, quavis de causa, versari contigerit, liceat iis in qualibet ecclesia vel oratorio, etiam semipublico, confessionem peragere apud quemvis Confessarium pro utroque sexu approbatum. Antistita neque id prohibere, neque de ea re inquirere potest, ne indirecte quidem ; Religiosaeque nihil Antistitae suae referre tenentur.

In gravi morbo.

15. Moniales omnes aut Religiosae, cum graviter aegrotant, licet mortis periculum absit, quemlibet Sacerdotem ad confessiones excipiendas approbatum arcessere possunt, eique, perdurante gravi infirmitate, quotiens voluerint, confiteri.

Quaenam subiectae Decreto.

16. Hoc Decretum servandum erit ab omnibus religiosis mulierum familiis, votorum cum sollemnium, tum simplicium, ab Oblatis aliisque piis communitatibus, quae nullis votis obstringuntur, etiamsi Instituta sint tantum dioecesana. Obligat etiam communitates, quae in Praelati regularis iurisdictione sunt ; qui nisi fidelem observantiam huius Decreti curet, Episcopus seu Ordinarius illius loci id agat ipse tamquam Apostolicae Sedis Delegatus.

Insertio in Regulis et lectio.

17. Hoc Decretum Regulis et Constitutionibus unius cuiusque religiosae familiae addendum erit, et publice legendum lingua vulgari in Capitulo omnium Religiosarum, semel in anno.

Approbatio pontificia.

Itaque praerogatis Emis Patribus Cardinalibus sacrae Congregrationis de Religiosis in plenario coetu ad Vaticanum habito die 31 mensis Ianuarii anno 1913, sanctissimus Dominus noster Pius PP. X, referente infra scripto Secretario, hoc Decretum in omnibus approbare et confirmare dignatus est, et mandare ut in lucem edatur, et ab omnibus ad quos spectat, in posterum apprime servetur.

Clausulae.

Contrariis non obstantibus quibuscumque, etiam speciali et individua mentione dignis.

Dies (3 febr. 1913). Datum Romae, ex Secretaria sacrae Congregationis de Religiosis, die 3 mensis februarii anno 1913.

Fr. I. C. Card. Vives, *Praefectus.*
† *Donatus Archiep. Ephesinus, Secretarius.*

Annotationes

I. Neminem fugit magnum huius Decreti momentum, quod veluti caput futuri Codicis Iuris canonici habendum est. Cum in ipso decreti exordio dicatur scopum esse colligere in unum leges latas de confessione religiosarum, deinceps huic soli decreto standum erit, si quid ex veteribus legibus omissum vel immutatum fuerit.

Tendentia autem huius documenti eo collineare videtur « ut iugum Christi suave maneat omnibus, iisque praesertim quae Ipsi vitam omnem dicarunt, nec intempestiva severitate sacramentum Paenitentiae, qui fons esse debet solacii, fiat, sicut quandoque experti sumus, occasio spiritualis afflictionis et ruinae » (Period. t. V. p. 12[illegible].) Cfr. ceterum totum hoc *Supplementum* Period. t. V. p. 1[illegible] ss. et t. III p. 38-9.

In sequentibus annotationibus fere semper prae oculis habemus religiosas quae non nisi simplicia emittunt vota, sive pertinent ad Instituta quae forte alibi fruuntur votis sollemnibus, sive non. Tales tantum in Belgio habemus religiosas. Ad quas ceterum Ordinarii magnam partem traduxerunt disciplinam de confessionibus praescriptam monialibus stricte dictis. Si iuxta praesens decretum aliquid immutatum sit circa disciplinam pro solis monialibus stricte dictis valentem, facile advertet benignus lector consulendo *De Religiosis* tomum 1, n. 472-5.

II. **De confessario ordinario.** Confirmatur (art. 1) principium *de unitate confessarii ordinarii* in una quaque communitate. Simul tamen *temperatur* articulo 5 (v. infra), et eo quod non tantum ob magnum religiosarum numerum, sed etiam *ob aliam iustam causam* admittitur plures dari confessarios ordinarios. Quae iusta causa ex benigna mente S. Sedis non severe aestimanda est. Ceterum sub veteri disciplina toleratum est [1] ut bini haberentur confessarii. Cfr. Bizzarri, ed. 1, p. 415-6. Quod si Ordinarius iudicaverit iustam esse causam cur plures deputentur confessarii, nihil impedire videtur quominus illis pluribus in omnes religiosas cumulativam tribuat iurisdictionem : quod ceterum practice minus inconveniens erit ut sinantur eligere inter plures confessarios, quam si sororibus singulis, vel saltem determinatae parti communitatis suus assignaretur confessarius.

[1] Neque opponatur responsum S. Congr. Ep. et Reg. 7 dec. 1906 (Period. t. III, ed. 1, p. 35), quippe quod reprobat confessarium quem nunc vocamus « specialem » quique ex art. 5 praesentis decreti facilius permittitur.

Ut antea, sorores non exemptae semper valide confitentur apud *parochum* in cuius paroecia sedem habent.

Art. 2 rursus inculcatur *triennalis mutatio* confessarii ordinarii, sive unus sit, sive plures, qui scil. *in ipso conventu* confessiones audiant. Etenim si confessio peragi consuevit in ecclesia parochiali, confessarius designatus tamquam ordinarius mutationis legi non est obnoxius. Ita S. C. Ep. et Reg. 20 iul. 1875. Quod responsum eo vel magis in suo robore permanere censendum est quod nunc etiam ampliorem libertatem nanciscuntur (art. 14) sorores quae claustris egrediuntur.

Ex necessitate triennalis mutationis, difficultas oritur si confessarius simul est « *Moderator* » conventus vel Instituti, quem scilicet post quodcumque triennium mutari valde ipsi Instituto nocere potest. Nec facile post triennium « Moderator » amoveretur a confessionibus audiendis. Aliunde ex art. 10 mens S. Sedis luculenter apparet ut confessarius nulla alia negotia cum sororibus pertractanda habeat. Propter utramque difficultatem, satius esse videtur ut « Moderator » non constituatur confessarius, saltem non unicus. Cfr. PERIOD. t. V, p. [9].

Post elapsum triennium, Ordinarius confessarium ad secundum, immo ad tertium triennium confirmare poterit. Non tamen pro lubitu, cum signate *duo casus* indicentur, penuria scil. idoneorum sacerdotum, vel expostulatio per secretum suffragium maioris [1] partis religiosarum, earum quoque (quod probe advertendum est) quae in aliis negotiis iure suffragii non gaudeant. Cavendum ne talis suffragatio paci officiat domesticae : unde circa hoc negotium a fortiori inculcandum est silentium de quo in art. 12. Neque umquam ipse confessarius directe vel indirecte procuret ut ad novum triennium eligatur.

Dissentientibus sororibus, illis scil. quae cupiant non confirmari confessarium, idem confessarius nullo pacto tamquam ordinarius imponi potest, sed ipsis aliter provideatur sive plures ordinarios (art. 1), sive specialem (art. 5) deputando confessarium.

III. **De confessario extraordinario** *generali* confirmatur (art. 3) disciplina huc usque vigens, ita ut *saltem* bis vel ter (dicitur enim : *pluries*) in anno offeratur, ad quem omnes religiosae accedant saltem ad benedictionem petendam.

Pariter de confessario extraordinario *particulari,* quem scil. in casibus particularibus religiosae facile vocare queant, confirmatur disciplina, praesertim per decretum *Quemadmodum*

[1] Proinde etiam apud moniales stricte dictas non iam requiruntur *duae tertiae* partes ad secundum, neque *omnium* consensus ad tertium triennium, neque recursus ad S. Sedem. Cfr. Bizzarri, Collect. p. 14.

inculcata. Quae ut expedite ad effectum perducatur, Ordinari sacerdotes aliquot speciali approbatione pro sororibus audiendis instruant, ut factum est v. g. in Mechlin. ub idonei sunt omnes Canonici Capituli Metropolitani, titulares et « ad honores », Decani et confessarii ordinarii vel extra ordinarii alicuius conventus religiosarum.

Quae petitio confessarii extraordinarii particularis idone regulariter *per Superiorissam* fieri debet. Quod si talis con fessio sacerdoti, speciali approbatione pro sororibus instructo fit inscia Superiorissa in conventu, non quidem periclitatur *valor* absolutionis, sed huc usque sacerdos non *licite* dice batur aures praebere [1]. Quod nunc merito in dubium vocar potest ex analogia art. 14, ubi edicitur ad licite confitendum extra domum non iam requiri veniam Superiorissae. Quidn etiam si fit confessio intra domum sacerdoti specialiter approbato ?

Severioribus rursus verbis insistitur (art. 11) ne Supe riorissa ullo modo *libertatem* minuat subditarum ad determi natum extraordinarium confessarium vocandum. Quocirca iuxta decretum *Quemadmodum* et resp. S. C. Ep. et Reg 5 aug. 1904, etiamsi Superiorissa sincere coram Domino putet nullam iustam causam subesse, nihilo minus arcessat petitum confessarium, qui se gerat ut art. 13 de confessario speciali dicitur. Quod si gravius motivum certo adest ne vocetur determinatus confessarius, ut puta si constat de affectu minus recto sororis, res incunctanter ad Ordinarium deferatur. Cfr. Génicot. *Theol. mor.* II. n. 341.

Adduntur sanctiones (praeter *denuntiationem* faciendam ex decr. *Quemadmodum*, si quando ratio agendi Superiorissae aequivaleat exquirendae rationi conscientiae), ut scil. primo Superiorissa quae deliquerit, severe *moneatur*, dein etiam *deponatur*. Ne severitas illa cuiquam mirationem iniciat, advertendum est agi de negotio natura sua gravissimo, et gravem esse ex genere suo culpam Superiorissae quae, cum ad ipsam non spectet iudicare de rebus internis, libertati conscientiae obicem ponat.

IV. **De confessario speciali** *ordinario*, notabilis est *immutatio disciplinae*. Dum ante paucos annos (7 dec. 1906) a S. Congr. Ep. et Reg. improbabatur [2] confessarius specialis concessus tamquam ordinarius (Period. III p. 35), dicitur modo (art. 5) *facile concedendus,* cum prudentia debita, sed salva tamen conscientiae libertate. Neque tanta ratio requiri-

---

[1] Videsis in Mechlin. Instructions adressées aux communautés (1890) C. IV. n. 6.

[2] Salvis tamen exceptionibus iam statutis in Const. *Pastoralis curae* Benedicti XIV — Qui nunc recte dicitur « confessarius specialis », scil. habitualis seu ordinarius unius vel paucarum sororum, dicebatur in resp. 7 dec. 1906 « extraordinarius particularis » seu habitualis paucarum monialium. Cavendum ab ambigua terminologia.

tur : satis enim est ut religiosa « ad animi sui quietem et maiorem in via Dei progressum » specialem postulet confessarium. Itaque deficiens fiducia in confessarium ordinarium erit facile motivum iustum, cum haec fiducia ad progressum in via Dei summopere iuvet.

Non videtur articulus intellegendus tantum de deputatione alicuius sacerdotis, non comprehensi inter eos qui iuxta art. 4 designati sunt, quem religiosa in casibus particularibus tamquam *extraordinarium* particularem vocare queat (v. supra III). Non enim additur « in casibus particularibus » sicut in art. 4, vel alia clausula conectens hunc articulum 5 cum praecedenti, puta « specialem confessarium praeter eos iuxta art. 4 designatos ». Insuper expresse nominat « moderatorem spiritualem » quae vox profecto intellegi nequit de sacerdote qui per transennam tamquam extraordinarius vocaretur. Tandem non tanti abusus videntur timendi ex accessu per transennam confessarii extraordinarii, quanti art. 5 insinuantur praecavendi.

Quod si quaeritur utrum confessarius specialis legi *triennalis mutationis* sit obnoxius, negandum est. Cfr. S. Congr. Ep. et Reg. 7 dec. 1906, ad 5. Cum ipsa soror hunc sibi dari confessarium postulaverit et semper possit vel alium sibi petere specialem confessarium (art. 5), vel sponte iam habitualiter confiteri apud ordinarium confessarium totius domus, non est cur petitus et concessus confessarius ipsi statis temporibus eripiatur. Si autem abusus irrepit, ex art. 5 suppetit medium eliminandi.

Videtur tamen etiam haec religiosa teneri ad adeundum confessarium extraordinarium generalem saltem ad benedictionem accipiendam (art. 3), quotiens aliae sorores illum adire tenentur. Si enim ipsa ad hoc non « obligaretur », posset facile verecundia erga suum specialem confessarium detineri quominus extraordinarium adiret, ubi tamen huius ope indigeret. Ceterum cum art. 3 non distinguat *(omnes)*, neque nos distinguere debemus.

Art. 13 decreti de confessario vere « speciali », definito ut supra art. 5, audiendus est [1] ne supponatur Sacra Congregatio usa esse terminologia parum fixa quae Romanam Curiam dedeceat. Age porro, ad confessarium specialem extenditur quod iam circa confessarios extraordinarios particulares inculcaverat S. C. Ep. et Reg. 17 aug. 1891 et 1 febr. 1891, scil. ipsorum esse paenitentem prudenter cohibere ne inanem ob causam ad alium quam ordinarium confessarium recurrat.

Quod ad ipsam moderationem in petendis confessariis sororibus inculcandam, aliquanto mitius loquitur praesens

[1] Art. 7 luculenter distinguuntur confessarii ordinarii, extraordinarii et speciales.

decretum, quod (art. 13) ad petendum specialem confessarium agnoscit tamquam sufficientem causam « maiorem in virtutibus progressum » (cfr. art. 5), dum decretum *Quemadmodum*, ad petendum confessarium extraordinarium severius disponere videbatur, scil. ut ad id adigerentur ut propriae conscientiae consulerent.

V. **De deputatione confessariorum.** Confirmatur disciplina vigens circa deputationem activam (art. 6) et passivam (art. 7) confessariorum. Attamen non iam prohibetur ne regularis sit confessarius ordinarius monialium stricte dictarum, nisi sit ipse Superior qui in ipsas in foro externo habeat potestatem.

Quod iam habebatur e responsis S. Congr. Ep. et Reg. et in Constitutionibus non nullorum Ordinum, nunc imponitur generaliter, ut scil. confessarii *annos quadraginta* expleverint, salva tamen exceptione quam Ordinarius iusta de causa et onerata eius conscientia facere potest. Difficilius, ut patet, iunior confessarius deputari poterit ut stabiliter sit confessarius ordinarius, extraordinarius vel specialis, quam ut in casu transeunti, puta occasione exercitiorum spiritualium, sororum audiat confessiones. Quo ultimo casu, qui a Superioribus suis, saecularibus vel religiosis, idneus iudicatur ad sacrum ministerium ita apud sorores exercendum, facile habebit integritatem et prudentiam quam art. 8 requirit, itaque posita valida deputatione ab Episcopo, ipse etiam merito et omnino licite ad audiendas sorores deputari dicendus est [1].

Luce autem clarius est nec aetatem, nec dotes animi deficientes [2], unquam officere *validitati* absolutionis.

Ad valorem enim confessionis sufficit ut confessarius gaudeat speciali approbatione [3] seu deputatione Episcopi pro sororibus audiendis. Sacerdos autem qui valide deputatus est ab Episcopo, potest huius iudicio acquiescere et tuta conscientia confessiones audire, licet forte non nullis dotibus, ad liceitatem deputationis requisitis, destitutus sibi videatur.

In art. 9 cavetur universaliter, iuxta resp. S. Congr. Ep. et Reg. 7 dec. 1905, ad 3 (Cfr. PERIOD. III, p. 36-8), ut non nisi post intervallum confessarius ordinarius fiat extraordinarius, scil. ne nimis restringatur permutatio confessariorum et ne succedens confessarius ordinarius forte multis modis in officio suo impediatur. Agitur sane in hoc articulo de non constituendo ordinarium officio decedentem, tamquam extraordinarium *generalem* (art. 3): hic enim solus ex officio

[1] Cfr. in Mechlin. Instructions etc. 1890, C. IV. n. 7.

[2] Sicut nec triennalis mutatio (art. 2; cfr. PERIOD. t. III, p. 38), nec alia indebita et *illicita* constitutio confessariorum (puta contra art. 7, 9) importat ad *valorem* confessionum auditarum.

[3] Quae specialis approbatio ubique in decreto supponitur, licet non expressis verbis enuntietur.

« renuntiatur » extraordinarius. Litterae proinde legis non contradicit quod ordinarius decedens in casibus particularibus vocetur tamquam extraordinarius particularis (art. 11). Cum tamen haec etiam ratio agendi plura incommoda creare possit, quantum fieri potest, vitanda est. — Minus repugnare videtur ordinarium officio decedentem, propter graviorem omnino causam, dari tamquam « specialem » confessarium habitualem sorori id ipsum expostulanti (art. 5).

Post annum autem ab expleto munere (puta si succedens ordinarius post annum morte abripiatur), confessarius rursus ab Episcopo ut ordinarius constitui potest. — Ad hanc deputationem non requiritur suffragium communitatis, ut forte aliquis ex verbo « eligi » perperam concludet. Idem dicatur de deputatione qua extraordinarius constituatur ordinarius.

VI. **De prudentiae et pacis cautionibus.** Inculcatur scil.

a) Summa discretio *Confessario* (art. 10), ne se immisceat rebus ad forum conscientiae non directe pertinentibus. Quae exinde oriatur difficultas, ne confessarius simul sit « Moderator », iam supra sub II perpendimus. — Confessariis specialibus (art. 13) inculcata discretio, ne facile sinant ad se sine iusta causa recurri, supra sub III explicatur.

b) *Superiorissae* summa praescribitur reverentia erga libertatem conscientiae subditarum. Cfr. supra III.

c) *Sororibus* omnibus altum prudentiae silentium imponitur : ut scil. ab eorum colloquiis argumentum de confessionibus sociarum penitus exclusum et pro vetito habeatur, adeo ut neque percontentur apud quem singulae confiteantur. A fortiori ne carpere praesumant quae apud alium quam ordinarium confiteantur, puta apud extraordinarium particularem, vel apud specialem, vel etiam extra domum (art. 14) : quod ultimum per locutionem « alium quam deputatum » potissimum respicitur.

Quae prohibitio, cum sane parvitatem materiae admittat, tamen ex genere suo gravis est. Itaque graviter delinquere censebitur Superiorissa vel alia soror, si ex modo loquendi notabiliter restringitur libertas confessionis alicuius sororis, vel notabiliter propter confabulationes de confessione perturbetur pax domestica. Quod sane antea iam lege naturali impositum, nunc positivo vetito aggravatur [1].

VII. **Extra domum** si versatur religiosa, *quavis de causa*, proinde *etiam illegitime*, confessio eius apud quemcumque confessarium pro utroque sexu approbatum, non solum semper *valida* (quod practice iam ubique in dioecesibus

[1] Quamvis non explicite praescribatur, prudenter moderatores in promulgando hoc decreto de hoc ipso silentium servandum imponent, ne praesertim Superiorissae minutam sibi auctoritatem (art. 14) conquerantur.

Belgii ex voluntate Episcoporum obtinebat), sed etiam *licita* est (art. 14). Neque iam ulla *praevia licentia* Superiorissae ad confessionem ita instituendam petenda est, quamvis forte regula vel ordinatio Ordinarii hanc huc usque praescripserit [1]. Frustra enim licentia petitur quae denegari non possit. Cumque dicatur Superiorissa ne indirecte quidem indagare posse et subdita nihil post factum renuntiare debere, satis ostendit Sacra Congregatio nunc totum hoc negotium immixtioni Superiorissae esse subtractum.

Ne exinde tamen concludatur praecise ad egrediendum domo non necessariam esse licentiam Superiorissae, etiamsi fiat egressus unice confessionis recte instituendae causa. Talis enim libertas regulariter admissa ad omnem disciplinae relaxationem duceret. Ex altera tamen parte ne exageretur culpa sororis non stricte claustratae, quae sine licentia, secluso pravo fine et scandalo, egrediatur, cum tandem egressus ipsi generatim non nisi regula non sub peccato obligante prohibeatur. Quocirca in casu quodam rarissimo, ubi ex gr. soror iam frustra postulasset confessarium advocari vel sibi fieri copiam egrediendi, nolimus ipsam carpere, si, propter urgentem conscientiae necessitatem, secluso scandalo, clam egrediatur ad confitendum.

Obligaturne Superiorissa concedere *veniam egrediendi* ad confitendum ? Negandum est, tum ne abusibus et praetextibus ansa praebeatur, tum ne frequentior fiat egressus religiosarum et evanescat lex de unitate confessarii. Sed eo facilior erit Superiorissa ad vocandum intra saepta confessarium extraordinarium (art. 11). In casu tamen transeunte, ubi nullus abusus timetur, sicut nec carpenda est religiosa quae cupiat egredi ad confitendum, ita nec vituperanda Superiorissa quae veniam faciat egrediendi.

Non valde inconveniens est quod *interdum* apud confessarium in ecclesia extra domum confessio fiat. — Si autem *frequenter* aditur, adeo ut quasi specialis et ordinarius habeatur confessarius, ipsius erit suaviter et prudenter hanc importunam avertere clientelam (cfr. art. 13). Casus iste frequentius accidere possit, ubi sorores, confitentes in ecclesia parochiali, relinquant ex. gr. parochum qui ex officio renuntiatus est ipsarum moderator spiritualis. Ad hanc derelictionem praeveniendam, possitne Episcopus alii sacerdoti, puta vicario, in ecclesia parochiali confessiones audienti, *subtrahere facultatem* ad valide Sorores audiendas ? Id

[1] Iam plures tenebant hanc licentiam non sub peccato requiri, sed mere tamquam ex regula per se non sub peccato obligante, a qua proinde servanda ratio seria excusabat. GÉNICOT, *Theol. mor.* ed. 7 II, n. 339, not.; LEHMKUHL, *Linzer Quartalschr.* oct. 1909.

merito disputari potest, cum ex una parte iure communi iam numquam necessaria sit approbatio *specialis* pro sororibus audiendis quotiens extra propriam domum confitentur, ex altera tamen parte videtur Episcopus etiam *ordinariam* approbationem ad confessiones valide circumscribere posse.

Sane non probandum fuerit, contra mentem S. Sedis et tendentiam Iuris communis, restringere facultatem confitendi extra domum, sed satius erit aliter abusus forte irrepentes compescere. Cfr. PERIOD. t. V, p. (8) ; DE RELIG. t. I, n. 477 ad fin.

VIII. **In gravi morbo** pariter tollitur (art. 15) necessitas approbationis specialis pro sororibus, cum Benedictus XIV in Const. *Pastoralis curae* tantum edixerit graviter aegrotanti moniali facilius concedendum esse confessarium quem peteret. Assimilatur proinde fidelibus in genere religiosa graviter aegrotans, aut etiam monialis stricte dicta (diserte enim commemoratur, quae proinde maiorem obtineat libertatem etiam quod ad casus forte reservatos, quam vel ipsi regulares qui graviter non tamen periculose aegrotantes talem copiam huc usque non habent.

Nec ad vocandum confessarium quemcumque approbatum *interventus Superiorissae* requiri videtur, cum ipsae religiosae aegrotantes dicantur illum arcessere posse : quod sane valde utile esse potest.

Probe dein advertendum est non requiri mortis periculum, sed sufficere *gravem morbum :* qualis est qui facile periculosus fieri possit, vel qui cogat per unam alteramve hebdomadam lecto decumbere [1]. Non tamen facile assimilari potest tempus convalescentiae ex gravi morbo vel ex operatione chirurgica (si non nisi ad sanandum vulnus decumbitur) cum explicite dicatur confessiones fieri posse « perdurante gravi infirmitate ». A fortiori venia non valet de religiosis, quae, mala quidem affectae valetudine, non tamen graviter aegrotare dici possunt, puta si fuerint senio confectae, vel viribus exhaustae, vel paralysi impotentes. Ita, salvo meliore iudicio et ulteriore determinatione (quae exoptatur) « gravis morbi », prudenter dicendum videtur, ne temere sacramentum periculo nullitalis exponatur.

Vix in memoriam revocandum est religiosas, *in periculo mortis* constitutas, non excludi a beneficio dispositionis Tridentinae circa iurisdictionem cuiuscumque sacerdotis.

IX. **De subiectis legis**. Universalissima decreto tribuitur extensio, ita ut etiam Instituta pia in quibus vota non emittuntur, et Instituta dioecesana comprehendat. Unde de

[1] Haec per modum exempli sint dicta, non per modum condicionis requisitae. Potest enim esse gravis morbus in quo quis *non decumbat,* vel etiam decumbere impediatur.

facto notabilis mutatio et severa disciplina inducitur in communitates sororum, ad quas forte Episcopi legem de unitate confessarii ordinarii non duxerant extendendam.

Quanto studio prosequatur S. Sedes huius decreti exsecutionem, ostenditur potestate agendi contra Praelatum exemptum neglegentem, tributa Ordinario tamquam S. Sedis Delegato (art. 16), tum mandato insertionis in regulis et lectionis annuae (art. 17) obligante in conscientia, tum speciali iussione Summi Pontificis una cum approbatione edita.

I. S.

653. — S. CONGR. RITUUM

RESPONSA 8 FEBR. 1913

De caerimoniis quibusdam servandis coram augustissimo sacramento, assistente vel celebrante episcopo.

Sacrorum Rituum Congregationi sequentia dubia pro opportuna solutione proposita fuerunt ; nimirum :

Dubia.

I. In sollemni benedictione cum sanctissimo Eucharistiae Sacramento, quando episcopus assistit cappa indutus, et ponit incensum in thuribulo, debetne etiam ipse thurificare Ssmum Sacramentum ?

II. Si praedicta benedictio sollemnis detur post vesperas pontificales, presbyter assistens throno, debetne genuflectere a dextris episcopi in infimo gradu altaris, eique ministrare incensum ac demum porrigere ostensorium pro benedictione impertienda ?

III. Si aliquando contingat, ut episcopus Missam pontificalem celebret coram augustissimo Sacramento exposito, debetne ipse canere *Gloria* et *Credo* et legere Epistolam atque Evangelium in throno, more solito, absque mitra ?

Et sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito Commissionis Liturgicae suffragio, propositis dubiis ita respondendum censuit :

Responsa

Ad I. Ad I. Affirmative iuxta decretum n. 3035 *Briocen.*, 21 iulii 1855, ad 1.

Ad II. Ad II. Presbyter assistens accedit ad episcopum tantum pro ministrando incenso et thuribulo ad incensationem ; mox locum cedat diacono assistenti qui deinde ostensorium episcopo est porrecturus.

Ad III. Ad III. Affirmative in casu : sed iuxta morem et consuetudinem ecclesiarum cathedralium et congruenter menti Caerimonialis Episcoporum, lib. I, cap. 12, num. 8 et 9, episcopus se abstinet a celebranda Missa pontificali coram sanctissimo Sacramento publice exposito.

Atque ita rescripsit et declaravit. Die 8 februarii 1913.

Fr. S. Card. Martinelli, *Praefectus.*

† *Petrus La Fontaine, Ep. Charistien., Secretarius.*

Annotationes

Ad I. Ut ex citato decreto liquet [1], agitur de casu quo ipse

[1] Mendose hic videtur inscribi decretum 3035 ad 1 pro ad 6.

episcopus benedictionem cum Sanctissimo non est daturus, sed sollemniter i. e. saltem cappa indutus, assistit benedictioni ab alio celebrante impertiendae.

Ad II. Contra, in hoc responso agitur de casu quo ipse episcopus benedictionem est daturus. Diaconus assistens a dextris in casu ostensorium accipit et episcopo tradit, etsi stola non est indutus.

Ad III. In Caerimoniali Episcoporum lib. I cap. XII, n. 8 haec dicuntur : « Valde opportunum est, ut [sanctissimum Sacramentum] non collocetur in maiori, vel in alio altari, in quo episcopus, vel alius sollemniter est Missam celebraturus ;... Quod si in altari maiori, vel alio, in quo celebrandum erit, collocatum reperiatur, ab eo altari in aliud omnino transferendum erit, ne propterea ritus, et ordo caerimoniarum, qui in huiusmodi missis et officiis servandus est, turbetur. » Et in n. 9 : «... et ideo non incongruum, sed maxime decens esset ut in altari, ubi sanctissimum Sacramentum situm est, missae non celebrarentur, quod antiquitus observatum fuisse videmus. » Unde patet, etsi missae sollemnes coram Sanctissimo exposito celebratae dici non possunt stricte prohibitae, omnino tamen decet ut tales missae, etiam a simplici sacerdote non celebrentur.

I. P.

---

654. — RESPONSUM 14 febr. 1913

RUBRICAE

Inserendae rituali et breviario romano in officio defunctorum

Ante Vesperas

Quotiens Vesperae separatim ab Officio divino recitantur, dicitur secreto *Pater* et *Ave ;* secus absolute incipitur ab Antiphona : *Placebo Domino* etc.

Ante Matutinum

Quotiens Matutinum delationem cadaveris ad ecclesiam ac Responsorium : *Subvenite,* vel Matutinum diei currentis immediate non sequatur, dicitur secreto *Pater, Ave, Credo ;* secus absolute incipitur ab Invitatorio.

Ante IX Responsorium

Sequens Responsorium dicitur quando tres tantum Lectiones huius Nocturni dicuntur.

Post IX Responsorium

Sequens Responsorium dicitur loco praecedentis, quando dicuntur pro defunctis novem Lectiones.

Suprascriptas Rubricas Rituali et Breviario Romano in Officio defunctorum addendas, ad normam recentium dispositionum et praeserim Decreti *Romana et aliarum* diei 25 octobris 1912, sacra Rituum congregatio approbavit et in novis editionibus tum Ritualis tum Breviarii Romani inseri iussit. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 14 februarii 1913.

Fr. S. Card. Martinelli, *Praefectus.*
† *Petrus La Fontaine, Ep. Charistien., Secretarius.*

Annotationes

In appendice novi psalterii datur, ut notum est, novum officium defunctorum recitandum in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum. Porro, cum in antiquo officio defunctorum horae absolute dicebantur inchoandae a prima antiphona, non praemisso *Pater*, *Ave* aut *Credo*, in hoc novo officio *Pater* et *Ave* praescribuntur dicenda ante Vesperas, quotiens a Vesperis diei separentur, item ante alias quascumque horas *Pater*, *Ave* (et *Credo*) praescribuntur dicenda.

Die 24 iul. 1912 tulit Congregatio decretum quo officio defunctorum applicatur regula tradita in Ordinario divini officii iuxta quam, quotiens laudes a Matutino separantur, ipsis laudibus praemittenda sunt *Pater* et *Ave*, idque non tantum in officio novo quod recitatur in Commemoratione Defunctorum, sed etiam in alio officio defunctorum ; simulque confecta est nova rubrica de hac re in praedicto officio deinceps inserenda tam in Breviario quam in Rituali Romano. (Cfr. Period. t. VI n. 607).

Nullus exinde dubium esse potuit quominus et huic officio iam applicanda esset regula data pro inchoatione vesperarum et matutini in officio Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum, et Vesperis *Pater* et *Ave*, Matutino vero *Pater*, *Ave* et *Credo* esse praemittenda quotiens separatim ab officio divino recitentur. Ita agendum formaliter respondit S. R. C. die 25 oct. 1912 (Period. t. VI n. 629) ; nullam tamen tunc de hac re condidit rubricam in ipso officio inserendam, quod praesenti decreto supplet. In posterum igitur in officio defunctorum, uti prostat in Breviario et in Rituali, ante Vesperas et Matutinum inserendae sunt rubricae praesenti decreto praescriptae, ante Laudes vero rubrica praescripta decreto 24 iul. 1912.

Nova etiam praescribitur rubrica inserenda ante et post nonum responsorium ; nihil novi tamen per eas inducitur, sed clarius tantum indicatur in quibus circumstantiis unumquodque ex iis responsoriis sit recitandum.

Animadvertatur ante Matutinum *Pater*, *Ave* et *Credo* esse

omittenda non solum si immediate praecesserit Matutinum diei currentis, sed etiam si immediate praecesserit delatio cadaveris ad ecclesiam ac responsorium *Subvenite*.

I. P.

---

655. — INSTRUCTIO (12 dec. 1912)

Seu declaratio super kalendariis propriis reformandis

Occasio.

Evulgata Instructione sacrae Rituum Congregationis die 23 iulii vertentis anni 1912, cum non nulli R^mi locorum Ordinarii et Superiores generales Ordinum seu Congregationum religiosarum, expostulantes reformationem proprii Kalendarii, preces porrexerint haud omnino conformes memoratae Instructioni, sacra Rituum Congregatio, ut labor expeditior evadat, opportunum iudicavit ulteriorem edere instructionem, cui in posterum se conformare debeat quisque Kalendarii reformationem exoptat.

Praescripta.

I. Supplex libellus ad S. Rituum Congregationem transmittatur, in quo, consentiente Capitulo ecclesiae cathedralis seu Consilio Ordinis, postuletur ut, relicto Kalendario hucusque adhibito, servari possit Kalendarium Ecclesiae universalis, additis tantummodo festis stricto sensu propriis, quae cum dioecesi aut instituto religioso particularem habeant relationem.

II. Supplici libello addatur elenchus praedictorum festorum, quae sunt stricto sensu propria.

III. In memorato elencho sequentia festa particularia praesertim inserantur :

Pro Dioecesibus :

a) Dedicatio ecclesiae cathedralis, aut omnium ecclesiarum (si collective recolatur).
b) Titulus ecclesiae cathedralis,
c) Patronus principalis dioeceseos, provinciae, nationis,
d) Patronus principalis civitatis episcopalis,
e) Patroni minus principales.
f) Sancti qui in dioecesi orti sunt, vel vixerunt, aut obierunt,
g) Sancti, de quibus habentur corpora, aut reliquiae insignes,
h) Cetera festa, quae cum dioecesi specialem habent relationem.

Pro Ordinibus seu Congregationibus :

a) Dedicatio omnium ecclesiarum (si collective recolatur),
b) Titulus principalis,
c) Sancti fundatores,
d) Sancti qui Ordinis, seu Congregationis, regulam professi sunt,
e) Cetera festa, quae cum instituto religioso specialem habent relationem.

IV. De uno quoque festo sequentia praesertim referantur :
a) Dies, in qua nunc celebratur,
b) Dies natalis, si constet,

c) Ritus, quo gaudet,

d) Relatio cum dioecesi aut Ordine seu Congregatione.

V. Mittatur ad hanc S. C. Proprium Officiorum dioeceseos vel instituti religiosi, et Kalendarium perpetuum hucusque adhibitum, vel saltem, huius loco, ultimus *Ordo divini Officii*, etc. typis cusus.

Ex Secretaria S. Rituum Congregationis, die 12 decembris 1912.

† *Petrus La Fontaine, Ep. Charystien., Secret.*

Annotationes

Novarum rubricarum complementum fere necessarium est reformatio kalendarii, tum universalis ecclesiae, tum praecipue dioecesium et institutorum religiosorum. In horum enim non nullis tot inscripta inveniebantur festa particularia, quae tamen minime propria dici possint, ut vix dies liberi superessent pro officiis ferialibus.

Porro kalendarii universalis ecclesiae reformatio in aliud tempus reiectum videtur, « postquam nimirum kalendaria singularum ecclesiarum atque ordinum religiosorum essent reformata ». [1]

Pro kalendariis particularibus reformatio nondum quidem praescribitur ; eam tamen in votis esse s. Sedis iam nullo modo posset in dubium revocari. Reformatio tamen kalendarii perpetui, etiam particularis, ius manet s. Sedis, et ideo « S. Congregatio desiderat, ut singuli quorum interest sua ipsa kalendaria iam reformata ad se afferant, ut sibi probentur ». [2]

Cum autem in conficiendis novis kalendariis, S. Congregatio certas regulas servari velit, et in specie non nisi festa stricto sensu propria in eis inseri permittat, priorem quandam confecit de hac re Instructionem, quae in praesenti decreto commemoratur. [3]

In priore hac Instructione nihil aliud praescribebatur nisi ut una cum supplici libello ad S. Congregationem transmitteretur elenchus festorum quae conservari vellent, adductis rationibus de eorum proprietate.

Enucleatius in praesenti decreto declaratur quomodo elenchus ille sit conficiendus, indicatis festorum categoriis inscribendorum, et non nullis punctis quae de uno quoque festo sint referenda.

Non videtur requiri ut Congregationi proponatur kalendarium iam elaboratum, sed sufficit ut dentur elementa ad

---

[1] Ita in communicatione facta die 5 decembris 1912, etsi modo non officiali, Superiori generali alicuius Ordinis religiosi.

[2] Ibidem.

[3] Haec Instructio, quam tradidimus in his PERIOD. n. 604 t. VI p. 266, in Actis Apostolicae Sedis 16 aug. 1912 (vol. IV p. 538) prodiit sub die 25 iul. 1912, non vero, ut hic 23.

conficiendum kalendarium necessaria. Non tamen dici potest prohibitum tale kalendarium iam elaboratum et reformatum Congregationis approbationi subicere, immo hoc potius consulendum, dummodo in conficiendo kalendario omnia peracta sint secundum leges et ad mentem Congregationis.

Ex eo quod de uno quoque festo referendum sit quo die festum nunc celebretur, et quisnam sit dies natalis, concludere possumus mentem Congregationis esse ut festa propria, quantum fieri potest, in die propria celebrentur, et si illa dies non est libera, reponantur in primam diem liberam iuxta novas rubricas Tit. II, n. 1, quae volunt in repositione festa propria, ceteris paribus, praeferri festis quae sunt universalis ecclesiae, nisi agatur de festis primariis 1 classis. Idem ceteroquin deducere licet ex variis kalendariis iam approbatis, et in specie ex kalendario pro clero romano (cfr. infra). [1]

. In conficiendo kalendario, attendatur etiam ad normas quas, ut relatum est Superiori generali Ordinis religiosi die 5 dec. 1912, « S. Congregatio sibi praefecit, ut approbationem Ordinibus regularibus concederet », quasque tradidimus superius (PERIOD. n. 636 t. VII p. 54).

I. P.

---

656. — DECRETUM 14 FEBR. 1913

ROMANA

De kalendario pro clero almae urbis

Argumentum.

Emus et Rmus Dnus Cardinalis Petrus Respighi, in alma Urbe Vicarius generalis et patriarchalis Archibasilicae Lateranensis Archipresbyter, sanctissimum Dominum nostrum Pium Papam X suppliciter deprecatus est, ut facultatem concedere dignaretur, qua clerus suae ordinariae iurisdictioni subiectus, seposito Kalendario huc usque adhibito, in posterum Kalendario Ecclesiae universalis uti valeat, additis tantummodo quibusdam festis in supplici libello descriptis, specialem cum ipsa alma Urbe relationem habentibus. Sanctitas porro Sua, referente infrascripto Cardinali sacrae Rituum Congregationi Praefecto, ita precibus annuere

---

[1] De assignationibus in kalendario romano factis haec animadverti possunt, ex quibus magis adhuc apparet illa Congregationis voluntas festa, quantum potest, in propria die reponendi.

1° Non nulla festa in kalendario reformato diei vere natali assignantur cum in martyrologio romano ex errore alia die videantur inscripta ; sic. v. g. festum Urbani II in Martyrologio assignatur diei 19 aug. ; in kalendario reformato contra 29 iul. ; festum Hadriani III in Mart. assignatur 7 sept., in kalend. 8 iul. ; festum Gregorii X in Mart. 16 febr., in novo kalend. ~~10 ian.~~

2° Non nulla festa assignantur ab uno anno in alium, cum hucusque tamen talis assignatio non admitteretur. (Cfr. A CARPO. KALENDARIUM PERPETUUM. Cap. IV, n. 17.)

dignata est. ut Kalendario Ecclesiae universalis, ab universo clero saeculari almae Urbis eiusque districtus integre servato, inde ab anno 1914, sequentes tantum fiant additiones et variationes : videlicet :

5	*ianuarii.*	Vigilia Epiphaniae, *semiduplex.*
11	»	De Octava, *semiduplex.*
16	»	S. Marcelli I Papae et Mart., *duplex.*
27	»	S. Vitaliani Papae et Conf., *duplex.*
28	»	S. Zosimi Papae et Conf. (d. a. ex 26 dec.), *duplex.* Comm. S. Agnetis secundo.
30	»	S. Felicis IV Papae et Conf., *duplex.*
3	*februarii.*	B. Gasparis Del Bufalo Conf. (d. a ex 28 dec.), *duplex.* Comm. S. Blasii Episc. et Mart.
13	»	S. Gregorii II Papae et Conf., *duplex.*
14	»	S. Antheri Papae et Mart. (d. a. ex 3 ian.), *duplex.* Comm. S. Valentini Presb. et Mart.
15	»	S. Telesphori Papae et Mart. (d. a. ex 5 ian.), *duplex.* Comm. Ss. Faustini et Iovitae Mm.
16	»	S. Agathonis Papae et Conf. (d. a. ex 19 ian.), *duplex.*
17	»	B. Gregorii X Papae et Conf. (d. a. ex 10 ian.), *duplex.*
18	»	S. Hygini Papae et Mart. (d. a. ex 11 ian.), *duplex.* Comm. S. Simeonis Episc. et Mart.
19	»	S. Ioannis Chrysostomi Episc. Conf. et Eccl. Doct. (d. a. ex 27 ian.), *duplex.*
20	»	S. Martinae Virg. et Mart. (d. a. ex 30 ian.), *duplex.*
25	»	S. Felicis III Papae et Conf., *duplex.*
2	*martii.*	S. Simplicii Papae et Conf., *duplex.*
4	»	S. Lucii I Papae et Mart., *duplex.*
5	»	S. Casimiri Conf. (d. a. ex 4 hui.), *semiduplex.*
15	»	S. Zachariae Papae et Conf., *duplex.*
28	»	S. Xysti III Papae et Conf., *duplex.*
29	»	S. Ioannis a Capistrano Conf. (d. a. ex 28 hui.), *semiduplex.*
6	*aprilis.*	S. Xysti I Papae et Mart., *duplex.*
7	»	S. Caelestini I Papae et Conf. (d. a. ex 6 hui.), *duplex.*
12	»	S. Iulii I Papae et Conf., *duplex.*
16	»	S. Benedicti Iosephi Labre Conf., *semiduplex.*
17	»	S. Aniceti Papae et Mart., *duplex.*
19	»	S. Leonis IX Papae et Conf., *duplex.*
22	»	Ss. Soteris et Caii Pont. et Mm., *duplex.*
23	»	Ss. Cleti et Marcellini Pont. et Mm., *duplex.*
27	»	S. Anastasii I Papae et Conf., *duplex.*
30	»	S. Catharinae Senens. Virg., almae Urbis Patron. min. princ., *duplex maius.*
3	*maii.*	Inventio S. Crucis, *duplex 2. cl.* Comm. Ss. Eventii et Theoduli Mm. atque Iuvenalis Episc. et Conf.
7	»	S. Benedicti II Papae et Conf., *duplex.*
11	»	S. Alexandri I Papae et Mart. (d. a. ex 3 hui.), *duplex.*
13	»	S. Stanislai Episc. et Mart. (d. a. ex 7 hui.), *duplex.*
14	»	S. Paschalis I Papae et Conf., *duplex.* Comm. S. Bonifatii Mart.

21 maii. S. Felicis a Cantalicio Conf. (d. a. ex 18 hui.), *semiduplex.*
23 » S. Ioannis Baptistae de Rossi Conf., *duplex.*
24 » B. M. V. tit. Auxilium Christianorum, *duplex maius.*
25 » S. Gregorii VII Papae et Conf., *duplex.*
26 » S. Philippi Nerii Conf., *duplex 2. cl.*
27 » S. Ioannis I Papae et Mart., *duplex.*
30 » S. Felicis I Papae et Mart., *duplex.*
1 iunii. S. Urbani I Papae et Mart. (d. a. ex 25 maii), *duplex.*
2 » S. Eugenii I Papae et Conf., *duplex.* Comm. Ss. Marcellini, Petri atque Erasmi Mm.
3 » S. Bonifatii IV Papae et Conf. (d. a. ex 25 maii), *duplex.*
7 » S. Eleutherii Papae et Mart. (d. a. ex 26 maii), *duplex.*
8 » S. Bedae venerabilis Conf. et Eccl. Doct. (d. a. ex 27 maii), *duplex.*
12 » S. Leonis III Papae et Conf., *duplex.* Comm. Ss. Basilidis, Cyrini, Naboris et Nazarii Mm.
15 » S. Ioannis a S. Facundo Conf. (d. a. ex 12 hui.), *duplex.* Comm. Ss. Viti, Modesti atque Crescentiae Mm.
20 » S. Silverii Papae et Mart., *duplex.*
22 » B. Innocentii V Papae et Conf., *duplex.*
23 » S. Paulini Episc. et Conf. (d. a. ex 22 hui.), *duplex.*
25 » S. Gallicani Mart., *duplex.*
27 » S. Gulielmi Abb. (d. a. ex 25 hui.), *duplex.*
28 » S. Leonis II Papae et Conf., *duplex*, Comm. Vigiliae.
29 » Ss. Petri et Pauli App. almae Urbis Patron. princip., *duplex 1 cl. cum Octava.*
Dom. I iulii. Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. C., *duplex 2 cl.* Comm. Dom. ac (nisi occurrat die 7) Octavae.
1 iulii. Commemoratio omnium Ss. S. R. E. Summorum Pontificum, *duplex maius.* Comm. Octavae.
2 » Visitatio B. M. V., *duplex 2 cl.* Comm. Octavae ac Ss. Processi et Martiniani Mm.
3 » S. Pauli I Papae et Conf. (d. a. ex 28 iunii), *duplex.* Comm. Octavae.
4 » S. Irenaei Episc. et Mart. (d. a. ex 28 iunii), *duplex.* Comm. Octavae.
7 » B. Benedicti XI Papae et Conf., *duplex.*
8 » S. Hadriani III Papae et Conf., *duplex.*
9 » Ss. Cyrilli et Methodii Episc. et Conf. (d. a. ex 7 hui.), *duplex.*
11 » S. Pii I Papae et Mart., *duplex.*
13 » S. Anacleti Papae et Mart., *duplex.*
17 » S. Leonis IV Papae et Conf., *duplex.*
19 » S. Symmachi Papae et Conf., *duplex.*
21 » B. Eugenii III Papae et Conf. (d. a. ex 8 hui.), *duplex.* Comm. S. Praxedis Virg.
24 » S. Alexii Conf. (d. a. ex 17 hui.), *duplex.* Comm. Vigiliae S. Christinae Virg. et Mart.
27 » S. Vincentii a Paulo Conf. (d. a. ex 19 hui.), *duplex.* Comm. S. Pantaleonis Mart.

28 *iulii.* Ss. Victoris I Papae et Mart., Innocentii I Papae et Conf., Nazarii ac Celsi Mm., *duplex.*

29 » S. Felicis II Papae et Mart., *duplex.* Comm. Ss. Simplicii, Faustini et Beatricis Mm.

30 » B. Urbani II Papae et Conf. (d. a. ex 29 hui.), *duplex,* Comm. Ss. Abdon et Sennen Mm.

2 *augusti.* S. Stephani I Papae et Mart., *duplex.*

6 » Transfiguratio D. N. I. C., *duplex 1. cl. cum Octava.*

7 » S. Caietani Conf., *duplex.* Comm. Octavae et S. Donati Episc. et Mart.

8 » Ss. Cyriaci, Largi et Smaragdi Mm., *semiduplex.* Comm. Octavae.

9 » S. Xysti II Papae et Mart. (d. a. 6 ex hui.), *duplex.* Comm. Octavae, Vigiliae ac S. Romani Mart

11 » S. Hormisdae Papae et Conf. (d. a. ex 6 hui.), *duplex.* Comm. Octavarum ac Ss. Tiburtii et Susannae Virg. Mm.

12 » S. Clarae Virg., *duplex.* Comm. Octavarum.

13 » Octava Transfigurationis Domini, *duplex majus.* Comm. Octavae S. Laurentii ac Ss. Hippolyti et Cassiani Mm.

14 » S. Alfonsi Mariae de Ligorio Episc. Conf. et Eccl. Doct. (d. a. ex 2 hui.), *duplex.* Comm. Octavae, Vigiliae ac S. Eusebii Conf.

16 » S. Rochi Conf., *duplex.* Comm. Octavarum.

18 » S. Hyacinthi Conf. (d. a. ex 16 hui.), *duplex.* Comm. Octavae ac S. Agapiti Mart.

19 » S. Elisabeth Reg. Vid. (d. a. ex 8 iul.), *semiduplex.* Comm. Octavae.

23 » S. Philippi Benitii Conf., *duplex.*

24 » S. Marthae Virg. (d. a. ex 29 iul.), *semiduplex.* Comm. Vigiliae.

25 » S. Bartholomaei Apost., *duplex 2. cl.*

26 » S. Zephyrini Papae et Mart., *duplex.*

1 *septembris.* S. Ludovici Regis Conf (d. a. ex 25 aug.), *semiduplex.* Comm. S. Aegidii Abb. ac Ss. Duodecim Fratrum Mm.

9 » S. Sergii I Papae et Conf., *duplex.* Comm. Octavae ac S. Gorgonii Mart.

10 » S. Hilarii Papae et Conf., *duplex.* Comm. Octavae.

11 » S. Nicolai de Tolentino Conf. (d. a. ex 10 hui.), *duplex.* Comm. Octavae ac Ss. Proti et Hyacinthi Mm.

16 » Ss. Cornelii Papae et Cypriani Episc., Mm., *duplex.* Comm. Ss. Euphemiae et Socior. Mm.

20 » S. Agapiti Papae et Conf., *duplex.* Comm. Vigiliae.

23 » S. Lini Papae et Mart., *duplex.* Comm. S. Theclae Virg. et Mart.

25 » Ss. Eustachii et Socior, Mm. (d. a. ex 20 hui.), *duplex.*

26 » S. Eusebii Papae et Mart., *duplex.* Comm. Ss. Cypriani et Iustinae Virg. Mm.

5 *octobris.* S. Gallae Vid., *duplex.* Comm. Ss. Placidi et Socior. Mm.

7 » S. Marci I Papae et Conf., *duplex,* Comm. Ss. Sergii et Sociorum Mm.

11 octobris. B. Ioannis Leonardi Conf. (d. a. ex 10 hui.), *semiduplex.*
16 » B. Victoris III Papae et Conf., *duplex.*
25 » S. Bonifatii I Papae et Conf., *duplex.* Comm. Ss. Chrysanthi et Dariae Mm.
26 » S. Evaristi Papae et Mart., *duplex.*
5 novembris. Sanctarum Reliquiarum, quae in ecclesiis almae Urbis asservantur, *duplex maius.* Comm. Octavae.
9 » Dedicatio Archibasilicae SS^mi^ Salvatoris, *duplex 1. cl. cum Octava.*
10 » S. Andreae Avellini Conf., *duplex.* Comm. Octavae ac Ss. Tryphonis et Socior. Mm.
11 » S. Martini Episc. et Conf., *duplex.* Comm. Octavae ac S. Mennae Mart.
12 » S. Martini I Papae et Mart., *duplex.* Comm. Octavae.
13 » S. Nicolai I Papae et Conf., *duplex.* Comm. Octavae.
14 » S. Iosaphat Episc. et Mart., *duplex.* Comm. Octavae.
15 » S. Gertrudis Virg., *duplex.* Comm. Octavae.
16 » Octava Dedicationis Archibasilicae Ss. Salvatoris, *duplex maius.*
19 » S. Pontiani Papae et Mart., *duplex.*
26 » S. Siricii Papae et Conf., *duplex.* Comm. S. Petri Alexandrini Episc. et Mart.
27 » S. Deusdedit Papae et Conf. (d. a. ex 8 hui.), *duplex.*
28 » S. Gregorii III Papae et Conf., *duplex.*
29 » S. Gelasii I Papae et Conf. (d. a. ex 21 hui.), *duplex.* Comm. Vigiliae ac S. Saturni Mart.
1 decembris. S. Elisabeth Vid. (d. a. ex 19 nov.), *duplex.*
5 » S. Silvestri Abb. (d. a. ex 26 nov.), *duplex.* Comm. S. Sabbae Abb.
9 » S. Eutychiani Papae et Mart. (d. a. ex 8 hui.), *duplex.* Comm. Ocavae.
10 » S. Melchiadis Papae et Mart., *duplex.* Comm. Octavae.
11 » S. Damasi I Papae et Conf., *duplex.* Comm. Octavae.
12 » S. Stanislai Kostkae Conf. (d. a. ex 13 nov.), *semiduplex.* Comm. Octavae.
14 » S. Leonardi a Portu Mauritio Conf. (d. a. ex 26 nov.), *semiduplex.* Comm. Octavae.
17 » S. Didaci Conf. (d. a. ex 13 nov.), *semiduplex.*
19 » B. Urbani V Papae et Conf., *duplex.*
30 » S. Dionysii Papae et Conf. (d. a. ex 26 hui.), *duplex.* Comm. Octavarum.

Mandavit insuper Sanctitas Sua, ut huiusmodi Kalendarium cleri Romani adhibeatur tum in Basilicis patriarchalibus Lateranensi et Liberiana, tum in minoribus almae Urbis Basilicis, Collegiatis, ceterisque ecclesiis non exemptis ; itemque in dioecesibus et familiis religiosis utriusque sexus, quae sive ex iure, sive ex privilegio, Kalendario cleri Romani utuntur : facta potestate memoratis Basilicis, ecclesiis, dioecesibus et familiis religiosis festa respective propria adiciendi iuxta rubricas et decreta, ac praesertim ad normam decreti *De repositione et translatione festorum in*

ecclesiis particularibus, diei 3 maii 1911. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 14 februarii 1913.

Fr. S. Card. Martinelli, *Praefectus*.

† *Petrus La Fontaine, Episc., Charystien., Secretarius*.

Annotationes

Hoc decretum integre exscribere visum est cum valde utile esse possit his qui proprium kalendarium reformare cogitant, et praecipue cum multae sint Congregationes quae ex privilegio utantur kalendario cleri saecularis Urbis.

Pro illis haec notare sufficiet :

1. Nisi indultum obtineant adhibendi kalendarium universalis ecclesiae, additis tantum festis ipsis stricto sensu propriis, omnes illae Congregationes ab ineunte anno 1914, relicto kalendario hucusque adhibito, sequi debebunt kalendarium uti per praesens decretum approbatur pro clero romano.

2. Huic tamen singulae Congregationes illa festa adicient quae ipsis stricto sensu sunt propria (Titularium ecclesiarum et Congregationis, Dedicationis ecclesiarum, Patronorum locorum, Sanctorum quorum reliquiae insignes in ecclesiis conservantur, etc.). Porro, in adiciendis his festis servare debent rubricas et decreta. Festum proin proprium, quantum fieri potest, in die propria reponatur, nisi in ea occurrat festum universalis ecclesiae quod praevaleat ritu, qualitate, dignitate personali, aut sollemnitate externa. In reponendis festis, sive propriis, sive universalis ecclesiae, serventur novae rubricae, h. e. festa 1 aut 2 classis fixe reponantur in primam diem liberam ab alio festo duplici 1 vel 2 classis, vel ab aliqua die octava, vel ab officiis huiusmodi festa excludentibus ; festa duplicia maiora et minora et semiduplicia reponantur fixe in primam diem liberam iuxta rubricas, sed ceteris paribus, praeferuntur festa propria festis universalis ecclesiae, nisi agatur de festis universalis ecclesiae 1 classis et primariis, ut supra dictum est.

3. Pro repositione festorum, illi tantum dies liberi censeri debent qui in kalendario pro clero romano non occupantur officio, etiam assignato, quod praedictam repositionem respuat (iuxta decretum 4264 3 maii 1911 quod commemoratur).

4. Ex decreto 4236 23 apr. 1909 ad 2 (antiquitus ad 3) [1] festum s. Bartholomaei celebrari debet die 24 vel 25 augusti, prout in dioecesi, vel regioni ubi versantur, moris est. In dioecesibus ergo ubi hoc festum celebratur die 24, fiet die 25 de s. Ludovico, et 1 septembris de s. Martha.

I. P.

[1] Period. n. 360 t. V, p. 70.

657. — SS. D. N. PII PP. X

LITTERAE APOSTOLICAE 8 MART. 1913

Indicitur universale iubilaeum in memoriam pacis a Constantino Magno ecclesiae datae. (A. A. S. 18 mart. 1913, 5, 89.)

PIUS PP. X

Universis Christifidelibus has Nostras litteras inspecturis salutem et Apostolicam Benedictionem.

Causa.

Magni faustique eventus commemoratio, quo sedecim abhinc saeculis pax tandem Ecclesiae concessa fuit, dum omnes catholicas gentes summa afficit laetitia, eisque pietatis opera suadet, Nos movet in primis ad caelestium munerum thesauros aperiendos, ut ex huiusmodi sollemnitate lecti uberesque fructus in Domino percipiantur. Par enim atque item peropportunum videtur, Edictum a Constantino Magno Imperatore Mediolani promulgatum concelebrare, quod prope secutum est victoriam contra Maxentium, glorioso Crucis vexillo partam, et saevis in Christianos vexationibus finem faciens, illos in eam libertatem vindicat, cuius pretium divini Redemptoris et Martyrum sanguis fuit. Tum demum militans Ecclesia primum ex iis triumphis egit, qui qualibet eius aetate omnigenas insectationes perpetuo subsequuntur, atque ex eo die potiora semper in humani generis societatem contulit beneficia. Nam homines superstitioso idolorum cultu paulatim relicto, tum legibus, tum moribus institutisque christianam vitae rationem magis ac magis amplexi sunt, atque ita factum est, ut iustitia simul et caritas in terris florerent. Consentaneum igitur esse ducimus, hac felici occasione, qua tam egregium factum recolitur, Deum, Virginem Eius Genetricem et reliquos Caelites, Apostolos praesertim, etiam atque etiam apprecari, ut populi universi decus et honorem Ecclesiae instaurantes, ad tantae matris gremium confugiant, errores, quibus inconsulti fidei inimici eius claritati tenebras obducere nituntur, pro viribus depellant, Romanum Pontificem summa observantia colant, in catholica denique religione omnium rerum praesidium et columen fidenti animo intueantur. Tum sperare licebit, homines oculis ad Crucem denuo fixis, in hoc salutari signo et Christiani nominis osores, et effrenatas cordis cupiditates omnino devicturos. Verum quo humiles preces, in catholico orbe hac saeculari sollemnitate adhibendae, spirituali fidelium bono satius cumulentur, eas Plenaria Indulgentia in forma Iubilaei locupletandas censuimus, omnes Ecclesiae filios vehementer hortantes, ut Nostris suas quoque supplicationes pietatisque officia coniungant, et hac eis oblata Iubilaei gratia in animorum emolumentum pariter atque in religionis utilitatem quam maxime fruantur. Quare de Omnipotentis Dei misericordia ac Beatorum Apostolorum Petri et Pauli auctoritate confisi, ex illa ligandi solvendique potestate, quae Nobis licet immerentibus divinitus data fuit, atque auditis etiam VV. FF. NN. S. R. E. Cardd. Inquisitoribus Generalibus, praesentium tenore omnibus ac singulis utriusque sexus Christifidelibus vel in hac alma Urbe Nostra degentibus, vel advenientibus ad

Indicitur Iubilaeum.

Tempus. eam, qui hoc vertente anno a Dominica in Albis, ex qua saecularia sollemnia in Ecclesiae pacis memoriam incipient, usque ad festivitatem *Condiciones:* Deiparae Virginis ab Immaculata Conceptione inclusive, Basilicas S. Ioannis in Laterano, S. Petri Principis Apostolorum ac S. Pauli extra muros bis singulas adeant, et ibi aliquamdiu pro Ecclesiae catholicae et huius *visitationes,* Apostolicae Sedis prosperitate et exaltatione, pro haeresum exstirpatione, et omnium errantium conversione, pro Christianorum Principum concordia et totius fidelium populi pace et unitate secundum mentem Nostram preces ad Deum effundant, ac semel intra huiusmodi temporis spatium, admissis *confessio, Communio, eleemosyna.* rite expiatis, caelesti convivio se reficiant, atque insuper eleemosynam pro sua quisque facultate vel in egenos, vel, si malint, ad pias causas erogent, plenissimam omnium peccatorum Indulgentiam ad instar Iubilaei *Qui Romam ire nequeunt.* generalis concedimus et impertimus. Iis vero, qui ad Urbem convenire nequeant, Plenariam eandem largimur Indulgentiam, dummodo sui loci templum vel templa, ab Ordinario semel tantum designanda, pari temporis intervallo, omnino sexies visitent, et alia pietatis opera, quae superius *Indulgentia applicabilis defunctis.* diximus, integre perficiant. Veniam praeterea facimus, ut haec Plenaria Indulgentia etiam animabus, quae Deo in caritate coniunctae ex hac vita migraverint, per modum suffragii applicari possit ac valeat. Concedimus *Iter agentes.* autem, ut navigantes et iter agentes, ubi ad sua domicilia seu alio ad certam stationem se receperint, operibus suprascriptis peractis, et visitata sexies ecclesia cathedrali vel maiori aut parochiali loci eorum domicilii seu *Facultas confessariorum commutandi et prorogandi.* stationis, eandem Indulgentiam consequi licite queant. Regularibus vero personis utriusque sexus, etiam in claustris perpetuo degentibus, nec non aliis quibuscumque sive laicis, sive ecclesiasticis, saecularibus vel regularibus, in carcere vel captivitate exsistentibus, vel aliqua corporis infirmitate, seu alio quovis impedimento detentis, qui memorata opera, vel aliqua ex iis praestare nequeant, ut illa Confessarius in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaque iniungere, quae ipsi paenitentes efficere poterunt, cum facultate etiam dispensandi super Communione cum pueris, qui ad eam nondum admissi fuerint, con- *Electio confessarii.* cedimus item atque indulgemus. Insuper omnibus et singulis Christifidelibus tum laicis, tum ecclesiasticis saecularibus vel regularibus, cuiusvis Ordinis et Instituti, etiam specialiter nominandi, facultatem facimus, ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemlibet presbyterum Confessarium saecularem seu regularem ex actu approbatis, et hac facultate fas sit uti etiam monialibus, noviciis, aliisque mulieribus intra claustra degentibus, dummodo Confessarius approbatus sit pro monialibus. Talis Con- *Absolutio a censuris et casibus reservatis.* fessarius eosdem vel easdem intra dictum temporis spatium ad confessionem apud ipsum peragendam accedentes animo praesens Iubilaeum consequendi, et reliqua opera ad illud lucrandum necessaria adimplendi. hac vice et in foro conscientiae dumtaxat, ab excommunicationis, suspensionis, et aliis ecclesiasticis sententiis et censuris, a iure vel ab homine quavis de causa latis vel inflictis, etiam Ordinariis locorum et Nobis, seu Sedi Apostolicae, etiam in casibus cuicumque ac Summo Pontifici et Sedi Apostolicae *speciali licet modo* reservatis, et qui alias in concessione quantumvis ampla non intellegerentur concessi, nec non ab omnibus peccatis et excessibus, quantumcumque gravibus et enormibus, etiam iisdem Ordinariis ac Nobis et Sedi Apostolicae, ut praefertur, reservatis, iniuncta ipsis paenitentia salutari, aliisque de iure iniungendis, et si de

haeresi agatur, abiuratis prius et retractatis erroribus, prout de iure, absolvere; nec non vota quaecumque etiam iurata ac Sedi Apostolicae reservata (exceptis semper castitatis, religionis et obligationis, quae a tertio acceptata fuerint, seu in quibus agatur de praeiudicio tertii, nec non poenalibus, quae praeservativa a peccato nuncupantur, nisi commutatio futura iudicetur eiusmodi, ut non minus a peccato committendo refrenet, quam prior voti materia) in alia pia et salutaria opera commutare, et cum paenitentibus huiusmodi in sacris Ordinibus constitutis, etiam regularibus, super occulta irregularitate ad exercitium eorumdem Ordinum, et ad superiorum assecutionem [1] dumtaxat contracta, dispensare possit ac valeat. Non intendimus autem per praesentes super alia quavis irregularitate, sive ex delicto sive ex defectu, vel publica vel occulta aut nota, aliave incapacitate, aut inhabilitate quoquo modo contracta dispensare, vel aliquam facultatem tribuere super praemissis dispensandi, seu habilitandi et in pristinum statum restituendi etiam in foro conscientiae; neque etiam derogare Constitutioni cum appositis declarationibus editae a fel. rec. Benedicto XIV decessore Nostro, quae incipit « Sacramentum Paenitentiae » neque demum easdem praesentes iis, qui a Nobis et Apostolica Sede vel aliquo Praelato seu Iudice ecclesiastico nominatim excommunicati, suspensi, interdicti, seu alias in sententias et censuras incidisse declarati, vel publice denuntiati fuerint, nisi intra praedictum tempus satisfecerint, et cum partibus, ubi opus fuerit, concordaverint, ullo modo suffragari posse aut debere. Quod si intra praefinitum terminum, iudicio Confessarii, satisfacere non potuerint, absolvi posse concedimus in foro conscientiae ad effectum dumtaxat assequendi Indulgentias Iubilaei, iniuncta obligatione satisfaciendi statim ac poterunt. — Quapropter in virtute sanctae obedientiae praesentium tenore districte praecipimus, atque mandamus omnibus Ordinariis locorum ubicumque exsistentibus, eorumque Vicariis et Officialibus, vel, ipsis deficientibus, illis, qui curam animarum exercent, ut cum praesentium Litterarum transumpta aut exempla etiam impressa acceperint, illa per suas ecclesias ac dioceses, provincias, civitates, oppida, terras et loca publicent, vel publicanda curent, populisque etiam verbi Dei praedicatione, quoad fieri possit, rite praeparatis, ecclesiam seu ecclesias visitandas, ut supra, designent. — Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, praesertim quibus facultas absolvendi in certis tunc expressis casibus ita Romano Pontifici pro tempore exsistenti reservatur, ut nec etiam similes vel dissimiles indulgentiarum et facultatum huiusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio vel specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari possint; nec non regula de non concedendis indulgentiis ad instar, ac quorumcumque Ordinum, et Congregationum sive Institutorum etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et Litteris Apostolicis eisdem Ordinibus, Congregationibus et Institutis, illorumque personis quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu alia quaevis expressio habenda, aut alia aliqua exquisita forma ad hoc

Commutatio votorum.

Dispensatio in irregularitate.

Excipiuntur casus « specialissime » reservati et sententiae nominatim prolatae.

Praeceptum publicandi.

Clausulae.

[1] Vide infra annot. 9.

servanda foret, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis, ac formam in iis traditam pro servata habentes, hac vice specialiter nominatim et expresse ad effectum praemissorum derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Ut denique praesentes Nostrae, quae ad singula loca deferri non possunt, ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus, ut praesentium transumptis, vel exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, ubicumque locorum et gentium eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Dies (8 mart. 1913). Datum Romae apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die VIII martii MCMXIII, Pontificatus Nostri anno X.

De speciali mandato SS^mi

R. Card. Merry del Val,
a Secretis Status.

Annotationes

1. Iubilaeum est quod dicitur *extraordinarium*. Nulla proinde *suspenditur* indulgentia vel facultas confessariorum.

Indulgentia plenaria, *defunctis applicabilis*, etiam Romae, non nisi *semel* acquiri potest. Reliquorum favorum usus etiam per se semel tantum fieri potest. In casibus autem extraordinariis consulantur auctores interpretantes responsa S. Paenitentiariae in praeteritis iubilaeis (Génicot, *Theol. mor.* n. 414). Iuxta enim haec responsa et praesertim iuxta Monita S. Paen. (1 nov. 1899) ex Constitutionibus Benedicti XIV excerpta, *interpretandum* videtur praesens iubilaeum, nisi clare derogetur.

2. Ad *formam* quod spectat observes non per Bullam concedi hoc iubilaeum, sed « Litteris apostolicis » « sub anulo Piscatoris », subscriptis ab Em. Card. a Secretis Status.

3. *Tempus* assignatur, tum Romae tum alibi, a Dominica in Albis usque ad Festum Immaculatae Conceptionis 1913 inclusive.

4. Qui *Romam ire nequeunt*, iubilaeum « suo loco » lucrari possunt. Quod benigne interpretandum est de iis omnibus qui sui iuris non sunt (ex. gr. religiosi, pueri, carcerati), vel aliquo impedimento detinentur, puta egestate, labore necessario ad victum, officiis status sui, aetate provecta, infirmitate etc. — Itinerantibus et navigantibus peculiariter providetur.

5. *Condiciones*, praeter *confessionem* [1] et *communionem* [2],

[1] Dicitur tantum « admissis rite expiatis ». Ne tamen quis dubitet quominus (bona) confessio praescribatur, etiam iis qui mortalia non habent. Etiam in decreto S. Congr. Indulg. 14 febr. 1906 quo ad indulgentias lucrandas sublata est necessitas confitendi pro iis qui fere cotidie communicant, excipitur explicite indulgentia iubilaei. Cfr. Period. II, p. 69.

[2] Sicubi tempus utile ad Communionem « paschalem » nondum elapsum est, hac Communione acquiri non potest indulgentia iubilaei. Videtur tamen sufficere Viaticum.

sunt *duplex* visitatio *trium* Basilicarum Romanarum, vel ecclesiarum quas Ordinarius alibi designaverit[1], ita ut omnino sexies fiat *visitatio* cum *precibus* ad intentiones S. Pontificis; insuper *eleemosyna*, pro sua quisque facultate (non : devotione), facienda ad libitum vel pauperibus vel causis piis. Observandum est non iam praescribi ieiunium quod in iubilaeo extraordinario imponi solebat. — Non debent omnia illa opera unico die perfici, nec praescribitur determinatus ordo. — Ultimum saltem opus, secundum doctrinam receptam, ad lucrandam indulgentiam, fieri debet in statu gratiae, per confessionem [2] recuperato si opus est.

Confessariis quibuscumque, in actu confessionis [3], conceditur *facultas commutandi* praedicta opera iis qui quovis impedimento ea praestare nequeunt. Curandum est ut commutatio fiat in opus fere aequale, nisi paenitens sit valde debilis. Nec excipienda videtur commutatio Communionis et visitationum, si quando haec sint impossibilia. — Mirum est adhuc explicite concedi facultatem dispensandi super Communione cum pueris nondum ad eam admissis. Vix enim intellegitur quomodo benigne concedatur indulgentia puero qui sufficientem habeat discretionem ad peccandum (secus ad quid indulgentia ?), nondum tamen communicaverit ad mentem decreti *Quam singulari*. Ex hoc enim decreto sequi videtur non maiorem requiri discretionem ad communicandum quam quae sufficiat ad peccandum.

Attendatur confessariis etiam concedi facultatem *prorogandi* « in aliud proximum tempus » temporis spatium ad iubilaeum lucrandum.

6. Quod autem ad nostrum de religiosis argumentum maxime spectat, in ordine *ad iubilaeum lucrandum* omnibus *regularibus* « cuiusvis Instituti etiam specialiter nominandi » facultas fit *confitendi apud quemcumque* confessarium sive approbatum ab Ordinario, sive deputatum a suis Superioribus regularibus ad confessiones audiendas regularium vel saecularium ac proinde instructum iurisdictione a S. Pontifice data : quod habetur saltem eo quod Superior subditum Episcopo praesentaverit approbandum.

Monialibus autem et *sororibus* votorum simplicium reapse, quod ad electionem confessarii ad iubilaeum, vix quidquam

---

— Satis constat Communione ad iubilaeum alias indulgentias plenarias acquiri non posse, neque ad iubilaeum prodesse Communionem sacrilegam. Cfr. GÉNICOT, *Theol. mor.* II, nn. 404, 405, 412.

[1] Religiosi iubilaeum lucrari nequeunt visitando *propriam ecclesiam vel oratorium*, nisi iis *speciali* privilegio concessum est (Cfr. *Acta S. Sedis* t. VIII, p. 554). Si legitime impediuntur quominus ecclesias designatas visitent, singuli a suo confessario commutationem petant. S. Paenit. 24 apr. 1886.

[2] Const. Bened. XIV. Inter praeteritos, § 78.

[3] Id eruendum videtur ex resp. S. Paenit. 30 ian. 1886.

conceditur, quod non iure communi (decr. *Cum de sacramentalibus*, supra p. 86) iam statutum est (art. 4) : vocari scil. posse ad confessiones in conventu audiendas confessarium extraordinarium pro monialibus approbatum. Nec prohibetur soror, versans extra claustra, confiteri ad iubilaeum apud confessarium qui non habeat specialem pro monialibus approbationem (decr. cit. art. 14).

7. In confessione ad iubilaeum, absolvi possunt in foro interno omnes *censurae* (etiam « ab homine », nisi per nominalem sententiam fuerint publice prolatae vel denuntiatae) et *casus reservati* omnes, etiam reservati in Ordine religioso. Excipiuntur tantum casus Const. « Sacramentum paenitentiae », excommunicatio scil. propter absolutionem complicis et calumniosa denuntiatio sollicitationis in confessione.

8. Conceditur insuper, in actu confessionis ad iubilaeum exercenda, facultas *commutandi vota* quaecumque, exceptis votis castitatis perpetuae, religionis, vel quibus ius acquisitum est tertio, tandem votis « poenalibus », nisi commutatio existimatur aeque praeservativa.

9. Item facultas dispensandi *in irregularitate occulta*. Putamus hanc facultatem audiendam esse de irregularitate *ex violatione censurae ;* suspicamur enim excidisse, post verbum « assecutionem », verba « ob violationem censurae » quae hoc loco haberi solent in Litteris indicentibus Iubilaeum, ex. gr. anno 1904. Nisi enim verba quaedam exciderint, nullum sensum prae se ferunt locutiones « dumtaxat » et (in sequenti phrasi) « alia ».

10. Facultates quod ad censuras, casus reservatos, vota et irregularitatem, ad summam quod spectat, *reapse eaedem* sunt quae in iubilaeis concedi solent.

Cum autem absolutio a censuris, immo dispensatio super irregularitate (S. Off. 6 sept. 1909 ; cfr. Period. V, p. 53 Génicot, *Theol. mor.* 7 ed. II, nn. 574, 632) etiam extra iubilaeum facilior facta sit *sub onere recurrendi*, practice in pluribus casibus in confessione ad iubilaeum nihil peculiare habebitur, nisi quod « onus recurrendi » tollitur. Sed expresse monentur confessarii in singulis casibus *imponere de iure iniungenda*.

11. Notandum etiam plures regulares *facultatibus etiam amplioribus* habitualiter gaudere, ex. gr. quod ad votorum « dispensationem ». Quae facultates hoc iubilaeo non suspenduntur. Illi proinde confessarii audientes paenitentem ad iubilaeum, nec solito minorem, nec multo maiorem habent potestatem. I. S.

DECRETA SUMMATIM RELATA

658. — *SS. D. N. PII PP. X*

A. *Erigitur in archisodalitatem sodalicium B. M. V. a Consolatione* (A. A. S. 30 dec. 1912, 4, 721).

Erectio archiconfraternitatis.

Litteris Apostolicis 25 iul. 1912 S. Pontifex erigit in archisodalitatem cum facultate aggregandi ubique terrarum pium sodalicium B. M. V. a Consolatione Augustae Taurinorum.

N. B. Mirum videri potest quod in his litteris S. C. Concilii rursus dicitur constare « S. R. E. Cardinalibus Congregatione praepositis pro Concilii Tridentini decretis interpretandis », cum haec appellatio post Const. *Sapienti consilio* suppressa et obsoleta esse videretur.

B. *Erigitur Vicariatus de Kivu in Africa* (A. A. S. 15 febr. 1913, 5, 25).

Erectio Vicariatus.

Litteris apostolicis 12 dec. 1912, S. Pontifex erigit novum Vicariatum de Kivu concreditum Missionariis Africae.

C. *Consociatio a S. Corde Iesu pro animabus in purgatorio detentis concreditur Missionariis a S. Corde Iesu* (A. A. S. 15 febr. 1913, 5, 25).

Congregationis administratio.

Litteris apostolicis 20 ian. 1913, S. Pontifex committit administrandam Missionariis a S. Corde Iesu Provinciae Italicae consociationem a S. Corde Iesu pro piandis in purgatorio igne detentis animabus, novum templum, omniaque opera a Sacerdote P. Victore Iouët instituta.

D. *Seminario Maiori Mediolanensi conceditur facultas conferendi gradus academicos in Iure canonico* (A. A. S. 1 mart. 1913, 5, 57).

Gradus academici.

Litteris apostolicis 18 dec. 1912, S. Pontifex concessit Seminario Maiori Mediolanensi facultatem conferendi gradus academicos in Iure canonico.

E. *Alloquitur S. Pontifex cives Ianuenses* (A. A. S. 1 mart. 1913, 5, 58).

Allocutio.

Die 22 febr. 1913, ad cives Ianuenses qui Romam advenerant ut de civilis potestatis improba vi conquererentur, qua novus archiepiscopus sedem suam adire prohibetur, S. Pontifex vehementer queritur quod violantur iura Ecclesiae.

659 — *S. CONGR. CONCILII*

Incardinatio.

A. Cum plures sacerdotes fuissent incardinati non praestito iuramento requisito Constitutione *Speculatores* et decreto *A primis* (Cfr. etiam A. A. S. 4, 249 ; Periodica VI p. 233) quaesivit Episcopus Bismarkiensis in Statibus Foederatis Americae, utrum Episcopus propter talem omissionem ius haberet declarandi hos sacerdotes non esse valide incardinatos. S. Congr. Concilii, 31 ian. 1913, respondit : Attentis omnibus, negative.

Propter rei momentum Votum Consultoris exscribitur, quod proinde utilissime in simili casu inspiciatur (A. A. S. 15 febr. 1913, 5, 34).

Officium iuxta Psalterium vetus.

B. Postquam « non pauci ob peculiares causas impetrarunt indultum retinendi veterem Psalterii ordinem » exortum est dubium, utrum illi possint ad libitum adhibere modo veterem modo novum ordinem. Cui dubio, S. Congr. decreto 10 mart. 1913, de speciali mandato S. Pontificis, respondet negative. Tenentur tamen sequi kalendarium iuxta novas rubricas ordinatum, firma manente abolitione indulti 5 iul. 1883 pro officiis votivis (A. A. S. 18 mart. 1913, 5, 97).

660. — *S. CONGR. CONSISTORIALIS*

A. *Prohibentur fieri in ecclesia « proiectiones » et exhibitiones per « cinematographa »* (A. A. S. 30 dec. 1912, 4, 724).

Exhibitiones vetitae in ecclesia.

Decreto 10 dec. 1912, prohibitum est fieri in ecclesiis actiones quasdam scaenicas per « proiectiones » et « cinematographa » : « quod etsi pio iuvandae religiosae fidelium institutionis desiderio peractum fuerit, visum tamen est periculis atque incommodis facile locum dare ».

B. *Ecclesia S. Apollinaris concreditur Rectori templi SS. Trinitatis* (A. A. S. 1 mart. 1913, 5, 60).

Translatio.

Decreto 25 ian. 1911 (sic), ecclesia S. Appollinaris concreditur Rectori templi SS. Trinitatis prope Curiam Innocentianam, cuius item templi onera suscipiet et titulum suo adiunget. Haec immutatio fit propter indictam alienationem publicae rei causa.

C. *Eriguntur dioeceses Camagueyensis et Matanzensis* (A. A. S. 18 mart. 1913 5, 94).

Erectio dioecesium.

Decreto 10 dec. 1912, S. Pontifex ab archidioecesi S. Iacobi de Cuba et a dioecesi S. Christofori de Habana, in insula Cubana, distrahit provinciam civilem de Camaguey et de Matanzas easque in novas dioeceses constituit.

D. *Immutantur fines Dioec. Fuldensis et Herbipolensis* (A. A. S. 18 mart. 1913 5, 94)

Immutatio finium.

Decreto 25 ian. 1913, dioecesium Fuldensis et Herbipolensis fines ita immutantur ut deinceps prima comprehendat totum Magnum Ducatum Saxo-Weimariensem, altera totum ducatum Saxo-Meiningensem.

E. *Constituitur Vicariatus generalis Insulis* (A. A. S. 18 mart. 1913, 5, 94).

Institutio Vicariatus.

Decreto 5 febr. 1913, S. Pontifex in civitate Insulensi constituit Vicarium generalem, sub immediata Archiepiscopi Cameracensis dependentia, qui habebit ordinariam iurisdictionem in circumscriptiones vulgo Lille, Hazebrouck, Dunkerque. Idem Vicarius, charactere episcopali donatus, erit Auxiliaris Archiepiscopi Cameracensis.

F. *Constituitur nova provincia ecclesiastica in Republica S. Salvatoris* (A. A. S. 18 mart. 1913, 5, 95).

Erectio provinciae.

Decreto « febr. 1913, dioecesis S. Salvatoris subtrahitur a iure metropolitico archidioecesis Guatimalensis, universumque territorium

ad Rempublicam S. Salvatoris pertinens, in tres dioeceses distribuitur, in praefatam nempe dioecesim S. Salvatoris, contractam ad partem centralem territorii et simul auctam dignitate metropolitica, et in binas dioeceses S. Michaelis et S. Annae.

661. — *S. CONGR. INDICIS*

Damnatio operum.

Decreto 13 ian. 1913 damnantur opera sequentia (A. A. S. 25 ian. 1913, 5, 9).

Begey e Favero. *S. E. Monsignor Arcivescovo L. Puecher-Passavalli, Predicatore apostolico, Vicario di S. Pietro, Ricordi e littere* (1870-1897). Milano, Torino, Roma 1911.

Karl Holzhey, *Kurzgefasstes Lehrbuch der speziellen Einleitung in das Alte Testament. Paderborn 1912.*

Lasplasas, *Mi concepto del mundo, Libro tercero : El mundo y el yo humano. San Salvador 1911.*

— *Discurso sobre la filosofia ; resumen de « Mi concepto del mundo ». Barcelona* (1911).

45 Thesen zur Gewerkschafts-Enzyclica « Singulari quadam » *von Ghibellinus und Germanicus, Seiner Eminenz, dem Herrn Kardinal Kopp, und Seiner Exzellenz, dem Herrn Kultusminister Trott zu Solz ehrerbietigst zugeeignet. Herford in Westf.* 1912.

Valeriano Ferracci, *Cenni biografici della Serva di Dio Paola Mandatori-Sacchetti. Roma 1905.* — Decr. S. Off. 28 Aug. 1912.

Annotatio

Liber Karl Holzhey supra damnatus, iam in seminariis prohibitus fuerat. (S. Congr. Consist. 29 iul. 1912) cum non nullis libris P. Lagrange. Cfr. Period. T. VI. p. 272.

Declarationes subiectionis (A. A. S. 25 ian. 1913, 5, 10) :

Aloysius Izsóf, Th. De Cauzons, et Valerianus Ferracci laudabiliter se subiecerunt decretis quibus quidam eorum libri prohibiti sunt.

662. — *S. CONGR. S. OFFICII*

(*Sectio de indulgentiis*)

Conceduntur indulgentiae pro piis exercitiis in honorem S. Annae (A. A. S. 30 dec. 1912, 4, 723).

Indulgentiae.

In audientia, 22 aug. 1912, R. D. Assessori S. Officii impertita, S. Pontifex concessit indulgentias iis qui in hororem S. Annae « vacaverint piis exercitiis novem feriis tertiis sibi per totidem hebdomadas ininterrupte consequentibus », vel « novendialibus supplicationibus dent operam ».

663. — *S. CONGR. PRO NEGOTIIS ECCLESIASTICIS EXTRAORD.*

Abstinentia et ieiunium.

Solvitur dubium de abstinentia et ieiunio pro America Latina (A. A. S. 30 dec. 1912, 4, 730).

In audientia 10 dec. 1912 impertita Pro-Secretario S. C. pro negotiis eccl. extraord., S. Pontifex statuit indultum 1 ian. 1910 de abstinentia et ieiunio pro America latina vim quoque habere « in omnibus Antillis et ceteris insulis maris Caraibici » ad normam Declarationis authenticae 16 aug. 1898 ; quod ad usum vero privilegiorum seu indultorum, servandam esse quoque Declarationem 13 dec. 1911. Cfr. PERIODICA, tom. 5. p. 134 et tom. 6, p. 194.

664. — *S. CONGR. DE PROP. FIDE*

Erigitur praefectura apostolica de Kaffa meridionali (A. A. S. 15 febr. 1913, 5, 40).

Erectio praefecturae.

Decreto 28 ian. 1913, erigitur Praefectura apostolica de Kaffa meridionali, apud Gallas, et concreditur Instituto Taurinensi a Consolata pro missionibus.

665. — *S. CONGR. RITUUM*

A. *Causa beatificationis.*

Beatificatio.

Die 11 dec. 1912 signata est commissio introductionis Causae Ven. Servi Dei P. Marci ab Aviano, Ordinis Minorum Capuccinorum (A. A. S. 25 ian. 1912, 5, 10).

B. *Decretum de causis Servorum Dei « per viam casus excepti ».*

Decretum de causis « per viam casus excepti ».

Die 31 ian. 1913, circa causas Servorum Dei procedentes per viam casus excepti, quarum discussio decreto 11 nov. 1912 suspensa fuit, huic decreto mitigatio quaedam adicitur (A. A. S. 15 febr. 1913, 5, 41). V. PERIOD. VII, supra p. 49.

666. — *S. ROMANA ROTA*

Translatio Imaginis.

A. Die 3 aug. 1912, S. Rom. Rota in causa Vicen. Translationis S. Imaginis inter D. Maginum Gallifa Gomis et D. Leodegarium Torrens, cum disceptaretur circa tradenda obiecta antea inservientia S. Imagini nunc translatae, statuit tradenda esse tantum obiecta directe S. Imagini inservientia ; insuper statuit ne in pristino loco redintegraretur cultus Imaginis translatae (A. A. S. 30 dec. 1912, 4, 731).

Causae sub secreto.

B. Die 22 ian. 1913 ex Cancelleria S. Rotae evulgata est pars dispositiva sententiarum in causis anno 1912 sub secreto peractis (A. A. S. 25 ian. 1913, 5, 13). — Item die 25 febr. 1913 (A. A. S. 1 mart. 1913, 5, 85).

Nullitas matrimonii propter condicionem.

C. Die 2 ian. 1913, S. Rom. Rota in causa Limburgen. Nullitatis matrimonii inter AEmilium Teichert appellantem et Elisabetham Wilhelm contumacem, statuit non constare de nullitate matrimonii, propter condicionem appositam consensui (A. A. S. 15 febr. 1913, 5, 44).

D. Die 25 ian. 1913, S. Rom. Rota in causa Mileten. Iurium inter Confraternitatem B. M. V. et parochum Arenae appellantes et Confraternitatem S. Michaelis, varias diremit controversias quod ad praecedentiam in processionibus, ius eas indicendi etc. (A. A. S. 1 mart. 1913, 5, 74). *Iura.*

E. Die 13 ian. 1913, S. Rom. Rota in causa Romana, Stipendii inter Professores Scholae suppressae « Angelo Mai » et Administrationem bonorum Sedis Apostolicae, statuit, confirmando sententiam priorem (Cfr. PERIOD. t. VI p. 121.) non constrare de iure Professorum exigendi integrum stipendium (A. A. S. 18 mart. 1913, 5, 97). *Stipendium.*

667. — *SIGNATURA APOSTOLICA*

Die 13 febr. 1913 publicata est sententia definitiva *causarum reservatarum* anno 1912 in supremo Signaturae Tribunali actarum (A. A. S. 15 febr. 1913, 5, 51). *Causae reservatae.*

668. — *EX SECRETARIA STATUS*

A. Die 3 ian. 1913 scripta est epistula ab Em. Card. Secr. Status ad Comitem de Mun, qui nomine operis « des Cercles catholiques » exhibuerat S. P. oboedientiae ac devotionis testimonium (A. A. S. 25 ian. 1913, 5, 18). Excerpuntur sequentia : *Epist. ad C. de Mun.*

Comme vous le remarquez, Monsieur le Comte, il y a dans la doctrine sociale catholique des points délicats, sur lesquels il importe d'être bien fixé, si l'on veut que l'action à exercer sur les masses populaires, au triple point de vue religieux, moral et matériel, non seulement soit régie, comme il est nécessaire, par la vérité, mais n'en vienne pas à se retourner contre elle, pour la fausser.

Faute de l'esprit que vous avez su imprimer à votre Œuvre, ne voit on pas, par exemple, le domaine de la justice élargi, plus que de mesure, au détriment de la charité ; le droit de propriété subordonné à son usage, et celui-ci devenu une fonction, non plus de charité, mais de la justice ; au nom d'une conception erronée de certaines organisations sociales, des droits et des devoirs créés de toutes pièces, là où la loi naturelle consacre la liberté ? Ne voit-on pas encore la charité elle-même volatilisée en une vague fraternité, où d'une part, l'ordre qui lui est essentiel, et que, pour cela, l'on a appelé l'ordre de la charité, tend à s'effacer, où, d'autre part, l'on rêve de fondre les inégalités sociales ? Ne voit on pas enfin, ce qui est le pire, un droit naturel soi-disant catholique, chercher à se fonder, non plus sur les principes éternels gravés au fond de la conscience, mais sur les contingences dont s'occupent l'expérience et l'histoire ?

Le Saint-Père ne peut que déplorer ces doctrines et d'autres semblables. Ce qui rend d'autant plus vive sa joie de constater, en votre Œuvre, un esprit de parfaite orthodoxie, qui veut, à tout jamais grâce à un redoublement de précautions, s'en préserver. C'est de quoi Il tient surtout à la féliciter hautement, et à vous féliciter.

B. Die 13 ian. 1913 scripta est epistula ab Em. Card. Secr. Status ad Sacerdotem A. Bethleem, qui instituit et provehit « L'œuvre des lectures » (A. A. S. 25 ian. 1913, 5, 19). Excerpuntur sequentia : *Epist. ad Sac. Bethleem.*

Faire connaitre au public catholique et spécialement aux familles et au clergé la valeur morale et religieuse des ouvrages de tout genre sur lesquels ils doivent être renseignés, mettre en garde contre les lectures mauvaises et signaler les bonnes, et cela, tant par la publication d'ouvrages, brochures, tracts, que par une Revue périodique justifiant pleinement son titre de « Guide général de lectures », c'est une entreprise non moins vaste que nécessaire, qui fait le plus grand honneur à votre zèle et à votre activité sacerdotale, et qui mérite au plus haut point la reconnaissance de tous les honnêtes gens et surtout des Pasteurs des âmes.

Autant cette œuvre est opportune, autant elle présente des difficultés de plus d'un genre et demande à être poursuivie avec vigilance et courage, dans des vues et avec un esprit toujours absolument catholiques et surnaturels. Les résultats déjà très consolants que vous avez obtenus sont la meilleure preuve que vous êtes demeuré constamment fidèle aux devoirs d'un ministère si élevé et si délicat. I. S.

BIBLIOGRAPHIA [1]

Anonymum. Encycl. « Auspicato » en Const. « Misericors » van Z. H. Leo XIII over de Derde-Orde van den H. Franciscus, met den korten inhoud der encycliek. Leuven, 1913, 42 blz. ; fr. 0.25. — Editio gallica nuntiata est PERIOD. VII p. 62.

Al. Appelmans. *La protection des animaux au point de vue agricole*. Lierre, Jos. Van In. — Disputatio variis titulis digna est quae legatur.

L. Choupin. *Valeur des Décisions doctrinales et disciplinaires du Saint-Siège*. Syllabus ; Index. Saint-Office ; Galilée. Congrégations romaines. L'inquisition au moyen-âge. 2d éd. revue et augmentée. Paris, Beauchesne, 1913, X, 617 pp. 5 fr.

TABLE DES MATIÈRES. 1re partie. L'infaillibilité. 2e partie. Genre d'adhésion que nous devons aux décisions du Saint-Siège. 3e partie. L'autorité du Syllabus. 4e partie. Décrets des S. S. Congr. de l'Index et de l'Inquisition au sujet de Galilée. 5e partie. Commentaire du Syllabus. 6e partie. Congrégations romaines. Tribunaux. Offices. 7e partie. L'inquisition.

P. P. Gury-Ferreres, S. I. *Compendium theologiae moralis*. Editio 6a hispana, correctior et auctior. 2 Tomi. Barcinone apud Eug. Subirana edit. pontif.

Praeter quaestiones in omnibus libris huiusmodi tractatas inveniuntur in hac editione notae practicae plurimae de iure hodierno Hispaniae, Lusitaniae et Americae latinae : exponuntur varia decreta et leges, quae ad finem anni 1912 a S. Sede prodierunt : praeterea selectae solvuntur quaestiones morales, quas ob scientias vel usus modernos viri moralis theologiae studiosi in variis libris et periodicis agitarunt ut sunt vasectomia, usus falsarum monetarum, contractus non nulli recenter inducti etc.

---

[1] Tous les ouvrages cités dans la Bibliographie sont en vente chez M. Beyaert, Libraire, Bruges.

J.-B. Ferreres (R. P.). *De vasectomia duplici necnon de matrimonio mulieris excisae*, cum appendice de casu quodam clinico. Ed. alt. Matriti 1913 (Administración de *Razón y Fe*, Madrid). 148 pp. Colliguntur articuli scripti in praelaudato periodico et in *Nouvelle Revue Théologique*, cum non nullis correctionibus et additionibus, praesertim contra scripta Doct. medic. O'Malley.

V. Geerebaert, C. SS. R. *De Verlossing*. Antwoord op een uitdaging (Geloofsonderricht, A 37). Brugge. Rousselare, 1913, 50 blz. in-8° fr. 0.35.

Dom Robert Trilhe, Ord. Cist. *La Constitution « Divino Afflatu » et les nouvelles rubriques du Bréviaire romain*. In-8° de 267-LXXII pages. Prix : 3 fr. 50 ; Casterman, 66, rue Bonaparte, Paris VI^e^ et Tournai (Belg.)

Commentaire canonique et liturgique détaillé, qui compare les nouvelles rubriques aux anciennes et en établit la concordance.

Table des matières.

Constitutio Apostolica de nova Psalterii in Breviario Romano dispositione.

Rubricae in recitatione Divini Officii et in missarum celebratione servandae ad normam Constitutionis apostolicae « Divino afflatu ».

Commentaire en XVIII chapitres.

Appendice. I. Décisions relatives à la nouvelle réforme du Bréviaire. II. Table des Actes du Saint-Siège par ordre de date. III. Table alphabétique.

J. Van Mierlo Jr. S. I. *Jezus-Christus, de Zoon van God*. I. Wat Jezus dacht over zich zelf volgens de synoptische Evangeliën. (Geloofsonderricht A, 36). Brugge. Rousselare, 1912, 55 blz. in-8° ; fr. 0.35. — II. Jezus' verklaring voor het Synhedrion. Ibid. n. 38. Brugge. Rousselare, 1913, 47 blz. in-8° ; fr. 0.35.

J. Van Mierlo Sr. S. I. *De bekeering van Constantijn den Groote*. Apologetische beschouwingen. (Geloofsonderricht, A 40-41). Brugge. Rousselare, 1913, 71 blz. in-8° ; fr. 0.50.

Ex Periodicis

Le Canoniste Contemporain.

Déc. 1912. **A. Villien**. La procédure canonique pour l'expulsion des religieux (suite).

Janv. 1913. **A. Villien**. La procédure canonique pour l'expulsion des religieux (suite). **A. Boudinhon**. Sur l'histoire de la dime.

Févr. **F. Nau**. La version syriaque de l'oetateuque de Clément. Livre VIII.

Collationes Brugenses.

Jan. 1913. Notanda quaedam utilissima ad rite intellegenda opera scriptorum contemplativorum et ad ipsam divinam contemplationem exercendam. De donis Sp. S^i^. De vocatione sacerdotali.

Febr. La durée et le caractère du carême ancien dans l'Eglise latine.

Martii. Comment apparut, durant la 3^e^ période du moyen-âge et avant le concile de Pise (1409) la théorie de la supériorité du concile sur le Pape. — Utrum Iudas affuerit institutioni SS. Eucharistiae. L'antiphonaire Vatican.

Collationes Gandavenses.

Dec. 1912. Note sur l'authenticité de S. Matth. XXVIII, 19. De hora anticipandi privatim matutinum et laudes.

Ilustración del Clero, aº 1913. VII.

1ª Enero. Actas de la Curia Romana. Atribución del Magnificat. Provisión de beneficios de patronato particular laïco.

16 Jan. División de bienes. Derechos del Canónigo Penitenciario. La Cofradias y el Párroco.

1ª Febrero. Los colegios clericales y la higiene. Liga Nacional de Defensa del Clero.

16ª Febrero. Conducta con los Penitentes ocasionarios. Actas de la Curia Romana.

1ª Marzo. Del ayuno natural pará la Comunión eucaristica.

16ª Marzo. *Respuestas de la Comision Biblica.* La data del Evangelio de San Lucas.

Nouvelle Revue Théologique.

Janv. 1913. Empêchements matrimoniaux de disparité de culte et de religion mixte par **J. Besson**. La jurisprudence de la Rote. Paroisse et Confrérie.

Févr. **A. Calès.** L'authenticité et le but des paraboles évangéliques d'après une introduction récente. L'évêque peut-il exiger des prêtres le nom de leur confesseur ? — L'« Imitation » et la communion fréquente.

Mars. **A. de Smet.** Une nouvelle controverse : l'autériorité du mariage civil et le décret *Ne temere*. **J. Besson.** La féticide et l'avortement thérapeutique et les décisions du Saint-Siège.

Resena Eclesiastica.

Enero di 1913. **Angel Carbonell.** El camino real de la fe. **Luis Romeu.** Tercer Congreso Nacional de musica Sagrada.

Febrero. **Angel Carbonell.** El camino real de la fe. **Isidro Goma.** Comentario al Decreto de la comision « de Re biblica » de 26 de Junio de 1912. **Alfonso Mª Ribo.** Boletin Ascetico-Mistico.

Revue Ecclésiastique de Liége.

1913. Jan. La Filiation divine de Jésus en S. Matth. XI, 27 et S. Luc. X, 22. Num gratia actualis requiritur in iustis ad singula opera salutaria.

Mars. L'ancien droit ecclésiastique au Pays de Liége. La Filiation divine de Jésus en S. Matthieu, XI, 27 et S. Luc. X, 22 (suite). De occultata praegnantia mulieris, imminente mortis periculo. Quelques renseignements pratiques pour les fabriques d'église.

MONUMENTA

669. — S. CONGREGATIO S. OFFICII (Sectio de Indulgentiis)

DECRETUM 19-20 FEBR. 1913

De qualitate missae ad indulgentiam altaris privilegiati lucrandam

Causa.

Augescentibus in diem concessionibus sive localibus sive personalibus altaris, quod vocant, privilegiati, nec non Missarum cum privilegio ex parte fidelium petitionibus, ne facilis neglectus condicionis, sub poena nullitatis in praesens requisitae, legendi, cum liceat, Missam de Requie aut adiciendi ad Missam de feria vel vigilia Orationem defunctorum propriam, in grave purgantium animarum detrimentum vergat, supremae huic sacrae Congregationi sancti Officii, cui res universa de Indulgentiis demandata est, pluribus ex locis oblatae sunt preces pro eiusmodi condicionis relaxatione. Quibus mature perpensis, Emi ac Rmi DD. Cardinales Inquisitores generales, in plenario conventu habito feria IV die 19 februarii anni 1913, supplicandum Sanctissimo censuerunt, ut sequens Decretum pro universa Ecclesia approbare, ac de plenitudine Suae potestatis firmum ratumque habere dignaretur : « Ad Altaris privilegiati, quod vocant, « Indulgentiam lucrandam, non amplius in posterum sub poena nullitatis « requiri, Missam de requie aut de feria vel vigilia cum Oratione defuncti « propria celebrari ; id tamen laudabiliter fieri, cum licet ac debet, pietatis « gratia erga defunctum ».

Decretum.

Approbatio.

Et sequenti feria V, die 20 eiusdem mensis, sanctissimus Dominus noster Dominus Pius divina providentia Papa X, in solita audientia R. P. D. Assessori supremae huius sacrae Congregationis impertita, benigne annuere dignatus est iuxta Emorum Patrum suffragia. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

M. Card. Rampolla
† D. Archiep. Seleucien, *Ass. S. O.*

Annotationes

Uti patet, hoc decreto prorsus mutatur antiqua disciplina de condicionibus requisitis ad lucrandam indulgentiam altaris privilegiati. Non enim iam requiritur antiqua condicio, ut, si per Rubricas licet, missa celebretur de Requiem, sed neque exigitur id quod per novas rubricas Tit. X n. 5 (Period.

n. **552**, t. VI, p. 134) et decretum S. R. C. 12 iun. 1912 ad 6 (PERIOD. n. **599**, **A** t. VI, p. 252) nuperrime fuit cautum, ut scilicet, quando liceret, missa fieret de feria cum oratione pro defuncto ; immo, etiam si missa dicitur de feria, non requiritur ut in hac missa addatur oratio pro defunctis, sed quacumque die per quamcumque missam potest sacerdos, cui favet indultum personale vel locale, indulgentiam lucrari altaris privilegiati.

Unde a fortiori concludi debet, ut scite annotat R. D. CALLEWAERT [1] missam de Requiem non requiri, ne quidem iis diebus quibus permittitur, quotiens missa cotidiana communis petitur pro defunctis, nisi dans eleemosynam manifestet suam intentionem ut celebretur missa secundum ritum pro defunctis. Laudabiliter tamen hoc fiet, pietatis gratia erga defunctum, ut habet decretum, cum licet ac decet, quod etiam intellegendum est de oratione pro defunctis addenda in missa ritus simplicis, sive de sancto, sive de feria aut vigilia. I. P.

---

670. — S. CONGREGATIO RITUUM

RESP. 17 MAII 1912

De missis votivis B. Mariae Virginis ex privilegio recitandis

Argumentum. Cum in sancta capella almae Domus B. Mariae Virginis et in altari Ssmae Annuntiationis, Basilicae Lauretanae, ex apostolico privilegio celebrari queant Missae votivae ipsius Deiparae Virginis, iuxta temporis qualitatem, singulis per annum diebus, exceptis quibusdam in apposito elencho annotatis, a sacrorum Rituum Congregatione nuper expostulatum fuit :

Quaesita. I. Utrum infra octavas festorum atque in ipsis festis B. Mariae Virginis, etsi de eis sola commemoratio vel nulla commemoratio in Officiis classicis fiat, praefatae Missae, iam concessae, debeant esse votivae an potius de festis vel octavis, et quidem cum *Gloria* et *Credo ?*

II. An in vigiliis, saltem commemoratis, festorum eiusdem beatae Mariae Virginis, enuntiatae Missae debeant esse de vigilia, sine *Gloria* et *Credo*, cum orationibus iuxta rubricas et decreta ?

Et sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii audito Commissionis Liturgicae suffragio, propositis quaestionibus ita rescribendum censuit :

Responsa. Ad I. Negative ad primam partem et affirmative ad secundam, iuxta alia decreta ac decretum generale n. 3922 *De Missis votivis* 30 iunii 1896, ad V n. 1 et 2.

---

[1] COLLAT. BRUGEN. maii 1913 t. XVIII p. 325.

Ad II. Affirmative.
Atque ita rescripsit, die 17 maii 1912. *Dies (17 maii 1912).*
Fr. S. Card. MARTINELLI, *Praefectus*
† Petrus La Fontaine, Ep. Charistien., *Secretarius.*

ANNOTATIONES

Cum responsio non sit nisi applicatio legis generalis de missis votivis, patet idem tenendum esse in aliis casibus similibus. Quod ad orationes vero in his missis dicendas servanda sunt decreta nuperrime de hac re lata, et in specie decr. 22 mart. 1912 ad 5 (PERIOD. n. **575**, C t. VI p. 205) et decr. 26 maii 1912 ad 7 (PERIOD. n. **580** t. VI p. 225) ex quibus tertia oratio omittenda est in his missis quotiens facta est commemoratio duplicis. I. P.

671. — SS. D. N. PII PP. X

MOTU PROPRIO (25 IAN. 1913)

Abbati Primati S. Anselmi de Urbe Coadiutor adiungitur

Litteris Apostolicis « *Summum semper* », die XII mensis iulii anno MDCCCXCIII datis, fel. rec. decessor Noster Leo XIII, pro singulari caritate qua Benedicti legiferi Patris inclitum Ordinem prosequebatur, constituit, ut Congregationes omnes Benedictinorum, quos atratos vocant, fraternum foedus inirent — servatis tamen unius cuiusque monasterii constitutionibus, iuribus ac privilegiis — iisdemque ita consociatis Abbas Primas praeesset, qui in hac alma Urbe commoraretur, et negotia expediret, quae ad totius Ordinis commoda et utilitatem directo pertinerent. Cum autem Pontifex Abbatis Primatis primum deligendi sibi ius reservasset, iis ipsis Apostolicis Litteris Primatem — adeoque Abbatem sancti Anselmi de Urbe — elegit dilectum filium Hildebrandum de Hemptinne, qui tum erat Abbas Maredsoliensis e Beuronensi Congregatione, ea tamen lege, ut tam diu honorifico functurus esset officio, quam diu Pontifici eiusque successoribus placuisset. Quam vero egregius vir exspectationem sui fecerat, eam profecto explevit omnem ; annos enim fere viginti tam diligenter susceptum munus sustinuit tamque assiduam Anselmiano collegio provehendo dedit operam, ut Nobis atque Ordini suo fuerit probatissimus. — Nunc autem, affectus valetudine, cui apte curandae nihil tam sit profuturum, medicorum sententia, quam si a labore omnino quieverit, postulat a Nobis, ut eum abdicare se officio sinamus. Quod Nos cum, ob viri promerita, aegre patiamur, simulque non desperemus posse eum denuo convalescere, Motu Proprio ac certa scientia statuimus, ut dilecto filio Hildebrando de Hemptinne tum titulus Primatis et Abbatis sancti Anselmi de Urbe tum iura omnia ac privilegia, ei titulo annexa, constent quoad vixerit, addita facultate commorandi ubicumque maluerit ipse aut

Argumentum.

Providetur.

medicis visum erit ; praeterea volumus, ut eidem Primati detur Coadiutor cum futura successione, qui, ad sancti Anselmi degens, omnia agat negotia quae Primatis sunt et collegio sancte regundo in primis consulat.

Eligatur coadiutor cum futura successione.

Itaque, cum proximo mense maio sancti Benedicti crypta ad Montem Cassinum sit dedicanda, omnibus ac singulis Congregationum Praesidibus et Abbatibus, qui ex memoratis Apostolicis Litteris suffragii iure potiuntur, auctores sumus, ut, eam nacti occasionem qua nulla sane praeclarior, Romam conveniant ad eligendum eiusmodi Coadiutorem, quem interim simplici Abbatis titulo honestabunt.

Quae vero videmur opportune decrevisse ut dignitatem tueremur cum dilecti filii Hildebrandi de Hemptinne, viri de Benedictinis atratis optime meriti, tum ipsius Ordinis qui Nobis utitur Patronis, confidimus fore ut ea Benedictini sodales religiose studioseque efficiant, ad communem Congregationum suarum utilitatem.

Dies (25 ian. 1912).

Datum Romae apud sanctum Petrum, die XXV mensis ianuarii anno MCMXIII, Pontificatus Nostri decimo.

PIUS PP. X

---

672. — S. CONGREGATIO S. OFFICII (Sectio de Indulgentiis)

DECRETUM 27 FEBR. 1913

Oratio ad fructum SS. Missionum implorandum

Argumentum.

S^mus D^nus noster, D^nus Pius div. prov. Pp. X, in audientia R. P. D. Assessori S. Officii impertita, precibus Superioris provinciae Belgicae Congregationis S^mi Redemptoris benigne annuens, Indulgentiam *trecentorum dierum*, etiam animabus in Purgatorio degentibus applicabilem, *semel in die* ab omnibus christifidelibus lucrandam, qui in locis ubi proxime habendae iam per parochos praenuntiatae sunt Missiones, antequam eaedem incipiantur, infrascriptam precationem corde saltem contrito recitaverint, clementer elargitus est. Praesenti in perpetuum valituro, absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Textus.

« Très Saint Rédempteur, ô Jésus, notre Maître et notre Roi, c'est à votre divin Cœur, océan d'amour et de bonté, que nous devons le bienfait inappréciable d'une Mission.

« Touché de compassion à la vue de nos misères et du malheur éternel qui nous menace, vous avez résolu de nous sauver.

« Les missionnaires qui vont venir à nous sont vos envoyés : c'est de votre part qu'ils nous dispenseront le pain de la divine parole, et nous apporteront la joie du pardon.

« Faites, ô Seigneur, que, fidèles à votre grâce, nous répondions avec empressement aux prévenances de votre miséricorde.

« Que la prédication de votre éternelle vérité éclaire vivement nos esprits et touche profondément nos cœurs, afin que nous comprenions nos égarements et en fassions une sincère pénitence.

« Aux pauvres âmes plongées dans les ténèbres de l'ignorance et de l'erreur, accordez les lumières de la foi. A ceux qui vous ont contristé par une vie d'iniquités, accordez la grâce d'une vraie conversion. Aux tièdes accordez la ferveur ; aux justes le progrès dans la vertu.

« Envoyez à tous votre Saint-Esprit et la face de cette paroisse sera renouvelée.

« Et vous, ô Marie, Vierge immaculée et Mère du Perpétuel Secours, vous êtes le refuge et l'avocate des pauvres pécheurs. Plus on est coupable, plus on a des titres à votre dévoûment. C'est pourquoi nous osons en toute confiance implorer votre puissante et maternelle protection. Notre salut est entre vos mains, plaidez notre cause et intercédez pour nous auprès de votre divin Fils.

« Saint *N.*, Patron de la paroisse de *N.*, priez pour nous durant les jours bénis de la Mission. Ainsi soit-il ».

M. Card. Rampolla
† D. Archiep. Seleucien., *Ass. S. O.*

---

673. — S. CONGREGATIO DE RELIGIOSIS

VERSIO AUTHENTICA

decreti de Monialium et Sororum confessionibus [1]

DECRETO

SULLE CONFESSIONI DI MONACHE E DI SUORE

Poichè molte leggi sono state, a seconda dei bisogni e delle circostanze, pubblicate finora, per regolare le confessioni sacramentali delle Monache e delle Suore, ora è sembrato utile di ordinarle e raccoglierle tutte con qualche modificazione in un sol Decreto del seguente tenore :

1. A ciascuna comunità tanto di Monache che di Suore si assegnerà di regola un solo confessore ordinario ; salvo che per il gran numero delle Religiose, o per altro giusto motivo, non sia necessario assegnarne due, o più.

2. Il confessore ordinario non dovrà per regola rimanere in officio più di tre anni. Il Vescovo o l'Ordinario potrà tuttavia confermarlo pel secondo, o anche pel terzo triennio :

Nova haec Martyrologii Romani editio sat multis a praecedentibus discrepat.

1. Et primo quidem mutationes introductae sunt quae consequuntur ad decreta 2 iulii 1911 et 24 iulii 1911 de diebus festis. Inde :

α) Sollemnitas Corporis Christi annuntiatur :

Commemoratio sollemnis Sanctissimi Corporis Domini nostri Iesu Christi.

β) Sabbato post dominicam tertiam iunii, nisi occurrat die 23 eiusdem, legitur :

Nativitas sancti Ioannis Baptistae Praecursoris Domini, cuius memoria agitur octavo kalendas iulii.

γ) In martyrologio vero diei 24 iunii, in fine elogii S. Ioannis Baptistae, quod servatur primo loco, uti nunc prostat, additur : *cuius festum, ex decreto Pii Papae decimi, dominica quarta iunii celebratur.*

δ) Sabbato ante dominicam tertiam post Pascha dicitur :

Sollemnitas sancti Ioseph Sponsi beatae Mariae Virginis, Confessoris, quem Pius nonus Pontifex maximus votis et precibus annuens totius catholici orbis, universalis Ecclesiae patronum declaravit.

ε) Tandem in alio festo eiusdem S. Ioseph (19 mart.) dicitur :

Commemoratio sollemnis sancti Ioseph Sponsi beatae Mariae Virginis, Confessoris [1].

2. Hucusque, quando de aliquo sancto agebatur extra diem natalem, huius sancti elogium proprie dictum plerumque in martyrologio habebatur, non in ipso die natali, sed in quasi-natali. In ipso vero die natali, saepe nihil de sancto habebatur (v. g. de S. Dominico die 6 aug., de S. Francisco Xaverio die 2 dec.), aut brevis tantum mentio legebatur (v. g. de S. Basilio die 1 ian.); non numquam duplex habebatur elogium, alterum in die natali, alterum in quasi-natali. (v. g. de S. Ioanne Chrysostomo diebus 27 ian. et 14 sept.) Item pro sanctis in Ecclesia universali non excultis, elogium in Martyrologio saepe inscribebatur non in ipsorum die natali, sed in die qui tamquam festivus huius sancti aliquibus locis fuit concessus

[1] His confirmatur quod in PERIODICIS dicebatur t. VI, p. 90 et 91.

(v. g. de S. Catharina de Ricciis die 13 febr. pro 2 eiusdem mensis). Nunc vero elogium proprie dictum semper inscribitur in die natali ; et quidem suo loco. In die vero quasi-natali, pro sanctis qui officium habent in universali ecclesia, primo (vel secundo) loco habetur tantum commemoratio sancti sub formula brevi : *Sancti N., qui tali die obdormivit in Domino*, vel alia simili ; sed in hac formula semper iam reticetur locus obitus vel specialis venerationis. Pro sanctis vero qui in universali ecclesia non coluntur, extra diem natalem nihil iam habetur, nisi agatur de translatione, ordinatione vel de alia huiusmodi celebritate [1].

3. Non nullis diebus aliquantum commutatus est ordo elogiorum. In rubricis enim Martyrologii dicitur sanctos proprios, si de eis non fit officium, ponendos esse post sanctos in hoc Martyrologio descriptos, ordine suo, videlicet Martyres post Martyres, Confessores post Confessores, et Virgines post Virgines ; quod evidenter supponit in ipso Martyrologio eundem ordinem servari ; iam vero, uti consideranti patet, saepissime ille ordo fuerat inversus, ita ut v. g. Confessor ante Martyrem, Virgo ante Confessorem inscriberetur ; nunc vero, ille ordo fuit restitutus, et in novo Martyrologio, post Sanctos de quibus fit officium vel commemoratio, enumerantur sancti quorum est dies natalis hoc ordine : primo sancti Veteris Testamenti et Discipuli Domini, dein Martyres, inter quos primi enumerantur Pontifices, tum Sacerdotes, Clerici, Laici, Virgines ; post Martyres veniunt Confessores, iterum primo Pontifices, dein Abbates, tunc reliqui sacerdotes, Clerici, Laici ; postea veniunt Virgines, tandem Viduae. Ultimo describuntur Sancti illi quorum non est dies natalis, sed translatio, vel ordinatio, aut inventio, etc.

4. Non nulli dies natales qui mendose erant inscripti fuerunt correcti. Sic dies natalis S. Gregorii X iam inscribitur 10 ian. (antea 16 feb.) natalis S. Cyrilli (et Methodii) inscribitur 14 feb. (antea 4 mart.), natalis S. Hadriani III 8 iul. (antea 7 sept.), natalis S. Urbani II 29 iul. (antea 19 aug.) [2]. Quidam tamen erronei dies natales permanserunt, v. g. S. Petri Damiani qui obiit 22 febr. S. Alphonsi de Ligorio qui obiit 1 aug.

Insuper pro aliquibus sanctis additus est locus obitus.

---

[1] Tria tamen elogia invenire potuimus sanctorum qui in universali Ecclesia non coluntur, quae prostant non in die natali, sed in die qui ut festivus fuit assignatus, videlicet : die 16 iun. elogium S. Ioannis Francisci Regis, cuius dies natalis est 31 dec., die 7 sept. elogium S. Petri Claver qui obiit 8 sept. et die 30 oct. elogium S. Alphonsi Rodriguez cuius natalis est die 31 eiusdem mensis. Ex oblivione hoc factum esse putamus, eo magis quod festivitas S. Ioannis Francisci Regis pro Societate Iesu a die 16 iunii sit avulsa et diei 13 aug. assignata.

[2] Indicationes novi kalendarii pro clero romano concordant proinde cum indicationibus huius novae editionis Martyrologii. Cfr. PERIOD. n. **655** et **656** t. VI, p. 101 in nota.

5. In antiquo Martyrologio duae tantum dominicae erant annuntiandae : dominica Septuagesimae et dominica Palmarum ; nunc insuper annuntianda occurrunt :

α) Sabbato ante dominicam primam Adventus :

Dominica prima Adventus Domini nostri Iesu Christi.

β) Sabbato ante dominicam Passionis :

Dominica Passionis.

γ) Sabbato infra octavam Paschatis :

Dominica in Albis in octava Paschae.

6. De vigiliis et de diebus octavis festorum mobilium nihil hucusque in Martyrologio habebatur, ita ut inter se controverterent auctores num illa in Martyrologio essent annuntianda. Negasse videtur Guyetus (lib. II, cap. XIV, q. 2) ; affirmant vero Merati (sect. V, cap. XXI, III) et Cavalieri (tom. II, decr. 328 n. XI), quorum opinio nunc videtur communis ; porro novum Martyrologium explicite indicat quomodo sint annuntianda.

α) Sabbato infra octavam Paschatis :

Dominica in Albis in octava Paschae.

β) Sabbato ante dominicam quartam post Pascha :

Octava Sollemnitatis sancti Ioseph Sponsi beatae Mariae Virginis, et Ecclesiae universalis Patroni, Confessoris.

γ) Feria III rogationum :

Vigilia Ascensionis Domini nostri Iesu Christi.

δ) Feria IV infra octavam Ascensionis :

Octava Ascensionis Domini nostri Iesu Christi.

ε) Feria sexta post octavam Ascensionis :

Vigilia Pentecostes.

ζ) Sabbato infra octavam Pentecostes :

Festum sacratissimae et individuae Trinitatis et octava Pentecostes.

η) Feria quarta infra octavam Commemorationis sollemnis sanctissimi Corporis Christi.

Octava Commemorationis sollemnis Corporis Domini nostri Iesu Christi.

θ) Feria sexta post dominicam tertiam iunii :

Vigilia sancti Ioannis Baptistae.

ι) Sabbato ante dominicam quartam iunii :

Octava sancti Ioannis Baptistae.

Notetur illas etiam octavas annuntiari quorum tamen officium numquam fit ob praevalens officium dominicae v. g. octava Sollemnitatis S. Ioseph et Nativitatis. S. Ioannis Baptistae, immo octavas Paschae et Pentecostes cum tamen ex rubricis Missalis et Breviarii hae octavae cessent post Nonam Sabbati.

7. Commemoratio Fidelium defunctorum bis erit deinceps annuntianda : pridie primo loco post indicatas kalendas brevi

formula huc usque adhibita [1], dein iterum ipsa die qua fit Commemoratio, antequam legantur kalendae, modo adhibito in die Paschatis, et cum longiore formula quae invenitur in Appendice Novi Psalterii [2].

8. Accedunt varii Indices quorum ope facillimum est reperire quidquid in libro perquiritur, et primo quidem habetur Index Sanctorum omnium qui in Martyrologio descripti inveniuntur nominatim, dein Index Sanctorum de quibus obiter fit mentio, indicata intra parenthesim die natali quotiens in Martyrologio reperitur. Secundo, invenitur index festorum quae non sunt Sanctorum natalicia, inter quae habetur Commemoratio sollemnis S. Ioseph (19 mart.) quod festum hucusque ut natalis S. Ioseph inscribebatur. Tertio habetur Index locorum qui in Martyrologio indicantur. I. P.

---

681. — S. CONGR. RITUUM

DECRETUM

De mutationibus in breviario romano

(A. A. S. 26 iun. 1913, 5, 278)

Per Decretum S. R. C. *Urbis et Orbis* die 23 ianuarii 1912 iniunctum fuit, ut Breviariis et Missalibus Romanis iam editis et apud typographos adhuc exsistentibus adiceretur fasciculus, iuxta prototypum vaticanum approbatus, cui titulus « Mutationes in Breviario et Missali Romano faciendae, etc. », ne utriusque textus liturgici exemplaria iam impressa inutilia evaderent. Cum vero sacra eadem Congregatio ceteras omnes mutationes, ad normam Constitutionis Apostolicae *Divino afflatu* et Decretorum, tum Breviarium tum Missale Romanum concernentes una cum praedictis iam evulgatis, non solum ad modum appendicis, sed suis locis respective adiungendas et inserendas censuerit ; interim, praehabito specialis Commissionis liturgicae suffragio, has mutationes, Breviarium tantum respicientes, distincte et ordinate dispositas atque collectas, sanctissimi Domini nostri Pii Papae X supremae sanctioni demisse subiecit. Sanctitas porro Sua, referente infrascripto Cardinali sacrae Rituum Congregationi Praefecto, easdem mutationes, prouti in novo exstant prototypo, ratas habere et approbare dignata est, simulque mandavit, ut ipsae, in futuris Breviarii Romani editionibus suis respectivis locis aptatae, rite inserantur. Attamen eadem Sanctitas Sua benigne indulsit, ut Breviarii Romani editiones hucusque impressae adhuc acquiri et adhiberi licite valeant ; dummodo utentes observent normas pro Horis canonicis persolvendis in Constitutione *Divino afflatu* aliisque Aposto-

---

[1] Si ob dominicam vel occurrens festum 1 classis, Commemoratio omnium Fidelium defunctorum est transferenda, haec annuntiatio omittitur in Martyrologio diei 2 nov. et transfertur una cum Commemoratione.

[2] Correctum est mendum quod in Appendice novi Psalterii irrepserat ; legebatur enim ibi : *Postea dicitur quarto vel tertio nonas novembris ;* nunc vero habetur : *Postea dicitur tertio vel pridie nonas novembris.*

licae Sedis dispositionibus praescriptas. Contrariis non obstantibus quibuscunque.

Die 11 iunii 1913. Fr. S. Card. Martinelli, *Praefectus.*

† Petrus La Fontaine, Episc. Charystien., *Secretarius.*

Annotationes

Decr. 23 ian. 1912 (t. VI, p. 138 et seq.) non nullas rubricas speciales Breviarii et Missalis novis regulis accommodavit, minime tamen, uti tunc iam notavimus (p. 177) omnes. Completa nunc facta est reformatio rubricarum, saltem specialium [1], Breviarii.

Porro, novae illae rubricae in omnibus Breviariis in posterum imprimendis erunt inserendae suis respective locis. Licet tamen antiquis Breviariis adhuc uti, dummodo in Breviario recitando stetur non rubricis antiquatis in Breviario impressis, sed novis.

De ipsa reformatione, cum prae manibus nondum habeatur, annotationes, si opus fuerit, ad proximum fasciculum remittimus. I. P.

---

682. — S. PAENITENTIARIA

Declaratio circa iubilaeum (A. A. S. 26 iun. 1912, 5, 279)

Quaestio. Proposita nuper est huic sacrae Paenitentiariae quaestio : « An Iubi-« laeum indictum litteris apostolicis *Magni faustique eventus*, datis die « 8 martii huius anni, pluries acquiri possit, si iniuncta opera repetantur ».

Re mature perpensa, eadem sacra Paenitentiaria, de mandato Ssmi D. N. Pii Papae X, ad quaesitum propositum respondendum esse decrevit, prout alias, occasione praecedentium iubilaeorum, declaratum est, nempe :

Responsum. Praedictum Iubilaeum, quod ad plenariam indulgentiam, bis aut pluries acquiri posse, iniuncta opera bis aut pluries iterando ; semel vero, id est prima tantum vice, quod ad ceteros favores, nempe absolutiones a censuris et a casibus reservatis, commutationes aut dispensationes.

Datum Romae in sacra Paenitentiaria, die 6 iunii 1913.

S. Card. Vannutelli, *Maior Paenitentiarius.*

I. Palica, *S. P. Secretarius.*

Annotatio

Iuxta hanc declarationem, immutandum est quod supra p. 110 e verbis Litterarum apostolicarum concludebamus circa *indulgentiam* lucrandam.

Hanc de Iubilaeo loquendi occasionem arripimus ad solvendum dubium recens exortum. *Eleemosyna* scil. quae

[1] Ex decreto erui non potest num etiam rubricae generales Breviarii novis regulis iam sint accommodatae.

imponitur, pro lubitu fidelium « vel in egenos, vel, si malint, ad pias causas » erogari potest. Ita ex ipsis verbis Litterarum apostolicarum. Sicubi proinde Ordinarius opus pium determinat, intendit tantum indicare ad quem usum applicaturus sit pecuniam quam ipsi vel sacerdotibus, puta in oblationibus in ecclesia factis, libere tribuant fideles, ipsius lubitu expendendam. I. S.

683. — EX SECRETARIA STATUS

LITTERAE 7 iun. 1913 [1]

De vocatione sacerdotali (A. A. S. 26 iun. 1913, 5, 290)

Ad R. D. Can. Lahitton, qui alteram operis sui « Vocation sacerdotale » editionem Beatissimo Patri, pignus devotionis, obtulit

Monsieur le Chanoine,

Le Souverain Pontife Pie X vous remercie de l'hommage filial que vous Lui avez fait de la nouvelle édition de votre ouvrage sur la *Vocation sacerdotale*, et vous confirme à cette occasion les félicitations qu'Il vous avait adressées lors de la première apparition de votre docte travail.

Déjà, l'année dernière, Sa Sainteté avait pleinement approuvé la décision prise, le 20 juin 1912, par les éminentissimes Cardinaux spécialement chargés d'examiner la question doctrinale soulevée par la publication de votre livre. En relevant le mérite de cette magistrale étude, la Commission cardinalice signalait avec éloge les points importants du concept traditionnel de l'Église, mis par vous en lumière.

Après avoir pris connaissance de la présente édition, le Saint-Père vous félicite de nouveau d'avoir rendu un service important à la cause de la pure doctrine, et comme gage de son entière satisfaction vous accorde de tout cœur la bénédiction apostolique.

Avec mes félicitations et mes remercîments personnels, veuillez recevoir, Monsieur le Chanoine, l'assurance de mes sentiments bien dévoués en Notre-Seigneur.

Le 7 juin 1913. R. Card. MERRY DEL VAL.

684. — COMMISSIO DE RE BIBLICA

(A. A. S. 26 iun. 1913, 5, 291)

I.

De auctore, de tempore compositionis et de historica veritate libri Actuum Apostolorum.

Propositis sequentibus dubiis Pontificia Commissio de Re Biblica ita respondendum decrevit :

[1] Vide PERIOD. VI. p. 262 ss.

I. Utrum, perspecta potissimum Ecclesiae universae traditione usque ad primaevos ecclesiasticos scriptores assurgente, attentisque internis rationibus libri Actuum sive in se sive in sua ad tertium Evangelium relatione considerati et praesertim mutua utriusque prologi affinitate et conexione (*Luc.*, I, 1-4; *Act.*, I, 1-2), uti certum tenendum sit volumen, quod titulo Actus Apostolorum, seu Πράξεις Ἀποστόλων, praenotatur, Lucam evangelistam habere auctorem ?

R. Affirmative.

II. Utrum criticis rationibus, desumptis tum ex lingua et stilo, tum ex enarrandi modo, tum ex unitate scopi et doctrinae, demonstrari possit librum Actuum Apostolorum uni dumtaxat auctori tribui debere; ac proinde eam recentiorum scriptorum sententiam, quae tenet Lucam non esse libri auctorem unicum, sed diversos esse agnoscendos eiusdem libri auctores, quovis fundamento esse destitutam ?

R. Affirmative ad utramque partem.

III. Utrum, in specie, pericopae in Actis conspicuae, in quibus, abrupto usu tertiae personae, inducitur prima pluralis (*Wirstücke*), unitatem compositionis et authenticitatem infirment; vel potius historice et philologice consideratae eam confirmare dicendae sint ?

R. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

IV. Utrum, ex eo quod liber ipse, vix mentione facta biennii primae romanae Pauli captivitatis, abrupte clauditur, inferri liceat auctorem volumen alterum deperditum conscripsisse aut conscribere intendisse, ac proinde tempus compositionis libri Actuum longe possit post eandem captivitatem differri; vel potius iure et merito retinendum sit Lucam sub finem primae captivitatis romanae apostoli Pauli librum absolvisse ?

R. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

V. Utrum, si simul considerentur tum frequens ac facile commercium quod procul dubio habuit Lucas cum primis et praecipuis ecclesiae Palaestiniensis fundatoribus nec non cum Paulo gentium Apostolo, cuius et in evangelica praedicatione adiutor et in itineribus comes fuit; tum solita eius industria et diligentia in exquirendis testibus rebusque suis oculis observandis; tum denique plerumque evidens et mirabilis consensus libri Actuum cum ipsis Pauli epistolis et cum sincerioribus historiae monumentis; certo teneri debeat Lucam fontes omni fide dignos prae manibus habuisse eosque accurate, probe et fideliter adhibuisse: adeo ut plenam auctoritatem historicam sibi iure vindicet ?

R. Affirmative.

VI. Utrum difficultates quae passim obici solent tum ex factis supernaturalibus a Luca narratis; tum ex relatione quorundam sermonum, qui, cum sint compendiose traditi, censentur conficti et circumstantiis adaptati; tum ex non nullis locis ab historia sive profana sive biblica apparenter saltem dissentientibus; tum demum ex narrationibus quibusdam, quae sive cum ipso Actuum auctore sive cum aliis auctoribus sacris pugnare videntur; tales sint ut auctoritatem Actuum historicam in dubium revocare vel saltem aliquomodo minuere possint ?

R. Negative.

II.

De auctore, de integritate et de compositionis tempore epistolarum pastoralium Pauli Apostoli

Propositis pariter sequentibus dubiis Pontificia Commissio de Re Biblica ita respondendum decrevit:

I. Utrum prae oculis habita Ecclesiae traditione inde a primordiis universaliter firmiterque perseverante, prout multimodis ecclesiastica monumenta vetusta testantur, teneri certo debeat epistolas quae pastorales dicuntur, nempe ad Timotheum utramque et aliam ad Titum, non obstante quorundam haereticorum ausu, qui eas, utpote suo dogmati contrarias, de numero paulinarum epistolarum, nulla reddita causa, eraserunt, ab ipso apostolo Paulo fuisse conscriptas et inter genuinas et canonicas perpetuo recensitas?

R. Affirmative.

II. Utrum hypothesis sic dicta fragmentaria, a quibusdam recentioribus criticis invecta et varie proposita, qui, nulla ceteroquin probabili ratione, immo inter se pugnantes, contendunt epistolas pastorales posteriori tempore ex fragmentis epistolarum sive ex epistolis paulinis deperditis ab ignotis auctoribus fuisse contextas et notabiliter auctas, perspicuo et firmissimo traditionis testimonio aliquod vel leve praeiudicium inferre possit?

R. Negative.

III. Utrum difficultates quae multifariam obici solent sive ex stylo et lingua auctoris, sive ex erroribus praesertim Gnosticorum, qui uti iam tunc serpentes describuntur, sive ex statu ecclesiasticae hierarchiae, quae iam evoluta supponitur, aliaeque huiuscemodi in contrarium rationes, sententiam quae genuinitatem epistolarum pastoralium ratam certamque habet, quomodolibet infirment?

R. Negative.

IV. Utrum, cum non minus ex historicis rationibus quam ex ecclesiastica traditione, Ss. Patrum orientalium et occidentalium testimoniis consona, necnon ex indiciis ipsis quae tum ex abrupta conclusione libri Actuum tum ex paulinis epistolis Romae conscriptis et praesertim ex secunda ad Timotheum facile eruuntur, uti certa haberi debeat sententia de duplici romana captivitate apostoli Pauli; tuto affirmari possit epistolas pastorales conscriptas esse in illo temporis spatio quod intercedit inter liberationem a prima captivitate et mortem Apostoli?

R. Affirmative.

Die autem 12 iunii 1913, in audientia infrascripto R^mo Consultori ab Actis benigne concessa, S^smus Dominus noster Pius Papa X praedicta responsa rata habuit ac publici iuris fieri mandavit.

Romae, die 12 iunii 1913.

LAURENTIUS JANSSENS, O. S. B.,
Consultor ab Actis.

DECRETA SUMMATIM RELATA

685. — *SS. D. N. PII PP. X*

A. *Conceduntur privilegia et indulgentia pro inauguratione cryptae in templo Casinensis monasterii* (A. A. S. 31 mart. 1913, 5, 113).

Privilegia et indulgentia.

Litteris apostolicis 10 febr. 1913, S. Pontifex occasione inaugurationis cryptae S. Benedicti in ecclesia monasterii Casinensis restitutae, concedit varia privilegia et indulgentiam in forma iubilaei.

B. *Approbantur in perpetuum Constitutiones Canonicorum Regularium Immaculatae Conceptionis* (A. A. S. 31 mart. 1913, 5, 117).

Approbatio.

Litteris apostolicis 11 febr. 1913, S. Pontifex, in perpetuum approbat Constitutiones Congregationis (votorum simplicium) Canonicorum Immaculatae Conceptionis.

C. *Alloquitur S. Pontifex Christifideles qui Romam peregrini petierunt* (A. A. S. 16 apr. 1913, 5, 147).

Allocutio.

Occasione sollemnium saecularium pacis per Constantinianum edictum Ecclesiae partae, allocutus est S. Pontifex peregrinos, vehementer conquerens quod passim violantur iura Ecclesiae.

D. *Conceditur facultas celebrandi pontificale sacrum ad altaria papalia* (A. A. S. 16 apr. 1913, 5, 151).

Sacrum ad altare papale.

Occasione sollemnium saecularium pacis Constantinianae, S. Pontifex S. R. E. Cardinalibus qui designati erunt, facultatem concedit celebrandi sacrum pontificale ad altare papale quinque Basilicarum Urbis.

E. *Conceditur facultas erigendi ubique societates Divini Infantis Pragensis* (A. A. S. 16 apr. 1913, 5, 152).

Confraternitas.

Litteris apostolicis 30 mart. 1913, S. Pontifex concedit Praeposito generali Ordinis Carmelitarum Excalceatorum et successoribus eius facultatem erigendi tum in qualibet eiusdem ordinis ecclesia, tum in alia publica ecclesia de Ordinarii consensu, sodalitatem Divini Infantis Pragensis.

F. *Laudatur sacerdotale foedus « Pro Pontifice et Ecclesia »* (A. A. S. 16 maii 1913, 5, 209).

Consociatio.

In epistula 28 apr. 1913 ad Card. Dubillard, archiepiscopum Camberiensem, laudibus extollit S. Pontifex foedus sacerdotale « Pro Pontifice et Ecclesia ».

G. *Erigitur novus Vicariatus de Banguelo* (A. A. S. 9 iun. 1913, 5, 233).

Erectio Vicariatus.

Litteris apostolicis 28 ian. 1913, S. Pontifex erigit novum Vicariatum apostolicum de Banguelo in Africa, territorio Nyassensi in duas partes diviso. Concreditur Congregationi Missionariorum ad Afros.

H. *Erigitur in Vicariatum Praefectura apostolica Tripolitana* (A. A. S. 9 iun. 1913, 5, 234).

Litteris apostolicis 23 febr. 1913, S. Pontifex Praefecturam apostolicam Tripolitanam erigit in Vicariatum, de Libya nominandum. *Erectio Vicariatus.*

I. *Erigitur novus Vicariatus de Fianarantsoa* (A. A. S. 9 iun. 1913, 5, 235).

Litteris apostolicis 10 maii 1913, S. Pontifex in insula Madagascar, novum Vicariatum de Fianarantsoa constituit, diviso territorio de Madagascar centrali. Committitur Societati Iesu. *Erectio Vicariatus.*

K. *Praefectura Rajputanensis erigitur in dioecesim* (A. A. S. 26 iun. 1913, 5, 265).

Litteris apostolicis 22 maii 1913, S. Pontifex Praefecturam Rajputanensem in Indiis orientalibus erigit in dioecesim a civitate « Aimer » Aimerensem appellandam. *Erectio dioecesis.*

L. *Erigitur provincia ecclesiastica Simlensis* (A. A. S. 26 iun. 1913, 5, 266).

Litteris apostolicis 22 maii 1913, S. Pontifex in Indiis orientalibus constituit provinciam ecclesiasticam ex archidioecesi Simlensi et suffraganeis dioecesi Lahorensi, et apostolica praefectura de Kafiristan et Cashmiren. *Erectio provinciae.*

686. — *S. CONGR. CONSISTORIALIS*

A. *Erigitur dioecesis et archidioecesis in Statibus foederatis Americae* (A. A. S. 30 apr. 1913, 5, 182).

Decreto S. Congr. Consist. 30 nov. 1912, S. Pontifex dioecesim S. Alberti in duas partes divisit, quarum alteram novam dioecesim Calgariensem, alteram, mutata sede, ecclesiam metropolitanam Edmontonensem constituit. *Erectio provinciae ecclesiasticae.*

B. *Confirmatur disciplina circa munus deputati in Gallia, a sacerdote exercendum* (A. A. S. 9 iun. 1913, 5, 238).

Die 9 maii 1913, S. Congr. Consistorialis, probante S. Pontifice, edixit adhuc vigere dispositionem S. Congr. de Negotiis eccles. extr. 2 apr. 1906, qua statuebatur nulli sacerdoti (saeculari vel regulari) licere sese candidatum sistere in proximis comitiis sive consensu proprii Ordinarii ac Ordinarii loci, ubi se candidatos sistere cupiunt. Additur explicite eandem prohibitionem vigere pro omnibus ecclesiasticis viris, etiam si forte antea munera praefata fuerint assecuti. *Disciplina ecclesiastica.*

687. — *S. CONGR. INDICIS*

A. Decreto 8 maii 1913 damnantur opera sequentia (A. A. S. 16 maii 1913, 5, 216) : *Opera damnata.*

ANNALES DE PHILOSOPHIE CHRÉTIENNE *(fondées par A. Bonnetty), Secrétaire de Rédaction L. Laberthonnière, Paris, 1905-1913.*

Henri Brémond, *Sainte Chantal* (1572-1641). *Collection « Les Saints », Paris, 1912.*

Ce qu'on a fait de l'Église. *Étude d'histoire religieuse, avec une supplique à S. S. le Pape Pie X. Paris.*

B. Decreto 16 iun. 1913 damnantur opera sequentia (A. A. S. 26 iun. 1913, 5, 276).

Luigi Renzetti, *Lotte umane ; romanzo di vita russa.* Roma, 1911.

Sebastian Merkle, *Vergangenheit und Gegenwart der katholisch-theologischen Fakultäten* (« *Akademische Rundschau* », Leipzig, oct. et nov. 1912).

L. Laberthonnière, *Sur le chemin du catholicisme.* Paris, 1913.

— *Le témoignage des martyrs.* Ibid., 1912.

Stéphen Coubé, *Ames juives.* Paris, s. a.

M. D. Petre, *Autobiography and life of George Tyrrell.* London, 1912.

H. A. van Dalsum, *Er is geene tegenstelling tusschen de beginselen van de fransche Revolutie en die van het Evangelie.* 'S-Gravenhage, 1912.

C. Nuntiatur D. H. Brémond decreto quo opus ab eo conscriptum notabatur, se laudabiliter subiecisse (A. A. S. 26 iun. 1913, 5, 277).

688. — *S. CONGR. S. OFFICII*

Sectio de indulgentiis

A. *Declaratio circa formulam orationis « Obsecro te »* (A. A. S. 31 mart. 1913, 5, 123).

Declaratio. Die 26 febr. 1913, S. Officium respondit favores spirituales concessos per decr. S. Off. 29 aug. 1912 (Period. t. VII. p. 3) recitantibus post Missam orationem « Obsecro te », permanere, si dicatur... « Mors tua sit mihi *vita indeficiens, Crux tua sit mihi* gloria sempiterna... »

B. *Conceduntur indulgentiae pro piis exercitiis mense augusto in honorem Immaculati Cordis B. M. V.* (A. A. S. 16 apr. 1913, 5, 154).

Indulgentiae. Die 13 mart. 1913 S. Congr. S. Officii evulgavit decretum quo conceduntur indulgentiae pro piis exercitiis mense augusto in honorem Immaculati Cordis B. M. V.

C. *Ampliori indulgentia ditatur christiana salutatio* (A. A. S. 16 maii, 1913, 5, 210).

Indulgentiae. In audientia 27 mart. 1913, S. Pontifex salutationi, qua nimirum alter dicit... *Laudetur Jesus Christus*, alter vero respondet *Amen* vel *In saecula* aut similiter, annexuit indulgentiam 100 dierum, defunctis applicabilem.

D. *Augentur indulgentiae pro laude S. Sacramenti* (A. A. S. 16 maii, 1913, 5, 211).

Indulgentiae. Die 10 apr. 1913 S. Pontifex annexuit orationibus. *Laudetur et adoretur in aeternum Sanctissimum Sacramentum ;* vel : *Sia lodato e ringraziato ogni momento il santissimo e divinissimo Sacramento,* indulgentiam 300 dierum, defunctis applicabilem ; plenariam autem indulgentiam,

defunctis pariter applicabilem, concessit iis qui alterutram orationem cotidie per mensem recitaverint si insuper confessi communicant et orant ad mentem S. Pontificis.

E. *Conceduntur indulgentiae Societatibus ad ecclesiasticas vocationes* (A. A. S. 9 iun. 1913, 5, 236).

Indulgentiae.

Die 29 maii S. Pontifex sodalitatibus canonice institutis ad iuvandas et promovendas vocationes ecclesiasticas, concessit plures indulgentias plenarias et partiales, et insuper Missas omnes quae in suffragium sodalium defunctorum celebrantur, instruxit indulgentia altaris privilegiati.

F. *Conceditur indulgentia recitantibus preces ad bonam mortem implorandam* (A. A. S. 26 iun. 1913, 5, 271).

Indulgentiae.

Die 5 iun. S. Pontifex concessit indulgentiam 300 dierum, semel in die, applicabilem defunctis, recitantibus preces ad implorandam bonam mortem a S. Vincentio Ferrerio compositas.

689. — *S. CONGR. DE PROPAGANDA FIDE*

A. *Confinia Vicariatus Bagamoiensis et Daressalamensis ad civilia coaequantur* (A. A. S. 16 maii 1913, 5, 215).

Fines.

Decreto 7 maii 1913, S. Congr. de Propaganda Fide confinia Bagamoiensem inter et Daressalamensem Vicariatus in Africa ad confinia civilia aequavit.

B. *Erigitur Praefectura apostolica de Bar-El-Gazal* (A. A. S. 9 iun. 1913, 5, 249).

Erectio praefecturae.

Decreto 30 maii 1913, S. Congr. de Propaganda Fide erexit in Africa centrali Praefecturam de Bar-El-Gazal, separatam a Vicariatu Sudanensi concreditam Congregationi Filiorum S. Cordis.

C *Innovatur nomen Vicariatus Sudanensis* (A. A. S. 9 iun. 1913, 5, 250).

Nomen.

Decreto 30 maii 1913, S. Congr. de Propaganda Fide Vicariatum Sudanensem deinceps ab urbe principe Cartum nominandum esse statuit.

D. *Immutantur fines Praefecturarum Cimberasiae inferioris et Magni Nemaqualand* (A. A. S. 9 iun. 1913, 5, 250).

Fines.

Decreto 2 iun. 1913, S. Congr. de Propaganda Fide non nihil immutavit fines Praefecturarum Cimberasiae inferioris et Magni Nemaqualand.

E. *Erigitur praefectura apostolica de Betafo* (A. A. S. 26 iun. 1913, 5, 273).

Erectio praefecturae.

Decreto 15 maii 1913, in insula Madagascar erigitur nova praefectura de Betafo, separata a Vicariatu Madagascar centralis, concredita Missionariis a Salette.

F. *Immutatur nomen Vicariatuum in Madagascar* (A. A. S. 26 iun. 1913, 5, 274).

Mutantur nomina.

Decreto 20 maii 1913, statuuntur Vicariatus Madagascar huc usque vocati: Septemtrionalis, Centralis, Meridionalis, deinceps vocandi respective: de Diego Suarez, de Tananarive, de Fort-Dauphin.

Fines. G. *Arcipelagus de Spitzberg Vicariatui Norvegiensi annectitur* (A. A. S. 26 iun. 1913, 5, 275).

Decreto 1 iun. 1913, arcipelagus de Spitzberg Vicariatui apostolico Norvegiensi coniungitur.

690 — *S. CONGR. RITUUM*

Causae beatificationis et canonizationis.

A. Die 18 mart. 1913, S. Pontifex signavit Commissionem Introductionis Causae Ven. Servae Dei Mariae-Theresiae Dubouché, fundatricis Congregationis Sororum ab Adoratione Reparatrice.

B. Die 14 maii 1913, S. Pontifex signavit Commissionem Introductionis Causae Ven. Servi Dei Petri Donders, C. SS. R. qui in Surinamensi missione leprosis praesertim spiritualiter excolendis incubuit.

691 — *S. ROMANA ROTA*

Praebenda. A. Die 19 febr. 1913, S. Romana Rota in causa Sorana, Praebendae canonicalis et paroecialis, inter plures canonicos et Archipresbyterum Fontanae Liris, statuit, post solutam quaestionem praeiudicialem circa personas, ad Archipresbyterum spectare exclusive administrationem subsidii, quod a gubernio pro expensis cultus praestatur ; cetera vero dubia a S. Congr. Concilii esse solvenda (A. A. S. 31 mart. 1913, 5, 125).

Privatio. B. Die 8 febr. 1913, S. Romana Rota in causa Bonaëren. Privationis inter sacerdotem Dito et Capitulum Bonaërense, statuit sacerdotem Dito non illegitime fuisse remotum ab officio Capellani choralis (A. A. S. 31 mart. 1913, 5, 133).

Nullitas matrimonii propter defectum consensus. C. Die 12 iul. 1912 S. Romana Rota in causa Argentinen. Nullitatis matrim. inter AEmiliam Warther et Fridericum Wiekersheimer censuit, confirmans sententiam Curiae Argentinensis, constare de nullitate matrimonii propter defectum consensus in celebrando « matrimonio civili » ubi non vigebat impedimentum clandestinitatis (A. A. S. 16 apr. 1913, 5, 164).

Exemptio. Creditum. D. Die 7 ian. 1913 S. Romana Rota in causa Mechoacan. Crediti, inter Dominas Carrasquedo et PP. Augustinianos e Provincia Mechoacan. confirmans sententiam 1 iun. 1911 (Period. VI, p. 121), statuit rursus : 1° Curiam episcopalem incompetentem fuisse in causa Regularium exemptorum ; 2° Patres Augustinianos non teneri solvere summam de qua disceptabatur. — Iuvat exscribere pauca quae etiam in regionibus nostris non carent applicatione : « Uti cotidie et passim fieri contigit nostra aetate, ubi saeviunt leges patrimonii ecclesiastici eversivae, personae morales ecclesiasticae libenter, legitima cum venia superiorum, vendunt sua iura iis qui ea conservaturi sunt stantes mandatis Ecclesiae : sed *non exinde mens est sive Ecclesiae, sive alienantium quod revera iura in alios non transferantur, quamvis in certum quendam defensionis finem* » (A. A. S. 30 apr. 1913, 5, 188).

Nullitas matrimonii ob consanguinitatem. E. Die 1 febr. 1913, S. Romana Rota in causa Trincomalien. Nullitatis matrimonii, inter Iosephum Arunasalam et Annapillai Marimuttu statuit

non constare de nullitate matrimonii ob consanguinitatem (A. A. S. 30 apr. 1913, 5, 201).

Optio.

F. Die 30 ian. 1913, S. Romana Rota in causa Melevitana, Optionis inter Can. M. Ciappara appellantem et Can. A. Mifsud appellatum, confirmavit sententiam 12 aug. 1911, quae PERIOD. VI, p. 195 refertur (A. A. S. 16 maii 1913, 5, 217).

Nullitas matrimonii ob vim et metum.

G. Die 16 ian. 1913, S. Romana Rota in causa Vicariatus Taikou in Corea, Nullitatis matrimonii, inter Agatham Ko et Matthiam Youn Syek-tiyoun, statuit constare de nullitate matrimonii, ex capite vis et metus (A. A. S. 9 iun. 1913, 5, 253).

Diffamatio.

H. Die 15 maii 1913, S. Romana Rota in causa Treviren. Diffamationis, inter D. Neuerburg, directorem ephemeridis « Petrus Blätter » et R. D. Froberger, in gradu appellationis a D. Neuerburg interpositae contra sententiam Curiae Trevirensis, statuit constare de nullitate huius sententiae propter defectum substantialem in ordine iudiciali. Quod ad ipsam rem de qua ambigebatur, diffamationem scil. qua in « Petrus Blätter » R. D. Froberger aliquatenus modernismi insimulabatur, concordia per declarationem, publici iuris faciendam, inter partes inita est (A. A. S. 26 iun. 1913, 5, 280).

692. — *SIGNATURA APOSTOLICA*

Restitutio in integrum.

Die 14 mart. 1913, Signatura apostolica in causa Piscien. Restitutionis in integrum et Iurium inter parochum S. Marci Plebis ad Nebulam et Praepositum ecclesiae. S. Petri de Montecatino, negavit restitutionem in integrum circa iurium disceptationem inter utramque ecclesiam (A. A. S. 31 mart. 1913, 5, 138).

I. S.

BIBLIOGRAPHIA [1]

Arendt G. S. I. Relectio analytica super controversia. *De impotentia feminae ad generandum.* — Romae, 1913 ; 43 p. fr. 1.

Prop. I. Totalis utriusque ovarii uterive deficientia in femina, cuius vagina est copulae perfectae idonea, nequit sola, praecisive spectata, impedimentum constituere iure naturae dirimens coniugium.

Prop. II. Totalis utriusque ovarii uterive deficientia in femina, ubi evaserit per se facile cognoscibilis ante contractum connubium, ipsum irritat *ex capite consensus substantialiter vitiati.*

Prop. III. Copula viri cum uxore quae post connubium valide initum recisa fuit, non demonstratur iure naturae prohibita.

Beijersbergen (Dr H.) S I. *Wijze van mediteeren en van dagelijksch en maandelijksch gewetensonderzoek*, ten gebruike van religieuzen. Hillegom (Holland) Van Dyk. 1913. — 46 blz. fr. 0.20. Prijsvermindering bij getallen.

Callewaert O. P. *De apologetische opleiding der studenten.* Geloofsverdediging Antwerpen, 1913. fr. 0,25.

De Groot (Prof. Dr. J. V.) O. P. *Levenswijding en Wedergeboorte.* Voordrachten uitgesproken voor het S. Thomasgenootschap der Studenten van de katholieke Hoogeschool, te Leuven. 3e en 4e druk. 125 en 112 blz. Amsterdam, Van Langenhuysen 1913. fr. 2,10.

Gemelli A. O. M. Quaestiones theologiae medicopastoralis. Vol. II. — *De scrupulis.* Psychopathologiae specimen in usum confessariorum. — Florentiae, 1913. 360 p. ; fr. 5.

L. Levell S. I. *Katholiek leven in Frankrijk.* In Geloof en Wetenschap. Reeks IX. n. 1. Nijmegen, Malmberg, 1913. — 63 blz. ; fr. 0,35.

Nepveu S. I. *Meditatiën voor iederen dag des jaars*, voor geestelijken, kloosterlingen en godvruchtige personen in de wereld, vrij bewerkt door A. Vergnes C. SS. R. 2 dl. 492 en 504 blz. Mosmans, 's Hertogenbosch, 1912. fr. 4,20.

Rickaby S. I. *Stille stroomingen.* (Meditatiën volgens de Geestelijke Oefeningen van den H. Ignatius). Van Leeuwen, Leiden 1912 ; 228 blz. fr. 3,70.

Ex Periodicis

Collationes Brugenses. Aprilis 1913. Notanda quaedam utilissima in ordine ad rite intelligenda opera scriptorum contemplativorum atque

[1] Tous les ouvrages cités dans la Bibliographie sont en vente chez M. Beyaert, Libraire, Bruges.

ipsam contemplationem divinam exercendam. De donis Spiritus Sancti (sq.) — A. Vander Heeren : De valore argumenti quod ex decr. Trid. sess. IV, collato Conc. Vatic. Const. « De Fide Catholica », c. II, 1, deducitur in favorem « Commatis Joannei ». — A. De Smet : De peccato complicitatis. - Acta Congreg. Roman.

Maii 1913. De donis Spiritus Sancti (sq.) — J. Van der Meersch : De valore argumenti theologici quod in favorem commatis Ioannei deducitur ex decreto Tridentino de Authentia Vulgatae. — A. De Smet : De modo agendi confessarii erga poenitentem qui a sacerdote complice fuerit absolutus. — A. De Meester : Différences entre les chapelles et les annexes. — C. Callewaert : Le durée et le caractère du carême ancien dans l'Église latine. IV. La quarantaine ininterrompue de purification et d'ascèse.

Junii 1913. Acta Congregationis prosynodalis habitae die 6 maii 1913. — A. Vander Heeren : Visio libri cum septem sigillis, Apoc. IV-VIII, 1. — A. De Smet : De requisitis ex parte actus ad constituendum crimen sollicitationis. — A. De Meester : La nature du droit de police du curé.

Collationes Gandavenses. April. I. Responsa ad quaestiones conferentiarum. — Explica Ioel. II. 12-17. — De authentia libri Ionae. — Quibus qualitatibus stapata sit oportet interrogatio a confessario facienda. — II. De statu libero nupturientium explorando.

Ilustración del Clero. 1e de Abril 1913. J. Postius : Parroquialidad y grados de los Castrenses. — J. P. : Acción parroquial en Madrid y en Paris. — Fr. Naval : Las cofradias y el párroco. — 16 de April. Actas de la Curia Romana. — E. Bilbao : Respuestas de la Comisión biblica : Orden cronológico de los Evangelios. — M. de Arriandiaga : Del impedimento de adopción. — 1 de Mayo. Actas de la Curia Romana. — F. Orue : Canonjias de oficio en Espana. — M. de Arriandiaga : Del impedimento de adopcion (Concl.). — 16 de Mayo. Actas de la Curia Romana. — E. Bilbao : Respuestas de la Comisión biblica : Fuentes del tercer Evangelio. — Fr. Naval : Las cofradias y el párroco : Modelo de estatutos. — 1 de Junio. Actas de la Curia Romana. — Real decreto concordado sobre servicios y méritos de los ecclesiásticos. — E. M. Garcia : De la confesión del reo.

Le canoniste contemporain. Mars 1913. A. Villien : La procédure canonique pour l'expulsion des religieux (Suite). — A. Boudinhon : Deux formules d'intults pour dispenses matrimoniales. — F. Nau : La version syriaque de l'Octateuque de Clément. Livre VIII (fin). — Acta S. S.

Avril 1913. A. Boudinhon : Le jubilé extraordinaire de 1913. — A. Villien : La procédure canonique pour l'expulsion des religieux (suite). — Acta S. S.

Mai 1913. A Villien : La procédure canonique pour l'expulsion des religieux (suite). — A. Boudinhon : Les lois canoniques sur les confesseurs de religieuses. — Acta S. S.

Nouvelle Revue théologique. Avril 1913. J. Besson : Le décret « Maxima cura » et le déplacement administratif des curés. Tit. III : Des commissions de déplacement (suite). — H. Degrelle : Les nouvelles rubriques et les directoires pour 1913 (suite).

Juin 1913. Th. Cheminat : L'extension du droit pontifical dans la restauration du chant grégorien (suite). — J. Besson : Le décret « Maxima cura » et le déplacement administratif des curés. Les commissions de déplacement (suite). — J. Besson : Au sujet du trentain et des autels grégoriens.

Revue ecclésiastique de Liège. Mai 1913. H. Merkelbach : Jésus, fils de Dieu d'après les témoignages primitifs. — A. Knoch : De reddendo debito coniugali instante periculo infectionis syphiliticae. — G. M. Quaenam sunt pro sacerdote praecipua bona orationis mentalis atque officii divini recitationis, et quibusnam conditionibus acquiruntur illa bona ?

Resena ecclesiástica. Septiembre de 1912. Enrique Pla y Daniel : El dictamen de la Comisión del Congresso sobre el proyecto de ley regulando el derecho de associación. — Acta Ap. S.

Resena ecclesiástica. Marzo de 1913. Angel Carbonell : El camino real de la fe. III. — Isidro Goma : Comentario al decreto de la Comisión Pontificia « De Re biblica », de 26 de Junio de 1912 (sq.).

Resena ecclesiástica. Abril de 1913. E. Pla y Daniel : El carácter obligatorio de la ensenanza religiosa en las escuelas nacionales. — L. Gomis : Los Boy-Scouts espanoles desde el punto de vista católico.

MONUMENTA

693. — S. CONGR. S. OFFICII
(Sectio de Indulgentiis)

DECRETUM 4-5 IUN. 1913

De SS. Numismate Scapularibus sufficiendo

(A. A. S. 7 iul. 1913, 5, 303)

Dubia.

Ad supremam hanc Congregationem sancti Officii sequentia exhibita sunt dubia pro opportuna solutione ; nimirum :

I. Utrum sacerdos pollens facultate Scapularia imponendi, possit unico signo crucis pro uno quoque Scapulari benedicere publice omnia Ss. Numismata quae habent fideles in ecclesia vel in quodam conventu, quin haec Numismata videantur, nec in individuo cognoscantur ?

II. Utrum benedictio impertiri possit Ss. Numismatibus pro personis iam non ascriptis Scapularibus per impositionem, sed postea vel serius ascribendis ; quae Numismata gauderent favoribus Scapularium, tempore quo personae erunt ascriptae per regularem impositionem ? Vel estne necessarium, personas iam Scapularibus ascriptas esse, antequam Ss. Numismata pro ipsis efficaciter benedici possint ?

III. Utrum benedici possint Numismata multa, quae distribuenda sunt quibuscumque personis, quarum aliae iam Scapularibus ascriptae sunt, et aliae non ascriptae ; et in hoc casu, Numismata, saltem personis iam Scapularibus ascriptis data, eruntne benedicta ?

Responsa.

E^mi^ ac R^mi^ Patres una mecum Generales Inquisitores, in solito conventu habito feria IV, die 4 iunii 1913, dixerunt : ad I Affirmative ; ad II Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam ; ad III provisum in II.

Dies (4-5 iun. 1913).

Et S^smus^ D. N. D. Pius div. prov. Pp. X, in audientia R. P. D. Assessori supremae huius Congregationis, feria V, die 5, eodem mense eodemque anno, impertita, E^morum^ Patrum resolutiones benigne approbavit et hoc Decretum desuper expediri iussit. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

M. Card. RAMPOLLA
† D. Archiep. Seleucien., *Ass. S. O.*

ANNOTATIO

Circa hoc decretum, de se satis perspicuum, nihil aliud animadvertendum occurrit, quam quod feliciter solvitur dubium quod ex decreto 16 dec. 1910 oriri poterat, utrum

nempe necessario benedictio numismatis sequi oporteret impositionem scapularis seu ascriptionem (PERIOD. V, p. 269-270). I. S.

---

694 — S. CONGR. S. OFFICII
(Sectio de indulgentiis)

DECRETUM 11-12 IUN. 1913

De precibus tertiariorum Franciscalium aliis insuper sodalitatibus ascriptorum

(A. A. S. 7 iul. 1913, 5, 304)

Dubium. Cum die 11 iunii 1913, feria IV, E^mi^ ac R^mi^ DD. Cardinales Inquisitores Generales, in conventu habito in aedibus sancti Officii, perpenso dubio sibi proposito : « Num Tertiarii saeculares Franciscani, recitantes, « loco Horarum canonicarum, duodecies *Pater*, *Ave* et *Gloria*, possint, « hac tantummodo recitatione, omnibus aliis obligationibus, quod preces « attinet, satisfacere, quas ex ascriptione ad alias pias sodalitates con- « traxerint », negativam protulerint sententiam ; S^mus^ D. N. D. Pius div. providentia Pp. X, in solita audientia R. P. D. Assessori supremae sacrae Congregationis sancti Officii, feria V, die 12 iunii 1913, impertita, votum E^morum^ Patrum ratum habens, ad propositum dubium respondendum decrevit ; « *Negative* », Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Responsum *Dies (11-12 iun. 1913).*

M. Card. RAMPOLLA
† D. Archiep. Seleucien., *Ass. S. O.*

---

695. — S. CONGR. S. OFFICII
(Sectio de indulgentiis)

DECLARATIO 12 IUN. 1913

Circa pia obiecta a summo pontifice Benedicta

(A, A. S. 7 iul. 1913, 5, 305)

Argumentum. S^smus^ D. N. D. Pius div. prov. Pp. X, in audientia R. P. D. Assessori supremae Congregationis sancti Officii impertita, benigne declarare dignatus est, Indulgentias, quas Ipse solet annectere crucibus, crucifixis, rosariis, coronis, ss. numismatibus et parvis statuis, Sibi a fidelibus porrectis, illas tantummodo esse intellegendas, quae in elencho, a sacro Congregatione Indulgentiarum die 28 augusti 1903 edito, recensentur, quaeque *apostolicae* nuncupantur ; nisi expressis verbis significet, alias insuper velle annectere, v. gr. S. Birgittae, vel Crucigerorum, specifice ac nominatim eas designando. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

M. Card. RAMPOLLA
† D. Archiep. Seleucien., *Ass. S. O.*

696. — S. CONGR. S. OFFICII
(Sectio de indulgentiis)

DECLARATIO 12 IUN. 1913

De indultis circa absolutiones generales tertii Ordinis S. Francisci

(A. A. S. 7 iul. 1913, 5, 306)

Beatissime Pater,

Argumentum.

Procurator generalis Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, humiliter exponit, ut sequitur :

Rescripto Sacrae Congregationis Indulgentiarum, die 16 ianuarii 1886, Tertiarii saeculares S. P. Francisci, legitime impediti quominus ecclesiam adeant, Absolutionem generalem, diebus assignatis, qui professi sunt, accepturi, eam accipere valent die festo de praecepto, qui intra octiduum eorum professorum dierum occurrat. Item, alio Rescripto eiusdem sacrae Congregationis, 21 iulii 1888, iidem Tertiarii Absolutionem generalem pridie festi, post expletam sacramentalem confessionem recipere valent.

Ex illis autem duobus Rescriptis patet, praefata indulta Tertiariis saecularibus S. P. Francisci concessa fuisse pro illis Absolutionibus generalibus quae illo tempore in indice indulgentiarum eiusdem Tertii Ordinis recensentur, seu quae ipsis directe concessae fuerunt.

Sed cum hodie iidem Tertiarii, vi Litterarum apostolicarum diei 5 maii 1909 et Rescripti diei 17 maii 1909, communicatio omnium indulgentiarum et fructuum spiritualium cum I et II Ordine S. Francisci fruantur, ideoque vi huius communicationis etiam ius habeant ad illas Absolutiones generales et Benedictiones papales, quae I et II Ordini S. Francisci indultae sunt : idcirco

Orator Sanctitatem Vestram humiliter supplicat, ut praefata Indulta, Rescriptis sacrae Congregationis Indulgentiarum die 16 ianuarii 1886 et die 21 iulii 1888 concessa, extendere dignetur pro iisdem Tertiariis ad Absolutiones generales, quas ipsi vi communicationis indulgentiarum cum I et II Ordine lucrari valent.

Et Deus, etc.

Die 12 iunii 1913.

Responsum.

Dies (12 iun. 1913).

Ssmus D. N. D. Pius div. prov. Pp. X, in audientia R. P. D. Assessori sancti Officii impertita, benigne annuit pro gratia iuxta preces. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

M. Card. Rampolla
† D. Archiep. Seleucien., *Ass. S. O.*

697. — S. CONGR. RITUUM

DECRETUM 20 IUN. 1913

De precibus in fine missae recitandis

(A. A. S. 7 iul. 1913, 5, 311)

Argumentum. A non nullis locorum Emis Ordinariis, sacrorum Rituum Congregatio sequens quaestio, pro opportuna solutione, proposita fuit ; nimirum :

An, attentis S. R. C. Decretis n. 3697, Ordinis *Min. Capuccinorum* 7 decembris 1888 ad III, de Missa Conventuali sine cantu, et n. 427 *Baionen.*, 8 iunii 1911 ad II, de Missa votiva lecta S. Cordis Iesu, prim feria VI cuiusvis mensis, etiam aliqua similis Missa lecta, ex. gr. occasion primae communionis, aut communionis generalis, sacrae confirmation vel ordinationis aut pro sponsis, haberi possit uti sollemnis ; eiqu applicari valeant praefata decreta quod ad Preces in fine Missae, a Summ Pontifice praescriptas, omittendas ?

Responsum. Et sacra Rituum Congregatio, audito Commissionis liturgicae suffragi omnibus accurate perpensis ita rescribendum censuit : « *Affirmative*, « Missa cum aliqua sollemnitate celebretur, vel Missam, quin celebrans a « altari recedat, immediate ac rite subsequatur aliqua sacra functio se « pium exercitium ».

Dies (20 iun. 1913). Atque ita rescripsit ac declaravit. Die 20 iunii 1913.

Fr. S. Card. Martinelli, *Praefectus*

† Petrus La Fontaine Ep. Charyst., *Secretarius*

Annotationes

Praesens decretum, ut patet, vera est extensio decretorur in hac re hucusque latorum. Ex his enim preces a Leone XII post missas lectas praescriptae omittendae tantum erant pos missas quae aliquo modo aequiperari possunt missae conven tuali seu sollemni. Hic vero multo minus requiritur ; suffici enim ut « Missa cum aliqua sollemnitate celebretur ». Mino proin videtur requiri sollemnitas ut praedictae preces pos missam lectam omitti possint, quam quae exigitur pe decretum Tuden. 3059 ad 7 et ad 9 ut in missa lecta adhiber possint duo ministri, et accendi possint plus quam du cerei [1].

Evidenter exceptio restringi non debet ad casus in decret enumeratos, sed idem dici potest de aliis similibus sollemni tatibus, v. g. de prima missa neosacerdotis, de missa in qu emittuntur vel renovantur vota, etc.

Insuper ex praesenti decreto praedictae preces omitt possunt quando « Missam, quin celebrans ab altari recedat

---

[1] « Quod ad missas quae celebrantur loco sollemnis atque cantatae, occasione reali atque usitatae celebritatis et sollemnitatis, tolerari posse duos ministros missa inservientes ».

immediate ac rite subsequatur aliqua sacra functio seu pium exercitium ». Cum hic casus certo a praecedenti distinguatur, dicendum tunc ne quidem hanc sollemnitatem requiri. Ceterum, ut patet, nullum determinatum pium exercitium requiritur, sed sufficit quodcumque.

Concludere ergo possumus preces omitti posse post missam coram SS° celebratam, si immediate post eam danda est cum ipso benedictio, immo forsan post missam post quam recitandae sunt cum fidelibus preces ab Ordinario praescriptae.

I. P.

---

698. — S. CONGR. DE RELIGIOSIS

Dubium circa manuscripta Religiosorum (11-13 iul. 1913)

(A. A. S. 12 aug. 1913, 5, 366)

Dubia

Sacra Congregatio de Religiosis, in plenario coetu ad Vaticanum habito die 2 iunii 1911, non nulla dubia de Religiosorum manuscriptis perpendit et resolvit, de quibus videre est in hoc Commentario (pag. 270 eiusdem anni).

Nunc autem rursum ab Ea quaesitum est :

« An Religiosi tum votorum sollemnium, tum votorum simplicium, qui « aliquod manuscriptum durantibus votis exaraverunt, eiusdem dominium « habeant, ita ut illud donare aut quocumque titulo alienare valeant ».

Responsum.

Et E^mi^ PP. Cardinales huius sacrae Congregationis, in plenario coetu ad Vaticanum habito die 11 iulii 1913, responderunt : « Negative ».

Dies (11-13 iul. 1913).

Quam E^morum^ Patrum responsionem S^mus^ D^nus^ noster Pius Papa X, referente infrascripto S. Congregationis Secretario, ratam habuit et confirmavit die 13 iulii 1913.

O. Card. Gagiano De Azevedo, *Pro-Praefectus.*
† Donatus Archiep. Ephesinus, *Secretarius.*

Annotationes

1. Dubia soluta 2 iun. 1911 referuntur Period. VI. p. 66-68. Adverte ad normam praesentis responsi solvendum esse casum, qui ibidem recte dicebatur non tangi responso 2 iun. 1911, casum scil. Religiosi donantis suum manuscriptum extraneo amico, qui huius operis dominus factus, sine licentia Superioris scriptoris, illud typis vulgandum curet. Qui casus praecavendus praesenti decreto occasionem dedisse videtur ac proinde ad rectam interpretationem prae oculis habendus est.

2. Iam diu controversum est inter auctores, utrum *manuscripta* religiosorum cadant sub voto paupertatis. Alii universaliter negarunt et huius sententiae communis probabilitatem maiorem agnovit ipse S. Alphonsus (l. 5, n. 14) ; non nulli

affirmarunt non tantum de manuscriptis alieno studio elaboratis, sed etiam de propriis, dummodo sane essent alicuius valoris : impossibile enim est ut voto paupertatis comprehendantur res non pretio aestimabiles.

Huic ultimae sententiae robur addit praesens responsum, non quod *theoretice* S. Congr. de Religiosis sententiam communem et pluribus Summorum Pontificum effatis fultam improbet, sed quoniam propter mutata adiuncta existimat severiorem sententiam, ad instar novae legis determinantis dominium et voti paupertatis ambitum, in *praxi disciplinari* esse urgendam. Adiuncta enim talia sunt, tum ut novo obstaculo videatur impediendum, ne, sine licentia Superiorum religiosorum, manuscriptum typis mandetur, tum ut saepius quam antea ipsa manuscripta venalem habeant valorem.

3. Ex his sapienter concludendum est *quaenam* manuscripta praesenti decreto tangantur, ea scil. quae sint *alicuius valoris*, quae Religiosi studiose « exaraverunt », commentationes, tractatus non sine labore compositi, qui proinde rationabiliter sperentur typis aliquando vulgatum iri.

Alia enim manuscripta, quae sibi quisque ad usum mere personalem, tamquam adiumenta memoriae descripsit, notulae excerptae, annotationes spirituales etc. non censentur res pretio aestimabiles, neque valorem venalem, neque adeo ullum valorem habent nisi spiritualem dumtaxat et quidem personalem. Unde sane ea destruere etc., illaesa iustitia et paupertatis voto, potest, ut antea, Religiosus. — *Post longum autem tempus*, puta diu post mortem Religiosi scribentis, fieri potest ut talia, utpote monumenta antiquitatis vel viri celebris facti, venalem valorem acquirant. Tum vero talia manuscripta erunt vel ipsius monasterii, vel viri extranei qui ea legitime obtinuerit. Qui casus non tangitur praesenti responso, quod solum definit quomodo ipse Religiosus se habeat quod ad dominium *sui* manuscripti. — Insuper de *epistulis* quas scripserit Religiosus, probe advertendum est, ipso facto quod a Superiore mittuntur, monasterium nullum ius in ipsas servare praeterquam quod (ut pro epistulis a quocumque scriptis salva iustitia publici iuris fieri nequeunt, invito scriptore vel eius vices agente seu personam continuante : qui merito dicitur esse Ordo vel monasterium, si scriptor religiosus vita functus est.

Quae omnia, licet satis evidentia, non inutiliter advertuntur, cum iam unus alterve scriptor praesens decretum praeter omnem veritatem commentando extendit. Videsis scriptorem anonymum apud ephemerides gandavenses « *Le Bien Public* » 25/26 sept. 1913.

4. Quaerat quispiam utrum de manuscriptis prioris speciei quae scil., utpote alicuius valoris, praesenti responso tangan-

tur, aliud quid prohibeatur quam « *donare* aut quocumque titulo *alienare* ». Ratio dubitandi haec est, quod dominium quod in responso a religiosis abiudicatur, per propositionem : « ita ut... » ad facultatem donandi aut alienandi coartari videtur. Unde merito quis dixerit non ex praesenti responso iniustitiae et peccati contra votum argui posse Religiosum qui mere *destruat* tale suum manuscriptum, vel praefracte renuat illud tradere Superiori seu typis mandare [1]. Nobiscum R. P. Ferreres in *Razon y Fe*, 1913, p. 246-7. Ceterum hanc distinctionem pluribus Romae placere novimus, sicut iam tenebatur antea a non nullis severioris sententiae patronis, distinguentibus nempe alienationem ab usu personali.

5. Neque directe praesenti responso dirimi videtur quaestio quid fiat de dominio manuscripti pretio aestimabilis, si scriptor *domum relinquit*. Si in aliam eiusdem Ordinis domum transcribitur, poterit sane, ex tacito saltem consensu Superiorum, secum omnia manuscripta asportare ; quae si postea typis vulgantur, emolumenta, pro cuiusque Ordinis dominii ratione, saltem partim attribui poterunt domui ad quam tempore scriptionis Religiosus pertinebat. Si alium Ordinem ingreditur vel saecularizatur, aequissimum sane est ut sinatur secum ferre manuscripta, nisi forte quaedam compensatio pro expensis iam ad scriptionem factis exigatur, vel cavendum sit ne extra Ordinem quaedam secreta publicentur. Videsis Lugo, *De Iustitia*, d. 3, n. 230.

6. Per verba « *durantibus votis* » explicite excluditur ab ambitu praesentis responsi manuscriptum quod in saeculo, vel etiam in novitiatu, si fieri potest, fuerit exaratum. Et merito quidem tale manuscriptum aequiperatur bonis personalibus, quorum tempore professionis vel resignat vel servat dominium. Ne tamen exinde concludatur Religioso liberum esse tale manuscriptum, sine Superiorum licentia, typis vulgare.

7. Similiter patet non tangi praesenti decreto manuscripta *aliorum* quae Religiosus forte detineat. Quae quatenus sunt pretio aestimabilia, eatenus in ordine ad iustitiam et ad votum paupertatis consideranda veniunt.

8. Quod si quaeritur utrum praesenti responso afficiantur manuscripta eorum qui ante huius promulgationem (12 aug. 1913) vota emiserunt, affirmandum est. Votum enim paupertatis semper ita censetur emissum ut complectatur determinationes non ita extraordinarias quae a competente auctori-

---

[1] Consentientibus omnibus, peccat Religiosus contra iustitiam et contra votum destruendo manuscriptum ad quod monasterium iam habet ius quaesitum, puta si Religiosus scribendis libris ex officio est addictus, si monasterium ad hanc scriptionem expensas fecit.

tate inducentur tamquam Religiosorum regimini necessariae. Cfr. auctores disserentes utrum professi reformationem subire teneantur. Insuper quidquid valeat haec consideratio, saltem ex positiva lege Ecclesiae omnes huc usque professi praesenti responso tenentur. I. S.

---

699. — SS. D. N. PII PP. X

EPISTULA (4 AUG. 1913)

Ad R. P. Cormier, magistrum generalem Ordinis Praedicatorum, de generali coetu ordinis proxime habendo.

(A. A. S. 30 aug. 1913. 5, 387)

Argumentum.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. — Cum primum secreto Dei consilio ad Petri Cathedram immerito evecti sumus, omnes cogitationes curasque Nostras in eo collocavimus, ut religiosis familiis, in hac tanta rerum acerbitate, consuleremus; eas, enim, cum optime semper de Ecclesia deque animarum salute meruerint, Nobis *ad omnia in Christo instauranda* magno usui fore prospiciebamus. Quod ut ex optato eveniret, pro viribus enisi sumus, ut religiosi sodales vestigia sanctissimorum persequerentur virorum quos colerent sui quisque Ordinis conditores ac parentes; nemo enim non videt, quo arbor puriores et copiosiores e radicum fibris sucos hauserit, eo latius diffundi ramos et uberiorem polliceri fructum.

Ex iis autem sodalitatibus non mediocrem curarum Nostrarum partem insignis Praedicatorum Ordo iure sibi vindicat, tum pro veneratione erga Patriarcham Dominicum Nostra, quo veluti auspice Pontificatum inivimus, tum quia S. Thomae Aquinatis doctrinam permagni facimus: qua profecto velimus studiosos imbui omnes, ut prava de divinis humanisque rebus scita, quae ubique irrepserunt, evellantur, et christiana veritas, perspicue cognita, in omnium animis penitus haereat.

Iam vero, cum ad Nos perlatum sit, die octavo et vicesimo huius mensis, id est in S. Augustini Doctoris festo, futurum ut generalis vestri Ordinis coetus in Hollandia agatur, cuius erit antiquam Dominicanae familiae vitam et spiritum redintegrare, tradita a maioribus tueri, et disciplinae leges pro temporum necessitate perficere, subiit animum Nostrum quonam pacto possemus consiliis et auctoritate Nostra incepto vestro suffragari. Quod cum diu multumque Nobiscum reputaverimus, tibi, dilecte Fili, qui coetui iure tuo praeeris, edicimus quae sequuntur, pro certo habentes, ab iis non esse vos, pro summa observantia in Nos vestra, ne transversum quidem unguem in condendis decretis discessuros.

Delectus admittendorum.

I. Cum, defervescente in christiano populo fidei caritatisque ardore, magis decrescat in dies eorum numerus qui, ad evangelicam perfectionem assequendam, religiosis sodalitatibus ascribi cupiant, Praelati Ordinis omnia consulto experiantur ut eiusmodi deprecentur incommodum; sed caveant omnino ne festinanter neve gregatim adulescentes asciscant, de quibus in incerto sit afflatune divino sanctissimam istam vitae rationem

deligant. Quos vero, re diligenter perpensa, in tironum numerum cooptarint, sedulo curent ut ii proprium Dominici Patris legiferi effingant ingenium constanterque retineant ; et in primis animi demissionem praebeant et oboediendi virtute fulgeant, nulla rei oboedienter faciendae ratione quaesita, nulla mora tergiversando interposita. Plerumque enim fieri cernimus, ut non nulli non idcirco claustra turpiter deserant quod in Ordinem ausi sint invito Deo se inicere, sed potius quod apta in tirocinio institutione caruerint, nec formam induerint, absoluto tirocinio, quae virum Deo sacrum deceat.

Eadem in tironibus admittendis excolendisque adhibeatur prudentia ac sollertia cum de Tertiariis agitur, a quibus sane plurimum utilitatis sperandum est catholico nomini, si ii ceteros exemplo antecedant et pietatis artes remque omnem optimam provehant. Quem ad modum enim patriarchae illi Dominicus et Franciscus sunt divinitus excitati ut conatu studioque communi fulcirent Ecclesiam, ita oportet utriusque familiae Tertiarios, coniunctis viribus, in tuenda Apostolicae Sedis et societatis christianae incolumitate certatim elaborare.

Delectus lectorum.

II. Iis unice munus disciplinas sacras tradendi Praelati committant, quos certo norint, non modo ad eum diem nullam dedisse suspicionem de suae integritate doctrinae, sed etiam ea mente esse ut prorsus sequantur, tum in catholica veritate explananda, tum in erroribus refellendis, normas ac regulas quas Apostolica Sedes nostra aetate praescripsit aut posthac praescriptura sit.

Censura librorum.

III. Libri a religiosis viris conscripti ne primum neve deinceps edantur nisi ante Praelati Ordinis probarint, iis tamen servatis quae in Constitutionibus Ordinis, in Litteris Apostolicis *Officiorum ac munerum* ac posterioribus Apostolicae Sedis decretis sancita sunt. Ea vero ut tutius ad effectum deducantur, Praelati per se ipsi deligant censores ex iis sodalibus, quos constet, tum praestare aliis incorruptae professione doctrinae rerumque intellegentia quae in iudicio sunt, tum nullius rationem libero animo habere : iis contra submotis, quos scriptores ipsi malle videantur.

Delectus opinionum.

IV. Sodales qui scribendo id sibi proponunt, ut explicent, evolvant, pensent certas quasdam sententias, certa quaedam *systemata*, nostris hisce diebus usu recepta, quae qui tenent ad catholicam veritatem prope accedere videantur, immo etiam arbitrentur se eam uberius illustrare ac rectius interpretari quam factum sit sapientia veterum, volumus intellegant, eius generis sententias ideo esse periculi plenas, quia leves ieiunasque mentes, rerum novarum natura cupidas, facile illiciunt et a fide aeternaque salute prohibent. Quam ob rem filiis Dominici sancti itemque Angelici Doctoris discipulis sollemne esto pro catholica fide aperte fortiterque propugnare et, cum benigna hominum aestimatione, errores fucata veri specie nudare.

Gradus academici.

V. Gradus academicos Romani Pontifices saluberrimo eo consilio instituerunt auxeruntque privilegiis, ut eos publice commendarent qui in sacris disciplinis excellerent ; verum Apostolica Sedes est haud semel conquesta quod ab iis religiosi viri causam nanciscerentur capiendi sibi et vitae commoda et chori communiumque officiorum vacationem.

Vigilent Praelati ne prava eiusmodi consuetudo irrepat neve consistat ; eo enim plus hodie religiosos viros dedecet, cum, serpente latius in

Ecclesiam bello, necesse est homines, ingenio rerumque usu valentiores, honorum et commoditatis vitae iacturam magno animo facere, labores quosvis tolerare, ut pro Deo Ecclesiaque devoveant se totos. Ad rem meminerint Dominicani sodales decessoris Nostri Clementis VIII praescripta : « A servitio chori cum lectoribus et praedicatoribus superiores, » iis tantum diebus quibus eos legere aut praedicare contigerit, dispensare » possint ».

Praedicatio. VI. Sodales e Praedicatorum Ordine *instantes* esse *ministerio verbi*, quod habent instituto suo praecipuum, magna cum voluptate frequenter accepimus. Verum eos vehementer cohortamur, demisso suscipiant impleantque animo sanctissimum munus, *praedicantes Iesum Christum, et hunc crucifixum ;* quod nisi fecerint, quin immo inanem gloriam hominumque gratiam aucupari maluerint, erunt *semet ipsos pascentes, nubes sine aqua, arbores autumnales, infructuosae.* Omni igitur contentione studeant id efficere quod discipulo suo Timotheo Apostolus tanto opere mandabat : *Sollicite cura te ipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem, recte tractantem verbum veritatis.* Ita et praeclaro Nobis erunt solacio et hominum salutem mirifice provehent.

Ascriptio ad Provinciam. VII. Quod singuli sodales ascribantur ut filii, non, quem ad modum ante actis temporibus, ad peculiare aliquod coenobium, sed contra ad Provinciam, id cum hodiernae rerum condicioni videatur aptius congruere, et quia vitae communi perfecte degendae plurimum confert, et quia facilius ita prospicitur aequabili utilique reddituum proventuumque partitioni inter tironum domos, missiones et varia coenobia, quae maiore subsidio indigeant, decernimus auctoritate Nostra, consuetudinem hanc, sodales ad Provinciam ascribendi, iam nunc vim habere et naturam induere Constitutionis Ordinis propriae, contrariis quibusvis non obstantibus.

Quae videmur, dilecte Fili, pro Nostra in Dominicanam familiam caritate, utiliter constituisse, ea cum religiosis viris communices qui tecum ad generalem coetum proxime habendum iure suo convenient. Confidimus vero futurum, ut universi Ordinis sodales hortationibus iussisque Nostris obtemperent modesteque pareant ; qua in re se dignos praebebunt Patris sui legiferi heredes, quem Apostolica Sedes habuit observantissimum. Vos autem laboresque vestros eiusdem sancti Patriarchae tutelae committimus ; et caelestium munerum auspicem paternaeque benevolentiae Nostrae testem, tibi, dilecte Fili, religiosis viris qui tecum generalem coetum acturi sunt, et universo Praedicatorum Ordini, apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud sanctum Petrum, die IV mensis augusti, festo S. Dominici, anno MCMXIII, Pontificatus Nostri decimo.

PIUS PP. X.

Annotationes

1. Perillustre exstitit haec epistula monumentum eorum quae Summo Pontifici, pro suo studio omnia instaurandi in Christo, praecipue cordi sunt.

2. Quae n. VII statuuntur in primis consideratione digna

sunt, utpote quae manifestent mentem S. Sedis in moderna rerum condicione, ut scilicet in Ordinibus in quibus Religiosi frequenter domum mutant, primario Provinciae, saltem quod ad dominium bonorum, sodales censeantur ascripti.

3. Ex verbis quae n. I occurrunt : « afflatu divino, invito Deo » quae sane in primis intellegenda sunt de recta intentione et aptitudine omnimoda, non autem de speciali quadam inspiratione Spiritus Sancti et aspiratione animi, immerito quis concludat (ut fit in ephemeridibus gandavensibus « *Le Bien Public* », 11/12 oct. 1913, quae citant « *L'Univers* ») non aptandam esse vocationi religiosae theoriam. quae de vocatione sacerdotali anno 1912 Romae declarata est. Cfr. PERIOD. VII, p. 262 ss. I. S.

---

700. — S. CONGR. RITUUM

DECRETUM 18 AUG. 1913

De vigiliis ad Reliquias Martyrum persolvendis in nocte ante dedicationem ecclesiae.

(A. A. S. 30 aug. 1913, 5, 399)

Dubium. Sacrorum Rituum Congregationi sequens quaestio, pro opportuna solutione, proposita fuit ; nimirum :

Iuxta Pontificale Romanum tit. *de ecclesiae dedicatione seu consecratione*, celebrandae sunt vigiliae ante Reliquias sanctorum Martyrum quae in altari consecrando includentur ; et canendi Nocturni et Matutinae Laudes in honorem eorundem sanctorum ; quaeritur :

Nocturni et Laudes in casu sumendine sunt e novo Psalterio Breviarii Romani per dies hebdomadae disposito : an e Communi plurimorum martyrum ; et quo ritu canendi ?

Responsum. Et sacra Rituum Congregatio, audito Commissionis Liturgicae suffragio, propositae quaestioni ita respondendum censuit : « In casu vigiliae « persolvantur cum Matutino trium nocturnorum et Laudibus de Com- « muni plurimorum martyrum, sub ritu duplici, cum Oratione de III loco « *Deus qui nos*, omisso verbo *annua*, et nominibus reticitis, iuxta decre- « tum n. 2886, *Cenomanen.*, 14 iunii 1845 ».

Dies (18 aug. 1913). Atque ita rescripsit ac declaravit. Die 18 augusti 1913.

Fr. S. CARD. MARTINELLI, *Praefectus.*

† Petrus La Fontaine, Ep. Charyst., *Secretarius.*

ANNOTATIO

Ratio solutionis patet ex eo quod huiusmodi vigiliae nullum nexum habeant cum officio diei cuius matutinum non supplent.

I. P.

701. — S. CONGR. S. OFFICII
(Sectio de Indulgentiis)

DECRETUM 13 AUG. 1913

Uniformes decernuntur Indulgentiae Crucibus quae « A Missionibus » nuncupantur

(A. A. S. 27 sept. 1913, 5, 429)

Argumentum. Ut piarum missionum, quas ad populum verbi Dei praecones habuerint, memoria perseveret ac fructus, passim usu receptum est, ut Crux aliqua, sive in templis, sive apud illa, sive etiam penitus in aprico, rite benedicta erigatur. Vivificum Redemptionis signum aptum est nimirum ad Religionis reclamanda praecepta, ad paenitentiae insinuanda proposita, ad spem futurorum erigendam. Ordinaria Episcoporum auctoritas et Apostolicae Sedis liberalitas censuerunt iam pridem, munere Indulgentiarum esse ditandos qui pie se ad haec Signa converterint. Placuit porro S^mo^ D. N. D. Pio Pp. X. de E^morum^ Patrum Cardinalium Inquisitorum generalium consulto, variam in re tollere mensuram, et conformes ubique concedere Indulgentias. In audientia igitur R. P. D. Assessori S. Officii, feria IV, loco V, die 13 augusti 1913, impertita, apostolica Sua utens auctoritate, abrogavit beatissimus Pater omnes huc usque, etiam a Se Suisve praedecessoribus, Crucibus missionum annexas Indulgentias, quacumque id factum fuerit vel sollemniori forma, quolibet, etiam peculiari et specifica mentione digno, Personarum vel Religiosorum Institutorum privilegio, et sequentes novas, sub enuntiandis condicionibus, tribuere dignatus est :

Uniformes indulgentiae. I. Plenariam, defunctis quoque applicabilem :

1) die erectionis seu benedictionis ipsius Crucis memorialis ;

2) die anniversario eiusdem erectionis seu benedictionis ;

3) die festo Inventionis S. Crucis (3 maii) ;

4) die festo Exaltationis S. Crucis (14 septembris), vel uno ex septem respective sequentibus diebus.

Ad has Indulgentias assequendas, oportet ut fideles S^mam^ Eucharistiam, rite expiati, suscipiant, Crucem praedictam et aliquam ecclesiam vel publicum oratorium visitent, atque ad mentem Summi Pontificis preces fundant.

II. Partialem. quinque annorum totidemque quadragenarum, similiter applicabilem, semel in die ab iis fidelibus lucrandam, qui corde saltem contrito supradictam Crucem aliquo devotionis signo exteriori salutaverint, ac *Pater*, *Ave* et *Gloria* in memoriam Dominicae Passionis recitaverint.

Esto autem Crux erigenda ex solida decoraque materia confecta ; determinato loco adhaereat, vel basi firmiter sustentetur ; benedicatur per sacerdotem qui in S. Missione contiones habuerit ; accedat insuper, pro his peragendis, consensus Ordinarii loci.

Praesenti in perpetuum valituro absque ulla brevis expeditione. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

M. Card. Rampolla.
† D. Archiep. Seleucien., *Ass. S. O.*

702. — S. CONGR. DE RELIGIOSIS

DECRETUM 5 AUG. 1913

De absolutione Sacramentali Religiosis sodalibus impertienda

(A. A. S. 27 sept. 1913, 5, 431)

Argumentum.

In audientia habita ab infrascripto Cardinali Pro-Praefecto S. Congregationis de Religiosis, die 5 augusti 1913, sanctissimus Dominus noster Pius Papa decimus, ob peculiares conscientiae rationes, facultatem, quam mense februarii huius anni omnibus Confessariis ab Ordinario Urbis approbatis concesserat quoad absolutionem Religiosis impertiendam, extendere dignatus est ad omnes totius Orbis Confessarios a locorum Ordinariis approbatos. Hi proinde Confessarii, auctoritate S^mi^ Domini nostri Pii Papae decimi, omnium Sodalium cuiuscumque Ordinis, Congregationis aut Instituti sacramentales confessiones excipere, quin de licentia a Superiore obtenta inquirere vel petere teneantur, atque valide et licite absolutionem a peccatis in Ordine vel Instituto etiam sub censura reservatis, impertire queant.

Facultas.

Clausulae derogatoriae.

Omnibus igitur cuiusque Ordinis, Congregationis aut Instituti superioribus et praesidibus, huius decreti praescripta fideliter Sanctitas Sua in virtute sanctae oboedientiae observare mandavit, constitutionibus, ordinationibus apostolicis, privilegiis qualibet efficaciori forma concessis, aliisque contrariis quibuscumque, etiam speciali atque individua mentione dignis, minime obstantibus.

Dies (5 aug. 1913).

Datum Romae, ex Secretaria S. Congregationis de Religiosis, die, mense et anno quibus supra.

O. Card. Cagiano de Azevedo, *Pro-Praefectus.*
† Donatus, Archiep. Ephesinus, *Secretarius.*

Annotationes

1. Facultatem quam S. Pontifex « mense februarii huius anni omnibus confessariis ab Ordinario Urbis approbatis concesserat » non evulgavit Commentarium officiale « Acta Apostolicae Sedis », sed singulis Urbis confessariis notificata est per schedulam impressam tenoris sequentis :

Vicariato di Roma
(Uffizio II)

Per disposizione del S. Padre comunicata a questo Vicariato con lettera della S. Congregazione dei Religiosi in data 8 febbraio 1913, tutti i sacerdoti approvati per le confessioni in Roma, d'ora innanzi, hanno la facoltà di ascoltare la confessione e di assolvere i Religiosi appartenenti a qualunque Ordine, che facciano loro ricorso, senza bisogno di alcun permesso da parte dei rispettivi Superiori Regolari.

2. Cum hae summi momenti dispositiones necessario non nullis determinationibus mox definiendae videantur, ipsa prudentia iubet completam differre commentationem. Quaedam tantummodo, quae huc usque satis certa videantur, annotare liceat.

3. Regulares deinceps *valide et licite confiteri possunt* apud omnes confratres suos, instructos approbatione episcopali, immo apud omnes sacerdotes regulares vel saeculares eadem approbatione munitos. Non tamen exinde concludendum est hanc « approbationem » in posterum ad absolvendos Regulares necessariam esse contra generale principium quod ex Tridentino Sess. 23 de ref. c. 15 deducitur : Superiores enim paenitentis, sicut antea, cuicumque sacerdoti, regulari vel saeculari, etiam non approbato ab Ordinario, iurisdictionem in suum subditum concedere possunt. Sed, « ob peculiares conscientiae rationes » quae nullibi exponuntur neque clausulam restrictivam exprimere videntur, augetur tantum numerus confessariorum, eo scilicet modo ut, posita « approbatione » Ordinarii tamquam condicione, sacerdoti immediate a Summo Pontifice conferatur iurisdictio ad Regulares absolvendos.

4. Quamvis nullibi clare dicatur ad confitendum aliis sacerdotibus quam « confessariis designatis » non petendam esse *licentiam Superioris,* alienum tamen arbitramur a mente S. Sedis ut talis obligatio petendae licentiae, saltem ex regulae obligatione, urgeatur. Ad analogiam enim, quamvis non stringentem, ratiocinari licet decreti 3 febr. 1913 de Sororum confessionibus, art. 14. — Non tamen abrogatae censendae sunt regulae quae suadeant singulos Religiosos regulariter apud eundem confiteri confessarium. Unitas enim directionis asceticae ab omnibus magistris vitae spiritualis commendatur ; immo necessaria esse potest praesertim noviciis, et iis qui peculiares tentationes patiuntur, adeo ut nisi medici spiritualis unius forti manu sustineantur et dirigantur, de omni seria emendatione desperandum sit.

5. Praesenti decreto nullae supprimuntur *censurae*, sed *reservatio* censurarum et peccatorum, in Ordine reservatorum, practice tolli videtur. Absolutio autem, vi praesentis facultatis data, sicut fit pro quacumque confessariorum facultate absolvendi a censuris, *in foro interno* seu in foro conscientiae tantum profutura intellegitur. Unde neque licebit Religioso qui scandalosum crimen admisit, publice se gerere tamquam absolutum nisi de concessa absolutione publice constet, neque Superiori aufertur potestas delictum publicum ad se, quasi in foro externo, diiudicandum et puniendum revocare. Immo quo facilior fit remissio in foro conscientiae, etiam apud confessarios qui fortasse non satis perspecta habeant quae ad internum regimen Ordinis necessaria sint, eo magis Superio-

ribus in foro externo erit invigilandum, ne ex relaxata disciplina Ordo detrimentum capiat. Ipsis autem confessariis, qui constituuntur iudices conscientiae Religiosorum, grave conscientiae propriae onus imponitur, ut discant a paenitentibus religiosis exigere, etiam sub denegata absolutione, quae tum ad ipsorum emendationem, tum ad bonum Ordinis sub gravi necessaria sunt. Quae sane mera sunt applicatio principiorum quae in Tractatu de Paenitentia traduntur.

6. De casibus *Romano Pontifici reservatis* siletur in decreto. Proinde dicendum videtur confessarium qui his casibus polleat ad saeculares absolvendos, etiam Regulares ab his absolvere posse.

Potestne confessarius, non habens casus *reservatos episcopales*, ab his Regularem [1] absolvere ? — Omnino affirmandum est, sicut antea, si confessarius constitutus est a Superioribus Regularis absolvendi : iurisdictio enim quae ab his Superioribus communicatur nullo pacto restrictione casuum episcopalium afficitur. — Si confessarius quidem regularis est, sed non « ex officio » constitutus tamquam confratrum confessarius, etiam affirmandum est, nam facile censebitur Ordo omnibus suis sacerdotibus communicare iurisdictionem non limitatam casibus episcopalibus, quoniam vi praesentis decreti impediri iam non possit quominus illi (supposita approbatione Ordinarii tamquam condicione) potestatem habeant confratrum confessiones audiendi, neque videtur cur excipiantur casus episcopales, cum non iam reserventur casus « Ordinis », qui tamen erant maioris momenti practici ad disciplinam Religiosorum servandam. — Unde item affirmandum videtur, si confessarius apud quem Regularis confitetur, extraneus est : cui censetur Ordo vel ipse Summus Pontifex concedere iurisdictionem non limitatam casibus episcopalibus, licet talem iurisdictionem confessarius ab Ordinario non acceperit neque adeo ullam iurisdictionem ad Regularem absolvendum ab Ordinario accipere possit.

I. S.

---

[1] Quaestio non solvitur trita formula « *Regulares* non incurrere reservationem episcopalem » ; reservatio enim in primis est restrictio iurisdictionis in *confessario*.

703. — S. CONGR. RITUUM

DECRETUM 11 IUN. 1913

Approbationis novae editionis typicae Ritualis Romani

(A. A. S. 27 sept. 1913, 5, 434)

De mandato sanctissimi Domini nostri Pii Papae X, praesens Rituale Romanum novissime recognitum, auctum et diligenter revisum a sacra Rituum Congregatione, Sanctitas Sua, referente infrascripto Cardinali ipsius sacri Consilii Praefecto, ratum habere ac probare dignatus est, atque huic editioni, tanquam typicae, futuras eiusdem Ritualis Romani editiones conformes esse debere edixit. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 11 iunii 1913.

Fr. S. CARD. MARTINELLI, *Praefectus.*
† Petrus La Fontaine, Ep. Charyst., *Secretarius.*

ANNOTATIONES

Haec nova Ritualis Romani editio typica non multum differt ab editionibus praecedentibus. Praecipuas tamen quasdam mutationes breviter hic notare iuvat.

I. **In tractatu de Baptismo**. — 1. Clare indicatur quaenam orationes et caerimoniae integre pro singulis sint repetendae in baptismo pluribus simul collato, quaenam vero in plurali sint recitandae. Plerumque etiam, quod ceteroquin in aliis tractatibus observatur, indicantur mutationes faciendae in orationibus, quando sacramentum feminae administratur; attamen non nullae supersunt orationes, praesertim in hoc tractatu de baptismo, in quibus mutatio generis non indicatur, quamvis absque dubio fieri debeat.

2. In ipsis orationibus vix aliquid est mutatum; a) in baptismo tamen adultorum, in exorcismo *Audi maledicte satana*, circa finem pro *gratias perenni Deo referat semper*, legitur nunc : *gratias perennes Deo referat.*

b) Orationes dicendae in tradenda veste alba et candela, quae hucusque non omnino concordabant in baptismo parvulorum et in baptismo adultorum, ad unitatem fuerunt redactae, et sic sonant : *Accipe vestem candidam, quam proferas immaculatam ante tribunal Domini nostri Iesu Christi ut habeas vitam aeternam. Amen. Accipe lampadem ardentem, et irreprehensibilis custodi Baptismum tuum : serva Dei mandata, ut, cum Dominus venerit ad nuptias, possis occurrere ei una cum omnibus sanctis in aula caelesti et vivas in saecula saeculorum. Amen.*

II. **In tractatu de Sanctissima Eucharistia.** — 1. Post communionem extra Missam, ana *O sacrum* iam non relinquitur ad lubitum sacerdotis, sed prorsus praescribitur, et clare indicatur tum ipsi anae, tum ℣. et ℟. addendum *alleluia*, non solum tempore paschali, sed et infra octavam Corporis Christi.

2. Tempore paschali oratio *Spiritum* iam erit concludenda conclusione longa, sicut extra tempus paschale oratio *Deus qui nobis* in eodem casu habet conclusionem longam.

3. Clare indicatur benedictionem post communionem semper esse dandam, quotiens communio ministratur extra missam, etiam ante et post ipsam ; et dum dicit : *Benedictio Dei omnipotentis*, sacerdotem debere elevare oculos, extendere, elevare et iungere manus, et caput cruci inclinare.

Mirandum est nihil dici de omittenda benedictione, et, tempore paschali *alleluia*, quando communio ministratur in paramentis nigris immediate ante vel post missam de Requiem; nullum tamen dubium servanda adhuc esse decreta 3177 et 3465 quae in casu illa omittenda praescribunt.

4. In communione infirmorum, praescribitur adhibenda formula *Misereatur* **tui**... *Indulgentiam*... **tuorum** *tribuat* **tibi**... Non indicatur quidnam sit mutandum quando communio administratur pluribus aegrotis in eodem loco decumbentibus ; certum tamen est in casu illas preces semel tantum esse dicendas in plurali, et in oratione *Domine sancte Pater*, dicendum : *fratribus nostris* (vel *sororibus nostris*).

5. Post communionem infirmorum, in ipsa ecclesia ℣. *Panem de caelo* et ℟. *Omne delectamentum*, tempore paschali et infra octavam Corporis Christi addendum praescribitur *alleluia*, quod auctores plerumque negabant, nixi decr. 2089 ad 7 quo declarabatur in Viatico administrando servandum esse omnino Rituale, nulla habita ratione temporis paschalis [1]. Dicenda tamen est semper oratio *Deus qui nobis,* sed, quod sat mirum videtur, in casu cum conclusione brevi.

III. **In tractatu de extrema Unctione.** — 1. Cap. 1, n. 20 datur formula adhibenda in casu verae necessitatis : *Per istam sanctam Unctionem indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti. Amen.*

2. In ordine Commendationis animae quaedam orationes paululum fuerunt mutatae :

a) In prima oratione : *Proficiscere, anima christiana*, post verba *in nomine Spiritus sancti, qui in te effusus est*, addendum est : *in nomine gloriosae et sanctae Dei Genitricis Virginis Mariae.*

[1] Cfer DE HERDT III, n. 191. — VAN DER STAPPEN IV, q. 207.

b) Item in tertia oratione *Commendo te*, post verba *et beatae quietis in sinu Patriarcharum te complexus astringat*, additur : *sancta Dei Genitrix Maria suos benigna oculos ad te convertat.*

c) Post orationem *Delicta iuventutis*, additur haec altera : *Clementissima Virgo Dei Genitrix Maria, maerentium piissima consolatrix, famuli* (vel *famulae) huius N. spiritum Filio suo commendet, ut hoc materno interventu terrores mortis non timeat ; sed desideratam caelestis patriae mansionem, ea comite, laetus* (vel *laeta) adeat. Amen.*

IV. **In Officio defunctorum.** — 1. Insertae sunt rubricae de modo inchoandi vesperas, matutinum et laudes, et de modo terminandi matutinum cum a laudibus separatur [1].

2. Omnes orationes in ipso officio habent semper conclusionem longam, et additur in rubrica hanc conclusionem semper adhibendam in officio et missa, extra, vero, conclusionem brevem.

3. Clarius indicatur quaenam oratio sit dicenda ad laudes in exsequiis praesente corpore.

4. Clarius dantur rubricae de Invitatorio dicendo, quod dici debet quotiens officium recitatur integrum, etiam ritu semiduplici, et insuper quando dicitur ritu duplici, etiam cum unico nocturno. Item clarius indicatur psalmos *Lauda anima mea* ad vesperas et *De profundis* ad laudes esse omittendos quotiens officium est duplex.

Brevi, officium defunctorum in Rituali vix differt a recentiori editione Vaticana Officii defunctorum et omnino iam concordat cum eodem officio prout iacet in Breviario post Mutationes in hoc introductas per decretum 11 iunii 1913.

V. **In tractatu de Matrimonio.** — In cap. 1 n. 15 datur decr. S. R. et U. Inq. 31 aug. 1881 hucusque in non nullis editionibus recentioribus datum in appendice : « Sciat nihilo minus, hanc benedictionem semper impertiendam esse in matrimoniis catholicorum, infra tamen Missae celebrationem iuxta rubricas et extra tempus feriatum, omnibus illis coniugibus, qui eam in contrahendo matrimonio quacumque ex causa non obtinuerint, etiamsi petant, postquam diu in matrimonio vixerint ; immo illos hortandos esse, ut eam primo quoque tempore petant, simul tamen admonendos, maxime si neophyti sint, vel ante conversionem ab haeresi valide contraxerint, benedictionem ipsam ad ritum et sollemnitatem, non vero ad substantiam et validitatem pertinere coniugii ».

VI. **In tractatu de Processione Sanctissimi.** — Paulum mutatur rubrica 3. Non diaconus, sed clericus oblon-

[1] Cfer PERIOD. n. **607** t. 6, p. 268, et n. **654** t. 7, p. 98.

gum velum circumponit scapulis sacerdotis. Hic ad suscipiendum ostensorium de manu diaconi non debet ascendere in supremum altaris gradum, sed in loco suo id accipit, et quin ascendat, vertit se ad populum.

VII. **In appendice prima** idem servatur ordo atque in praecedentibus editionibus. Haec tantum notatu digna occurrunt :

1. In capite de sanctissima Eucharistia habentur sanctiones Constitutionis apostolicae **Tradita ab antiquis** diei 14 sept. 1912 de sacra communione promiscuo ritu suscipienda [1]. necnon bina decreta S. C. C. d. d. 7 dec. 1906 [2] et d. d. 25 mart. 1907 [3] de sacra Communione pro infirmis non ieiunis.

2. Litaniae B. M. V. non iam concluduntur toto anno iisdem ℣. ℟. et oratione, sed pro diversitate temporum ℣. ℟. et oratione anae finalis eiusdem B. M. V.

3. Quod ad benedictionem et impositionem scapularis B. M. V. de monte Carmelo : a) Datur duplex formula longior, una propria Ordinis Carmelitarum discalceatorum, altera propria Ordinis Carmelitarum calceatorum.

b) Formula brevior non iam indicatur uti « adhibenda ab omnibus sacerdotibus facultatem habentibus ascribendi Christi fideles », sed uti « quae adhiberi poterit, praesertim in privatis receptionibus, vel occasione magni concursus, ad maiorem sacerdotis recipientis commoditatem ».

c) Loco formulae benedicendi **quattuor scapularia**, datur formula benedicendi et imponendi **quinque** scapularia. Haec formula a quibusdam periodicis [4] iam ab anno 1911 publici iuris facta, hucusque tamen, cum Acta Apostolicae Sedis eam non dederint, debita promulgatione carebat, ac proin ab illis solis adhiberi poterat quibus erat communicata. Iam vero, per eius insertionem in nova hac typica editione Ritualis dicendum est suppressum privilegium quod decr. S. C. Indulg. 17 apr. 1887 concesserat scapulari de Monte Carmelo, quo illud, honoris et devotionis causa, separatim et distincte, non vero cumulative cum aliis quattuor vel pluribus debuit benedici et imponi.

VIII. **Appendix altera** haud mutata mansit. Nulla tamen apparet distinctio inter ea quae hic traduntur et ea quae in priore appendice dantur ; et nos latet cur in nova hac typica editione Ritualis, omnes illae benedictiones non fuerint, ut

---

1 Cfer Period. n. **625** t. 7, p. 12.
2 Cfer Period. n. **162** t. 2, p. 178.
3 Cfer Period. n. **210** t. 3, p. (127) 311.
4 Acta pontificia IX p. 52. — Analecta ecclesiastica, 1911, XII p. 113. — Nouvelle Revue théologique 1911, vol. 43, p. 430.

sperabatur, sin minus in ipso corpore Ritualis, saltem in unica appendice, meliore ordine, distinctis capitibus, et additis numeris ordinatae [1].

De Mutationibus in Breviario

Eadem etiam occasione, quaedam dicere in animo est de mutationibus in Breviario inductis per decretum 11 iun. 1913 [2].

A. **Ipse Breviarii titulus** paululum est mutatus ; sic enim deinceps est inscribendus : Breviarium Romanum ex decreto sacrosancti Concilii Tridentini restitutum S. Pii V Pontificis Maximi iussu editum aliorumque Pontificum cura recognitum Pii Papae X auctoritate reformatum [p. 2] [3].

B. **Rubricae generales** Breviarii intactae servantur, quamvis ex illis multae cum novo iure non concordent ; sed adduntur Rubricae in recitatione Divini Officii servandae ad normam Bullae « Divino afflatu ». Porro illae aliud non sunt nisi septem priores Tituli novarum rubricarum cum nono quales prodierunt una cum Bulla « Divino afflatu » [4]. Nonnumquam tamen textus illarum rubricarum fuit correctus, sive maioris claritatis gratia, sive propter modificationes per decreta posteriora, aut etiam per praesens decretum introductas.

Idem dicendum de rubricis Ordinarii et Psalterii.

C. **Rubricae speciales** novo iuri penitus fuerunt accommodatae, et insuper earum redactio et forma maiore claritate, simplicitate et facilitate elucet.

Praetermissis illis mutationibus, quae editores praecipue respiciunt, uti sunt quae determinantur de modo scribendi quaedam nomina, de modo abbreviandi quasdam voces, de modo indicandi officium vel ritum [5], quasdam principiores ex his quae modum recitandi officium magis afficiunt indicare iuvat.

I. **De praestantia festorum.** — 1. In novis rubricis novus introductus fuerat character quo dignosci valeat quodnam ex duobus festis sit praestantius, nempe sollemnitas.

---

[1] Cfer. CALLEWAERT. *Collat. Brug.*, t. XVIII p. 522.

[2] Cfer. PERIOD. n. **681**, t. 7 p. 147.

[3] Numeri uncis [ ] inclusi paginam referunt operis : MUTATIONES IN BREVIARIO ET MISSALI ROMANO AD NORMAM CONSTITUTIONIS APOSTOLICAE « DIVINO AFFLATU » ET S. R. S. RECENTIUM DECRETORUM PARS I. — IN BREVIARIO. — ROMAE. TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS. 1913.

[4] Cfer. PERIOD. n. **552** t. 6 p. 128. Tituli hic omissi fere agunt de rubricis Missae, ac proin, ut verisimile est, locum invenient in mutationibus Missalis.

[5] Hoc tantum punctum indicabimus : « Festa mobilia in fine unius cuiusque mensis ponantur, post festa fixa, a quibus in kalenderio per lineolam vel spatium vacuum dividentur, nullo tamen adiecto titulo ». [p. 1]

Hic tamen character quarto tantum loco erat considerandus, h. e. si festa paria erant ritu, qualitate primarii vel secundarii et dignitate personali. In posterum vero secundo loco venit praevalebitque dignitati personali, immo et qualitati primarii vel secundarii. Saepius proinde ad hunc characterem erit attendendum ; ut autem rite hoc fiat, dicit rubrica : « Maior sollemnitas, scilicet si festum celebretur cum feriatione, *etiam reducta vel sublata*, aut cum octava. Ad effectum autem huius rubricae censentur festa feriata etiam omnia duplicia 1 aut 2 classis ac festa Domini perpetuo dominicis diebus assignata. Ratio autem sollemnitatis octavae consideranda tantum est in die festo atque in die octava. » [p. 5] Ex eo quod feriatio anteponatur octavae, concludere possumus sollemnitatem feriationis, etiam reductae, esse potiorem sollemnitate octavae, ac proin festum feriatum celebratum sine octava in paritate ritus praevalere festo celebrato cum octava quidem, sed sine feriatione.

2. In hoc ipso Periodico t. 6, p. (34), ostendit R. P. Degrelle difficultatem componendi tit. II novarum rubricarum cum Notando II in tabellis occurrentiae et concurrentiae. Haec difficultas nunc est sublata, mutato tit. II ; dicitur enim characteres praestantiae in hoc tit. enumeratos applicari deberi, « cauto semper quod festa primaria universalis ecclesiae praeferuntur cuilibet festo particulari, et festa Dedicationis et Tituli propriae ecclesiae et Patroni loci cedunt tantummodo praedictis duplicibus 1 classis universalis Ecclesiae. » [p. 4]

Ex reformata rubrica, saltem in ordinarie contingentibus, festum Patroni loci, utpote celebratum cum feriatione reducta, praevalet festo Titularis ecclesiae vel Anniversario Dedicationis eiusdem, quae ex iure communi feriationem annexam non habent. Si tamen anniversarium Dedicationis fixum esset diei dominicae, tunc ex nova rubrica censeri deberet celebratum cum feriatione, ac proin, per se, praevaleret festo Patroni, utpote festum Domini ; eadem etiam de causa, anniversarium Dedicationis praevalet festo Titularis, saltem si hoc non sit festum Domini.

Sed, quid si agitur de conflictu duorum talium festorum quorum neutrum praestat neque feriatione, neque dignitate personali, et quorum unum festum est ecclesiae cui quis est ascriptus, alterum vero ecclesiae cathedralis ?

Pro clero regulari qui proprium sequitur kalendarium, solutio nullam facit difficultatem. Pro ipso enim praevalet festum ecclesiae propriae quod cum octava celebrat prae festo ecclesiae cathedralis ab ipso celebrato sine octava. Pro clero vero saeculari (et pro clero regulari qui kalendarium proprium non sequitur), rubrica nostra rem non dirimit ;

eadem tamen admittenda est solutio, quia, ut scite animadvertit R. P. Degrelle in articulo mox laudato, ecclesia cui quis est ascriptus magis propria est quam ecclesia cathedralis. Idem deduci potest ex eo quod in catalogo festorum 1 classis [p. 11] anniversarium Dedicationis ecclesiae propriae et eiusdem Titulus praeponuntur respective anniversario Dedicationis ecclesiae cathedralis et eius Titulo.

Sed haec omnia, ut supra diximus, non valent nisi in *ordinarie contingentibus,* nam, si praeter ius commune aliquod ex his festis haberet feriationem, etiam reductam, saepe alia obtineret solutio [1].

3. Ex novis rubricis dies octava praevalebat duplici maiori; post decretum tamen 23 ian. 1912 hoc restringi debebat ad dies octavas duplicis 1 classis quibus tunc datus est ritus duplicis maioris ; eadem nunc introducta est restrictio pro ordine commemorationum, ita ut solae dies octavae duplices maiores commemorari debeant ante duplicia maiora. [p. 8]

4. Item, ex iisdem rubricis de praecedenti dominica quacumque fieri debebat saltem commemoratio, quocumque occurrente festo, etiam 1 classis. Unde concludi posset hanc commemorationem dominicae faciendam esse tum in 1 vesperis Nativitatis Domini, quando hoc festum in feria II occurrit, quod tamen sensui liturgico prorsus repugnasset ; tum in 1 vesperis festi Epiphaniae, cum decreto 21 iun. 1912 ad 6 [2] haec vigilia privilegiis gaudeat dominicae. In Annotationibus tamen ad hoc decretum iam monuimus hoc esse restringendum ad *primas* vesperas huius vigiliae. Et, reapse nova rubrica huic vigiliae praemissa sic sonat : « Officium huius vigiliae locum tenet officii dominicae quae vel occurrit a die 1 ad 5 ian., vel a superveniente festo aut dominica infra octavam Epiphaniae impeditur ; proindeque gaudet omnibus privilegiis dominicae, tam in concursu ad 1 vesperas, quam in occursu. » [p. 38]

In eundem sensum correctus est tit. VI n. 1 novarum rubricarum : « In duplicibus 1 classis non fit commemoratio de praecedenti, nisi fuerit aut dominica quaevis, etiam per annum, praeterquam in 1 vesperis Nativitatis et Epiphaniae. » Et eodem tit. n. 2, similis datur restrictio pro festo Circumcisionis, ita ut abrogata sit dispositio decreti 23 ian. 1912 hanc commemorationem dominicae praecipiens in 1 vesperis Circumcisionis [3].

---

[1] Cfer. PIACENZA-EPHEMERIDES LITURGICAE 15 sept. 1913 p. 519 et seq.
[2] Cfer. PERIOD. n. **553**, t. 6, p. 143 et seq.
[3] Cfer. PERIOD. n. **559, B**, t. 6, p. 253.
[4] Cfer. PERIOD. n. **553**, t. 6, n. 148.

5. Tandem, ex novis rubricis officium dominicae minoris cedere debet occurrenti officio Domini et duplici 1 vel 2 classis ; sat obvium quidem erat hoc simpliciter applicari non posse dominicis occurrentibus infra octavas privilegiatas ; attamen ad praecavendas omnes erroneas interpretationes, tit. III n. 2 correctus fuit sequenti modo : « Excipiuntur tamen dominicae infra octavas privilegiatas, in quibus officium fieri nequit de festis quae infra ipsas octavas prohibentur. Itemque excipiuntur dominicae a die 25 ad 28 decembris aut in die octava Epiphaniae occurrentes, et dominica impedita vel a superveniente Septuagesima vel a dominica ultima post Pentecosten, de quibus omnibus fit officium ut habetur in propriis rubricis ; necnon dominica occurrens a die 1 ad 6 ianuarii vel die 7 a superveniente dominica infra octavam Epiphaniae impedita, cuius officium fit in vigilia Epiphaniae. » [p. 5]

6. Rubricae speciales de dominicis anticipatis fuerunt et ipsae emendatae, sicque iam sonant :

a) Post octavam Epiphaniae : « Quando Septuagesima venerit in 1 dominica post octavam Epiphaniae, tunc officium dominicae 2 post Epiphaniam anticipatur post octavam ipsam in sabbato aut praecedenti feria, in qua occurrat festum semiduplex. Quod si nullum semiduplex occurrat, officium dominicae similiter anticipatur in sabbato aut in praecedenti feria post octavam, in qua habetur duplex minus, vel eo deficiente, etiam maius. Si tamen, post ipsam octavam nullum occurrat festum, nisi duplex 1 aut 2 classis, in sabbato, in officio diei, dicitur 9 lectio de homilia dominicae 2 et fit eius commemoratio ad laudes.

» In officio huius dominicae anticipatae totum fit de sabbato vel feria currenti, et sumuntur lectiones de homilia dominicae cum responsoriis 1 Nocturni eiusdem, et antiphona ad Benedictus et oratio pariter de dominica. De festo autem in eo occurrente, ut supra, fit tantum commemoratio. Initium vero Epistulae II ad Corinthios, quod assignatur ipsi dominicae II post Epiphaniam, ponitur in proximiore sequenti festo, ante Septuagesimam occurrente, in quo legi valeat iuxta rubricas ; secus eo anno omittur. » [p. 41]

b) Sabbato infra hebdomadam II post Epiphaniam : « Si sequens dominica, sicuti et aliqua ex sequentibus, Septuagesima occurrente, impediatur, nec sit ei locus post Pentecosten iuxta rubricas, de ea, sub ritu feriali, ut dictum est supra de dominica II, anticipatur officium in sabbato vel proximiore feria ab officio novem lectionum libera. Quod si nulla sit infra hebdomadam huiusmodi feria libera, de dominica fit tantum commemoratio in officio occurrente in sabbato,

in quo 9 lectio dicitur de homilia dominicae, et in 1 Nocturno ponuntur lectiones de initio Epistularum beati Pauli, quae in praedicta dominica et duabus etiam ex sequentibus feriis occurrant, nisi tamen festum sit duplex 1 vel 2 classis, aut habeat lectiones 1 Nocturni stricte proprias. Lectiones autem quae assignantur praedicto sabbato vel feriae, in qua anticipatur officium aut commemoratio dominicae, si sint de aliquo initio Epistularum sancti Pauli, leguntur in feria, aut etiam dominica antecedente, iuxta rubricas. Quae vero sequentibus feriis post repositam dominicam assignantur, eo anno omittuntur. » [p. 42]

c) Post dominicam XXII post Pentecosten : « Si sequens dominca fuerit ultima post Pentecosten, eius loco ponitur dominica XXIV, ut infra, et officium dominicae XXIII anticipatur, sub ritu feriali, in sabbato vel proximiore feria ab officio novem lectionem libera, in qua ponuntur lectiones de homilia, antiphona ad Benedictus et oratio dominicae. Quod si nulla sit infra hebdomadam huiusmodi feria libera, de dominica fit tantum commemoratio in officio occurrente in sabbato, in quo 9 lectio dicitur de homilia dominicae. » [p. 66]

Uti ex his rubricis apparet, solius dominicae II post Epiphaniam anticipatae aucta sunt privilegia, aliarum autem dominicarum minime. Sed ante reformatas rubricas sola dominica II post Epiphaniam anticipata iisdem iam praevalebat officiis ac dominica occurrens, reliquae vero dominicae anticipatae, quod ad praevalentiam, iura tantum habebant feriae maioris. Et idem nunc obtinet. Ratio discriminis inde videtur repetenda, quod dominica II post Epiphaniam artius conectitur cum mysteriis Epiphaniae ob evangelium de nuptiis Canae, et quod reliquae dominicae post Epiphaniam inter se vix differunt.

II. **De repositione festorum**. — Adduntur in tit. IV regulae pro repositione festorum mobilium, et quidem n. 1 : « Festa autem mobilia, ritus duplicis maioris aut minoris et semiduplicis, numquam reponuntur, sed si perpetuo impediantur, commemorantur, vel penitus omittuntur, ut dicitur in tit. VI *De commemorationibus*. » [p. 6] Et eodem tit. n. 2 : « Duplicia vero 1 et 2 classis certis dominicis vel feriis assignata, si perpetuo impediantur, item tamquam in sedem propriam reponuntur in feriam proxime sequentem per singulos annos perpetuo liberam ab alio duplici 1 vel 2 classis, ab aliqua die octava, vel ab officiis huiusmodi festa excludentibus. » [p. 6]

Quod in his rubricis habetur de non reponendis festis mobilibus ritus duplicis maioris vel minoris aut semiduplicis nondum fuerat promulgatum ; per se clarissimum est. Quod

vero dicitur de repositione festorum classicorum, fere refert decretum 24 febr. 1912 ad 3 [1].

Duo tamen in praesenti rubrica habentur quae in decreto 24 febr. 1912 deerant : 1° dicuntur haec festa reponenda *tamquam in sedem propriam*, et 2° dicuntur reponenda in feriam proxime insequentem per singulos annos *perpetuo* liberam.

Iamvero, haec verba sat clare videntur indicare repositionem faciendam esse secundum leges ordinarias occurrentiae *perpetuae*, ac proin in kalendario perpetuo huic festo assignandam esse aliquam feriam *certam et fixam*, quae tamquam sedes propria festi sit habenda. Sed ad determinandum quaenam sit haec feria, non parvam difficultatem faciunt verba : *per singulos annos liberam*. Debentne illa verba ita intellegi, ut ad repositionem perpetuam huius festi prima feria assumatur in qua *numquam in kalendariis annuis*, quae ope huius kalendarii perpetui sunt astruenda, occurrere possit duplex 1 vel 2 classis, aliqua dies octava, vel officium huiusmodi festa excludens ?

Forsan talis interpretatio magis quadrat cum sensu litterali verborum, sed tot ac tantis obnoxia est incommodis, ut nostro iudicio impossible sit hanc fuisse mentem S. R. C. Fac enim aliquod festum classicum mobile occurrens in feria III post Septuagesima esse reponendum, prima feria subsequens in qua numquam in kalendario ecclesiae universalis occurrere possit aliquod ex festis supra enumeratis, est feria II infra octavam Ascensionis Domini [2].

Quod si in aliqua ecclesia particulari, festum classicum occurrat a die 26 maii ad 6 iunii, iam impossibile esset invenire ante Adventum aliquam feriam post Pentecosten quae in casu libera esset pro reponendo nostro festo mobili occurrente feria III post Septuagesimam [3].

Salvo proin meliore iudicio, putamus verba rubricae aliter esse intellegenda. Iam vero duplex alia interpretatio dari possit :

a) Vel admittetur praesentem rubricam exigere repositionem perpetuam festi mobilis in feriam *certam et determinatam*, et tunc dicetur hanc feriam esse primam insequentem quae in ipso *kalendario perpetuo* non est impedita aliquo

---

[1] Cfer PERIOD. n. **554, D**, t. 6. p. 163.

[2] Etenim, festum s. Matthiae (24 febr.) occurrere potest a feria IV post Septuagesimam ad feriam III post dominicam III Quadragesimae, festum Annuntiationis (25 mart.) a feria V post dominicam II Quadr. ad feriam IV infra octavam Paschatis, festum Inventionis s. Crucis (3 maii) a feria II post dominicam in albis ad dominicam infra octavam Ascensionis Domini.

[3] Etenim, ob mobilitatem cycli Paschatis et Pentecostes, quae est 34 dierum, nulla huius cycli feria in perpetuo libera invenietur, si officia impedientia sibi invicem succedunt minori intervallo quam 33 dierum. Iam vero hoc accidere sicubi festum classicum assignetur a die 26 maii ad iunii, consideranti kalendarium patet.

festo praevalenti, de quo haec rubrica, quamquam forsan in kalendariis annuis non numquam haec occurrentia habebitur, quae tunc secundum regulas occurrentiae accidentalis erit dirimenda.

b) Vel negabitur praesentem rubricam exigere hanc festi repositionem in aliquam feriam *fixam et determinatam*, et dicetur festum mobile tamquam in sedem propriam esse reponendum singulis annis in primam insequentem feriam quae in *kalendario annuo* huius anni a tali festo praevalenti erit libera.

Non diffitemur aliquam difficultatem componendi has interpretationes cum verbis rubricae ; at certe omnino quadrant cum spiritu novarum rubricarum. In his enim servatur hoc principium a novis rubricis introductum, ut si festum classicum sit reponendum, quam minime a die propria avellatur. In suo commentario rubricae, tertiam a nobis propositam interpretationem propugnat cl. Piacenza [1].

III. **De translatione accidentali.** — In tit. III n. 3 legitur : « Salvo tamen privilegio a rubricis concessa festis... et Annuntiationis B. M. V. . » Porro, in antiqua rubrica ad 25 martii sic dicebatur : « Si hoc festum venerit feria VI in Parasceve vel sabbato sancto, transferendum erit in feriam II post dominicam in Albis tamquam in sedem propriam, integra cum sollemnitate ac feriatione. » In nova vero rubrica ad eandem diem hoc omittitur et dicitur tantum : « Si hoc festum inciderit in dominicam Passionis, transfertur in proximiorem sequentem diem, in qua festum duplex I classis primarium non occurrat. Quotiens vero inciderit in maiorem hebdomadam aut per octavam Paschae, item transfertur in feriam II post dominicam in Albis, aut ea ut supra impedita, in proximiorem sequentem feriam, quae a festo huiusmodi sit libera. » [p. 84]

Omnis ergo translatio feriationis pro festo Annuntiationis supprimitur et sub hoc respectu hoc festum ad ius commune reducitur ; et nil mirum. Motu proprio enim de diebus festis d. d. 2 iulii 1911 [2] feriatio completa Annuntiationis fuit sublata, nec videtur ratio transferendi feriationem reductam.

Non nullae dioeceses privilegium obtinuerant, quando festum Annuntiationis occurrit infra hebdomadam maiorem, illud transferendi una cum sollemnitate et feriatione, sed, uti constat ex decr. Tornacen. 7 febr. 1913 ad 1 [3], in reformatione kalendarii, hoc privilegium non renovabitur, et deinceps standum erit rubricis Breviarii. Proinde evanescet

---

[1] Cfer Ephemerides liturgicae, 15 sept. 1913, p. 530.
[2] Cfer Period. n. **526**, t. 6, p. 80.
[3] Cfer Period. n. **678**, t. 7, p. 140.

quaestio controversa in quanam die hoc festum transferre debeant regulares in locis ubi ex privilegio Annuntiatio transferebatur cum feriatione in feriam III post dominicam in Albis.

IV. **De octavis quod ad concurrentiam.** — 1. Principia quae hanc concurrentiam ex novis rubricis regunt, sunt sequentia :

a) Non solum ipsa dies octava, sed et omnes dies infra octavam per se habent utrasque vesperas ; ob identitatem tamen mysterii, omitti debet commemoratio quae 2° loco occurrit.

b) Ad determinandum quaenam ex duobus diebus octavae primo loco sit commemoranda, attendendum est ad regulas sequentes :

α) Si una ex duobus diebus officium habet integrum, et altera tantum commemorationem, illa quae habet officium integrum, utpote proprie concurrens, praevalet.

β) Si concurrunt duo dies infra octavam, et ambo habent officium integrum, vel neutrum, praevalet praecedens.

γ) Si concurrit dies septima infra octavam cum die octava, et ambo habent officium integrum, vel neutrum, praevalet dies octava, utpote ritus potioris.

2. Inde a) In novis rubricis tit. VI n. 2 cautum erat commemorationem diei infra octavam in officio novem lectionum fieri cum ana et ℣. e 1 vesperis festi, si in crastinum officium faciendum est de die infra octavam. Attamen, ut patet, haec regula practica tunc tantum ex principio supra enuntiato sequebatur, quando commemoratio diei infra octavam fieri debet cum anis et versibus ipsius festi ; insuper accidere potest ut ana et ℣. e primis vesperis festi nullo modo conveniant diei infra octavam. Et ideo correcta rubrica nunc legitur : « Pro commemoratione sequentis diei infra octavam, etiam privilegiatam, quando sit facienda, sumuntur antiphona et versus e primis vesperis festi, nisi habeantur propria per singulos dies infra octavam, aut specialiter per totam octavam assignata, aut denique nisi extra diem festum sint incongrua. » [p. 7] Inde, infra octavam Apostolorum Petri et Pauli semper adhibenda erit ad vesperas ana *Petrus apostolus* cum ℣. *Constitues eos principes*, et infra octavam Nativitatis Domini numquam adhibebitur ana cum ℣. e primis vesperis festi.

b) Ex Notando 8 ad tabellas occurrentiae et concurrentiae [1] quando officium diei octavae impeditur occurrenti dominica, in 1 vesperis dominicae fit commemoratio octavae per anti-

[1] Cfer PERIOD. n. 553, t. 6, p. 142.

phonam et versum e 1 vesperis festi, si die praecedenti officium factum est de festo, si vero officium factum est de die septima infra octavam, eadem commemoratio fit per anam et ℣ e 2 vesperis.

Regula huius Notandi, quae optime in ipso tit. VI inseri potuisset, nunc explicite est extensa ad casum quo dies octava impeditur non ab aliqua dominica, sed a festo in quo commemorari debet. Sic enim hoc Notatum nunc habet: « Quando dies octava in aliquo festo, vel in dominica occurrenti debeat commemorari, si die praecedenti celebratum fuerit aliquod festum duplex maius aut minus, aut semiduplex, in vesperis pro commemoratione diei octavae, nisi propria habeantur, sumuntur antiphona et versus e 1 vesperis festi; quod si die praecedenti actum fuerit officium de die VII infra octavam, tunc in vesperis fit commemoratio ipsius diei VII per antiphonam et versum e II vesperis festi, nil vero de die octava ». [p. 15]

Et reapse eadem est ratio si festum praevalens est festum duplex maius. Sed ex principiis aliter solvendus casus, si festum praevalens sit duplex 2 classis, et octava non sit privilegiata. Tale festum enim ex tit. VI n. 2 in suis 1 vesperis non admittit commemorationem *concurrentis diei infra octavam communem*, admittit vero commemorationem *occurrentis diei octavae*. Unde logice in his vesperis commemoratio octavae facienda est per anam et ℣. quae conveniunt 1 vesperis diei octavae [1].

V. **De patronis locorum**. — Tit. IX n. 4 novarum rubricarum sic habebat: « *Festum Patroni principalis* Oppidi, *vel* Civitatis, *vel* Dioecesis, *vel* Provinciae, *vel* Nationis, clerus saecularis... » Et eodem modo in decreto 23 ian. 1911 [2] inter duplicia 1 classis primaria enumeratur *Patronus principalis* Oppidi, *vel* Civitatis, *vel* Dioecesis, *vel* Provinciae, *vel* Nationis. Hoc verbum *Patronus* in singulari adhibitum et verbum *vel* saepius repetitum indicare videbantur ex iis Patronis unum tantum vi huius rubricae esse colendum. Postea tamem decreto 6 dec. 1912 ad 7 [3] declaratum est, attenta hac rubrica, in locis ubi habetur Patronus principalis tum oppidi seu civitatis, tum dioeceseos, tum provinciae, tum nationis, singula festa sub competenti ritu Patronis proprio esse celebranda, etiam quod ad Patronum dioeceseos, dummodo hucusque festum eius per totam dioecesim, in locis quoque peculiarem Patronum habentibus, celebratum sit sub ritu duplici 1 classis cum octava.

[1] Notari potest duplex 1 classis in 1 suis vesperis non admittere commemorationem diei octavae concurrentis, nisi sit privilegiata, non vero, ut in priore redactione legebatur, diei octavae cuiusque festi Domini primarii [p. 7].

[2] Cfer PERIOD. n. **553**, t. 5, p. 141.

[3] Cfer PERIOD. n. **647**, t. 7, p. 72,

Maioris claritatis gratia textus in utroque loco nunc sonat: *Festa Patronorum principalium (Patroni principales)* Oppidi vel Civitatis, Dioecesis, Provinciae *et* Nationis. [p. 8 et 11]

VI. **De lectionibus de Scriptura.** — In novarum rubricarum priore redactione tit. I, n. 4 legebatur: « Lectiones ad Matutinum in 1 Nocturno semper legendae erunt de Scriptura occurrente... nisi... agatur de festo quod occurrat in feriis lectiones de Scriptura non habentibus, ideoque lectiones de Communi necessario recipiat. » Sed, decreto 19 apr. 1912 ad 14 et ad 15 [1], cautum est ut in casu assumerentur (aut saltem, ut aliqui tunc volebant, ut assumi possent) lectiones de Scriptura alicui praecedenti vel sequenti feriae ascriptae, quae in propria die legi non possent. Hoc tamquam regula generalis nunc statuitur, et ideo textus rubricae superius indicatae sic fuit correctus: « aut agatur de festo quod occurrat in feriis lectiones de Scriptura, nec assignatas, nec resumendas aut anticipandas habentibus, ideoque necessario lectiones de Communi recipiat. » [p. 4] Idemque clarius adhuc indicatur in Proprio de Tempore quotiescumque occurrit aliqua feria lectiones de Scriptura non habens, v. g. ante Lectiones Dominicae III Adventus, haec additur rubrica: « Si lectiones de Scriptura huius Dominicae vel feriae II aut III sequentis, sua die dici non potuerit, et in feriis Quattuor Temporum fieri contingat officium, in quo lectiones propriae vel specialiter assignatae non habentur, lectiones ut supra impeditae, et si opus sit, etiam lectiones insequentium feriarum, servato tamen earum ordine, ulterius transferuntur, ita ut in officio in Quattuor Temporibus occurrenti, lectiones de Scriptura valeant adhiberi. Quod item servatur de lectionibus feriae V ut supra impeditis, quae similiter, in casu, vel ulterius transferuntur, vel etiam anticipantur. » [p. 28]

Et similis rubricae legitur feria II post dominicam Quinquagesimae [p. 44], feria III rogationum [p. 55], et feria II post dominicam III Septembris. [p. 63]

2. In diebus octavis, etiam festorum Domini et B. M. V. (excepta octava Assumptionis) deinceps non repetentur lectiones ut in festo, nec dicentur lectiones propriae, sed per se dicentur lectiones de Scriptura occurrente, et in hunc sensum mutatus est tit. I n. 4 ubi additur « non autem eorum dies octava » [p. 4], item mutatae sunt rubricae speciales in die octava Conceptionis Immaculatae [p. 73] et Nativitatis B. M. V. [p. 112], in die octava Dedicationis ecclesiae, [p. 133], immo in die octava Corporis Christi ubi legitur:

---

[1] Cfer PERIOD. n. 575, D, t. 6 p. 207.

« In 1 Nocturno, si nullae adsint lectiones de Scriptura resumendae vel anticipandae, leguntur lectiones ut in festo. » [p. 61] Iam vero, saltem lectiones feriae VI sequentis semper sunt impeditae occurrente festo sacratissimi Cordis, vel alio praevalente festo ; semper proinde adsunt lectiones saltem anticipandae, ac proin lectiones ut in festo in praedicta die octava numquam erunt repetendae.

3. Novae dantur lectiones de Scriptura pro diebus 29, 30, 31 dec. et 1 ian. ita ut in festo s. Thomae lectiones non iam sumi debeant de Communi, nec, ut habebatur in novis rubricis, in officio diei infra octavam, repeti lectiones de festo Nativitatis. [p. 33 et seq.]

4. Lectiones de Scriptura, si sumendae sunt de Communi, sumuntur semper de Communi 1° loco, nisi aliae sint assignatae [p. 68]. Animadvertatur tamen in Communi Confessorum non Pontificum lectiones *Beatus vir* positas esse 1° loco, lectiones vero *Iustus, si morte* 2° loco [p. 131.]

VII. **De lectionibus 3 Nocturni**. — In singulis officiis quae lectiones 3 Nocturni non habeant de Communi, et regulariter 9 lectionem habent de officio commemorato, indicatur quaenam lectio sit dicenda quando haec non debet esse de officio commemorato.

2. Singulis etiam vicibus indicatur in Proprio quando ob 9 lectionem accidentaliter dicendam de officio commemorato, octava et nona lectio ipsius officii in unam sint iungendae [1].

3. Novae indicantur lectiones 3 Nocturni in quibusdam festis, et in specie in die octava Dedicationis ecclesiae in qua hucusque repetendae erant lectiones ipsius festi.

VIII. **De hymnis**. — 1. In festis hymnos proprios habentibus, praedicti hymni interdum ab una ad aliam horam fuerunt translati v. g. quando duo tantum adsunt hymni proprii, prior indicatur pro Vesperis et Matutino, alter pro Laudibus, ita, etiam deficientibus Vesperis ; ordo tamen hymnorum servatur.

2. Quod ad conclusionem hymnorum et ℣. primae, correctus est tit. VII, n. 1 ad normam decreti 4283 d. d. 30 dec. 1911 [2]. « Quod si officium diei careat conclusione aut versu proprio, sumuntur conclusio et versus, quae sint propria officii primo loco commemorati. In officio tamen dominicarum Adventus, quamvis conclusionem hymnorum

---

[1] Coniungi debent in Conversione s. Pauli (25 ian.), in festo s. Ioannis ante portam latinam (6 maii), in Apparitione s. Michaelis (8 maii), in festis ss. Nerei, Achillei etc. (12 maii), et ss. Septem Fratrum etc. (10 iul.), in Dedicatione s. Michaelis (29 sept.) et in festo ss. Angelorum Custodum (2 oct.). Contra, coniunctio iam non praescribitur facienda in festo s. Hilarii (14 ian.).

[2] Cefr. PERIOD. n. **553, A** t. 6 p. 137.

propriam non habeant, numquam adhibetur conclusio *Iesu, tibi sit gloria, Qui natus es de Virgine.* » [p. 8] Et similis rubrica inserta est in Ordinario. [p. 17].

3. Quotiescumque conclusio alicuius hymni, utpote propria, numquam mutatur, hoc clare in ipso hymno indicatur. De his sequentia indicasse sufficiet :

a) In festo Septem Dolorum tempore Quadragesimae conclusio et versus adhibentur ut in eodem festo mense septembri h. e. *Iesu, tibi sit gloria Qui passus es pro servulis...* et *Qui passus es propter nostram salutem.* [p. 85].

b) In hymnis de Communi Apostolorum tempore paschali, numquam adhibetur alia conclusio atque illa quae convenit tempori paschali aut octavae Ascensionis. [p. 128]

IX. **De suffragio et precibus.** — 1. In priore redactione, in Ordinario, haec legebatur rubrica ante suffragium : « Deinde, extra tempus paschale, in officio tam de tempore quam de sanctis, excepto tamen tempore Adventus ac Passionis, et exclusis diebus, in quibus occurrat festum duplex, quamquam simplificatum, aut dies infra octavam vel dies octava, etiam commemorata, fit sequens suffragium. » Inde concludendum videbatur suffragium esse omittendum in quocumque officio, quotiens facta est commemoratio alicuius duplicis. Deinde tamen decr. 24 febr. 1912 ad I [1] statutum est praedictam rubricam interpretari deberi iuxta tit. VII, n. 4 novarum rubricarum ubi legitur : « Quando *in dominica* fit commemoratio de aliquo duplici, vel de die infra octavam, omittuntur suffragium, preces, etc. », et ad ambiguitatem tollendam, praefata rubrica sic iam erat edenda : « Deinde, extra tempus paschale... et exlusis diebus, in quibus occurrat quodcumque officium duplex aut infra octavam, *aut dominica* in qua commemoretur duplex simplificatum, fit sequens suffragium. » Unde clare iam patebat influxum duplicis commemorati non habere locum nisi in sola die dominica. Porro, tertio nunc mutatur rubrica, et, saltem quod ad sensum, regressus fit ad priorem formam. Sic enim nunc effertur : « Deinde, extra tempus paschale, in officio semiduplici aut simplici tam de tempore quam de sanctis, praeterquam a dominica I Adventus usque ad octavam Epiphaniae et a dominica Passionis usque ad feriam IV maioris hebdomadae inclusive, ac *praeter omnes dies,* in quibus habita sit commemoratio duplicis, vel factum fuerit officium aut commemoratio cuiusvis octavae, vel vigiliae Omnium Sanctorum, fit sequens suffragium de omnibus sanctis. » [p. 18 et 21] Et eodem modo correctus est tit. VII

[1] Cfer. PERIOD. n. **554, D**, t. 6, p. 163.

n. 2. « Quando in dominica fit commemoratio duplicis, vel octavae, omittuntur suffragium, preces et symbolum Athanasianum. In feriis vero in quibus item fit commemoratio duplicis aut octavae, omittuntur suffragium et preces dominicales ad primam et completorium ; non autem preces feriales, si sint dicendae. » [p. 8] [1]

Simili modo mutata est rubrica de commemoratione crucis facienda tempore paschali.

2. Eadem quoque restrictio introducta est in rubrica de precibus dominicalibus : « In quolibet officio semiduplici, in officio sanctae Mariae in sabbato, in festis simplicibus, atque in feriis tam per annum communibus quam temporis paschalis, post responsorium breve (*vel ad completorium* post repetitam ad *Nunc dimittis* antiphonam) dicuntur sequentes preces dominicales. Quae tamen omittuntur in vigiliis Epiphaniae et Pentecostes, et *omnibus insuper diebus*, in quibus ad Laudes (*vel* ad Vesperas) habita sit commemoratio duplicis, vel factum fuerit officium aut commemoratio cuiusvis octavae, vel feria VI post octavam Ascensionis. » In rubrica ad completorium additur : « Semper autem recitari debent, et flexis genibus quidem, in iis feriis in quibus ad vesperas dictae sint preces feriales. » [2] [p. 20 et 22]

X. **Varia alia mutata**. — 1. Uti scitur, in sex feriis ante vigiliam Nativitatis, dantur ad laudes et horas antiphonae propriae, nullae tamen hucusque indicabantur speciales pro sabbato, sed in eo dicendae erant antiphonae indicatae pro feria in qua officium peragendum erat de s. Thoma, vel antiphonae dominicae IV Adventus, si in ea occurrebat vigilia Nativitatis. Nunc vero indicantur pro hoc sabbato antiphonae propriae, quae in eo dicendae erunt ad laudes et horas, etiam si in dominica occurrit vigilia Nativitatis; in hoc casu tamen in vesperis sabbati antiphonae adhibentur dominicae. Addit rubrica : « Quae autem (antiphonae) dicendae essent diebus, in quibus occurrat festum novem lectionum, eo anno omittuntur. » [p. 28]

2. In festo Annuntiationis tempore paschali, psalmi 3 Noc-

---

[1] Nova rubrica non loquitur nisi de omittendo suffragio in officio ; attamen absonum non esset ibi confirmationem quaerere eorum quae diximus t. 6, p. 214 de omittenda tertia oratione in missa feriali quando in ea facta est commemoratio duplicis de quo in ipso officio non est facta nisi commemoratio ; et certe evanescit argumentum non nullorum auctorum optimae notae, qui post cl. Piacenza thesim contrariam astruere voluere ex eo quod decr. 24 febr. 1912 ideo praecise rubrica suffragii fuerit mutata ut recitatio suffragii quasi pari passu procederet cum tertia oratione in missa. (Cfer. inter alia art. R. P. DEGRELLE in period. NOUVELLE REVUE THÉOLOGIQUE, apr. 1913, p. 215 et seq.)

[2] Ni fallimur, unum tantum est officium feriale *cum precibus dominicalibus* in quo haberi potest commemoratio duplicis : officium anticipatum dominicae II post Epiphaniam.

turni dicendi sunt sub unica antiphona *Angelus Domini.* [p. 84]

3. Indicatur quomodo officium recitari debeat si occurrat celebrari festum plurium Confessorum non Pontificum, scilicet officium fit ut pro uno Confessore; sed in oratione et sermone, ea quae habentur in singulari, dicantur in plurali, et in 1 Nocturno (si sumendae sint de Communi) sumantur lectiones *Laudemus viros*, quae in Communi Confessoris Pontificis 2° loco pluribus Pontificibus sunt assignatae, cum responsoriis tamen de Communi Confessoris non Pontificis. [p. 131] [1]

4. In officio parvo B. M. V. et in officio defunctorum, omnes orationes conclusionem longam habent, et psalmi 1 Nocturni indicantur non solum pro feria II et V, sed et pro dominica. Varia insuper mutata sunt in officio defunctorum, de quibus confer quae supra diximus de nova editione typica Ritualis Romani.

5. In novis editionibus Breviarii romani deinceps omittenda erunt officia pro aliquibus locis [p. 145]. Quae suppressio haec inter alia habebit commoda quod plura officia recitanti prorsus inutilia breviaria iam non gravabunt, et officia propria ordine in unum congesta multo facilius invenientur [2].

I. P.

---

704. — SS. D. N. PII PP. X

EPISTULA (25 OCT. 1913)

Ad R. P. D. Lépicier, Ordinis servorum Mariae priorem generalem (A. A. S. 28 oct. 1913, 5, 453.)

Dilecte Fili, salutem et apostolicam benedictionem. — Quinto ac vicesimo anno iam exeunte postquam fel. rec. decessor Noster Leo XIII Septem beatos Ordinis vestri Conditores in sanctorum numerum rettulit, libet palam atque aperte profiteri quo studio et honore Ordinem istum prosequamur, qui divinitus est ad perdolentem Virginem colendam excitatus. Is profecto tam utiliter in provehenda apud christianum populum eiusdem B. Virginis veneratione elaboravit, tot alumnos sanctitate conspicuos caelo inseruit, tot diligentibus administris Ecclesiam praeclarisque viris civitatem auxit,

[1] Mirandum est illa responsoria de Communi Confessorum non Pontificum fuisse in Proprio sanctorum assignata festo sanctorum Episcoporum Cyrilli et Methodii die 7 iul. [p. 100]

[2] Haec iam scripta erant, cum prodiit nuperrimus Motus proprius « Abhinc duos annos » cum decreto S. R. C. diei 28 oct. 1913. (Cfer. infra nn. 706, 707). Uti patet, nova hac reformatione haud pauca ex his mutationibus quas in praesenti interpretati sumus, cum novissimo hoc iure iam non quadrant, ac proin in nova editione typica Breviarii quae promittitur, iterum erunt mutanda.

ut religiosas inter familias honestissimum merito locum obtineat. Est praeterea in vestra laude ponendum ex ea vos condicione et loco, quantacumque fuit temporum rerumque acerbitas, numquam decidisse; quin immo honores caelitum augustis Parentibus decreti tantam videntur adiecisse vobis alacritatem, ut iam tum coeperitis fructus in vinea Domini ferre multo uberiores.

Laudes.

Incrementa eiusmodi vestra non modo Ordini gratulamur universo, sed etiam uberiora posthac fore confidimus. Cur enim spem Nostram fallat eventus, quandoquidem vobis iuvenes succrescunt et pietate et doctrina rite instructi? Novimus proximos praepositos Ordinis omni mente in ea cura et cogitatione esse versatos, ut, ad praescripta Nostra, tirones sui puris de fontibus christianam sapientiam imbiberent et traditam a patribus religiosae vitae formam induerent. In quo recte tu quidem, dilecte fili, ut perfectius quiddam attingeres, in sancti Alexii Falconerii colegio, quod Romae patet alumnis vestris ex omni natione educendis, instituisti, ut accepimus, sacrarum disciplinarum magisteria, et cogitas de eadem studiorum ratione in ceteras tironum domos deinceps inducenda. Etenim huius consilii tui is futurus est salutaris exitus, ut non modo scholasticae doctrinae thesaurus apud vos integer consistat eandemque una mente unoque animo sodales profiteantur omnes, sed etiam ut quae permulta olim de christiana veritate scripserunt illustres ex Ordine doctores, ad pristinum ea splendorem revocentur. Atque inde alterum, nec minoris momenti, oritur commodum: id est posse lectos iuvenes in tam nobili studiorum palaestra ita ingenii exercere vires, ut ad docendum quandoque prodeant apparatissimi.

Studia continuata.

Sed alia accedit causa quam ob rem de diligenti opera tua vehementer laetemur. Decessores enim in officio tuos imitatus, omni contentione eniteris atque efficis, ut qui, emenso studiorum curriculo, sacerdotes effecti sint, sensim neglegendo ne dediscant quae tamen accurate didicerunt, quin etiam naviter in libris haereant, ut copiam sibi doctrinae sacrae largiorem comparent. Nam si sacrorum administri ea carent interdum divinarum humanarumque rerum scientia, qua eos florere oportet, non idcirco plerumque fit, quod vel in seminariis vel in coenobiis inepte instituti sint, sed potius quod parta sibi doctrinae adiumenta per desidiam extenuari siverint atque evanescere.

Perge igitur, dilecte Fili, pro alumnis a sacerdotio recentibus ita vigilare, ut, aetate progrediente et praesertim in sacri ministerii primordiis, quo animorum ardore curandae hominum saluti dant operam, eodem et Instituti sui leges sancte exsequantur et ecclesiasticas perpetuo excolant disciplinas. Quod si feceris remque totam perdolentis Virginis Septemque sanctorum Patrum tutelae credideris, pro certo habemus, Ordinem, Nobis aeque ac tibi carum, esse ad maiora gradatim ascensurum, cum explorata omnium vestrum Ecclesiaeque utilitate. Idque ut secundum vota eveniat, caelestium munerum auspicem paternaeque benevolentiae Nostrae testem, tibi, dilecte Fili, et quibus praees sodalibus universis apostolicam benedictionem ex animo impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XXV mensis octobris anno MCMXIII, Pontificatus Nostri undecimo.

PIUS PP. X.

705. — S. CONGR. CONSISTORIALIS

LITTERAE (17 OCT. 1913)

Ad Rev^mos Ordinarios Italiae, de libris ab alumnis Seminariorum vel in scholis vel privatim adhibendis.
(A. A. S. 28 oct. 1913, 5, 455)

Con circolare del 16 luglio 1912 in seguito alle relazioni dei Visitatori Apostolici dei seminari d'Italia, questa S. C. Concistoriale raccomandava ai Rev^mi Ordinari che avessero somma cura di scegliere *i testi scolastici più adatti e di sicura dottrina*, ed escludessero quelli che potessero riuscire pericolosi alla formazione ecclesiastica dei giovani alunni del santuario.

La grande importanza di questa disposizione non sfuggì ai Rev^mi Ordinari ; e questa S. C. ha potuto constatare con soddisfazione che molti testi scolastici precedentemente adottati, non rispondendo alle direttive della Santa Sede, sono stati con fermezza eliminati dai nostri istituti.

Ciò non ostante, l'inconveniente già rilevato dai Visitatori Apostolici non è cessato del tutto, e da varie persone attendibilissime per virtù e dottrina sono stati nel corso di quest'anno segnalati a questa sacra Congregazione alcuni manuali scolastici, tuttora in uso nei seminari, meritevoli di censura o per gli errori storici e dottrinali che contengono, o per i principi pericolosi a cui s'ispirano, e in genere per lo spirito scientifico non orientato verso il sentire cristiano e cattolico e gli insegnamenti di quella suprema cattedra di verità che è la Sede di Pietro.

Se tali manuali si lasciassero ancora correre per le mani dei giovani, si potrebbe sin dai primi loro passi nella via del sapere compromettere la formazione di quell'equilibrio e di quel criterio intellettuale eminentemente cattolico, che valga a tutelare lo spirito sacerdotale dalle debolezze e dai traviamenti, che purtroppo con frequenza vediamo oggi succedersi.

Per tali considerazioni all'avvicinarsi del nuovo anno scolastico questa S. C. si crede in dovere di ritornare sul grave argomento ed interessarne a nome del Santo Padre la pastorale vigilanza dei *Rev^mi Ordinari*.

La S. C. raccomanda anzitutto che si escludano dalle scuole ginnasiali e liceali dei seminari quelle antologie letterarie di prosa o di poesia e quei manuali di storia civile, che offendono la purezza e la santità della fede o anche la profonda venerazione dovuta alla Chiesa e al Pontificato Romano.

Egualmente sono da escludersi quei testi di filosofia che sono contrari al sentire cattolico od anche semplicemente difformi dalle note direttive della S. Sede per l'insegnamento di questa disciplina, quale fra essi è p. es. *Il primo passo alla filosofia*, di Luigi Ambrosi. Nè per ammetterli vale il pretesto che si adottano per segnalarne gli errori e combatterli : giacchè è un rovesciare ogni retto principio pedagogico mettre i discepoli per una falsa via onde poi farli tornare addietro ed avviarli per la vera, ammaestrarli nell'errore onde poi istituirli nella verità.

Quanto poi alle scuole teologiche, la S. C. intende che siano esclusi dai seminari quei testi di storia ecclesiastica che « trascurano od omettono la « parte soprannaturale, che è vero, essenziale, indispensabile elemento nei « fasti della Chiesa, senza di cui la Chiesa stessa riesce incomprensibile »

(Circ. *Le Visite apostoliche*). E siccome a queste esigenze non soddisfano manuali di storia ecclesiastica di F. S. Funk e di F. S. Kraus, questa S. C. non permette che si adoperino nei Seminari.

La S. C. raccomanda inoltre che si usi molta diligenza nella scelta dei testi di patrologia. Nessuno ignora con quanti sforzi la critica razionalista abbia tentato di distruggere o almeno indebolire l'autorevole e veneranda testimonianza, che portano alla fede cattolica i Padri della Chiesa, torturandone gli scritti con un'esegesi cavillosa, o peggio ancora estenuandone l'altezza dell'ingegno e il valore della dottrina. È necessario quindi precludere l'adito del seminario a quelle opere di patrologia, che possono offuscare nelle vergini menti giovanili la grande idea che la Chiesa ha dei suoi Padri, e scegliere soltanto quelle che, tenendo calcolo della cultura moderna, non si allontanano dai canoni sicuri della teologia cattolica. Tale non è il manuale di patrologia del Rauschen, in cui la dottrina dei Padri anche sui dogmi fondamentali del Cristianesimo è frequentemente esposta in modo difforme dalla verità oggettiva e dal senso della Chiesa; onde i Revmi Ordinari avranno cura die eliminarlo affatto dai loro seminari.

Richiama infine alla loro memoria quanto dispose in proposito la S. C. dei Vescovi e Regolari nel *Programma generali degli Studi* del 10 maggio 1907, cioè che « il testo di filosofia e di teologia sia proposto « dal Consiglio dei professori e sottomesso all'approvazione del Vescovo ». Questa norma per disposizione del S. Padre deve estendersi a tutti i testi scolastici dei seminari e quindi anche delle scuole ginnasiali e liceali, avvertendo inoltre che i testi interdetti nella scuola s'intendono vietati nell'uso privato dei seminaristi, da cui resteranno pure escluse le opere di consultazione e di erudizione non conformi ai criteri già esposti, come sarebbero fra le altre le *Leggende agiografiche* del Delehaye, e simili.

Applicando queste cautele, il S. Padre confida che nel sacro recinto del seminario non si trovino altre opere se non quelle che armonizzino con la dottrina e lo spirito della Chiesa, ciò che è assolutamente necessario, onde l'istituzione letteraria e scientifica anzichè ostacolare concorra alla formazione spirituale piena et perfetta dei futuri ministri del santuario.

G. Card. De Lai, Vescovo di Sabina, *Segretario*.

---

706 — SS. D. N. PII PP. X

MOTU PROPRIO. (*23 OCT. 1913*)

De officiis divinis novo aliqua ex parte modo ordinandis.

(A. A. S. 28 oct. 1913, 5, 449)

PIUS PP. X.

Argumentum.

Abhinc duos annos, cum Constitutionem Apostolicam ederemus *Divino afflatu*, qua id proprie spectavimus, ut, quod ad fieri posset, et recitatio Psalterii absolveretur intra hebdomadam, et vetera Dominicarum Officia restituerentur, Nobis quidem alia multa versabantur in animo, partim meditata, partim etiam inchoata consilia quae ad Breviarii Romani, susceptam a Nobis, emendationem pertinerent; sed ea tamen, cum ob multiplices difficultates tunc exsequi non liceret, differre in tempus magis

commodum compulsi sumus. Etenim ad compositionem Breviarii sic orrigendam ut talis exsistat, qualem volumus, id est numeris omnibus bsoluta, illa opus sunt : Kalendarium Ecclesiae universalis ad pristinam evocare descriptionem et formam, salvis tamen pulchris accessionibus, uas ei mira semper Ecclesiae, Sanctorum matris, fecunditas attulerit ; Scripturarum et Patrum Doctorumque idoneos locos, ad genuinam ectionem redactos, adhibere ; sobrie Sanctorum vitas ex monumentis etractare ; Liturgiae plures tractus, supervacaneis rebus expeditos, ptius disponere. Iam vero haec omnia, doctorum ac prudentum iudicio, abores desiderant cum magnos, tum diuturnos ; ob eamque causam onga annorum series intercedat necesse est, antequam hoc quasi aedificium iturgicum, quod mystica Christi Sponsa, ad suam declarandam pietatem t fidem, intelligenti studio conformavit, rursus, dignitate splendidum et oncinnitate, tamquam deterso squalore vetustis, appareat.

Interea ex litteris et sermone multorum Venerabilium Fratrum cognoimus ipsis et permultis sacerdotibus esse optatissimum, ut in Breviario na cum Psalterio nova ratione disposito suisque rubricis adsint mutaiones omnes, quae ipsum novum Psalterium vel iam secutae sunt vel sequi ossunt. Quod cum instanter a Nobis peterent, simul significarunt se ehementer cupere, ut et Psalterium novum usurpetur frequentius, et Officia Dominicarum serventur eo studiosius, et incommodis Officiorum ranslationibus occurratur, et alia quaedam quae bonum videatur mutari, nutentur. Huiusmodi Nos vota, utpote rerum veritati innixa Nostraeque dmodum consentanea voluntati, grate equidem accepimus : iis autem bsecundandi nunc esse tempus arbitramur. Certiores enim facti sumus fficinatores librarios, qui sacrorum Rituum Congregationi inserviunt, xspectantes dum Breviarium Romanum decretorio modo ac definitivo orrigatur, in eo esse ut novam interim ipsius Breviarii editionem adornent Hac uti occasione visum Nobis est ; propterea, implorato divinae Sapientiae lumine, consultatione habita cum aliquot S. R. E. Cardinalibus, ogataque proprii cuiusdam Consilii sententia, haec Motu Proprio statuimus, decimus :

Officia Dominicae.

I. Secundum priscam Ecclesiae consuetudinem, ne facile Officia Dominicarum praetermittantur. — Itaque nullum festum, ne Domini uidem, statuatur posthac Dominicis celebrandum ; ex his tamen exciiatur, ob peculiarem ipsius naturam, ea quae a die prima ad quintam anuarii occurrat : quam recolendo sanctissimo Nomini Iesu, propter oniunctionem quam habet cum mysterio Circumcisionis, assignamus. — Festa vero, quibus usque adhuc dies Dominica attributa erat, omnia, raeter festum sanctissimae Trinitatis, in aliam diem perpetuo transfeantur. — Ne forte autem per Quadragesimam aliquod omittatur ex Dominicarum Officiis, quae mire facta sunt ad excitandam, in animis hristianam poenitentiam, eius temporis secundam, tertiam et quartam Dominicam ad gradum I Classis promovemus.

Octavae.

II. Cum recitationi Psalterii celebratio Octavarum sit impedimento, id t rarius contingat, in posterum sola duplicia I Classis, quae Octavas ntegras habent, eas conservent : verum in hisce ipsis Octavis, exceptis rivilegiatis, Psalmi de Feria currenti usurpentur. — Octavae autem uplicium II Classis solo Octavo die celebrentur et quidem ritu simplici.

Responsoria.

III. Lectionibus de Scriptura occurrenti semper adhaereant Responsoria e Tempore.

Translatio. IV. Nulla, ne perpetua quidem, Festorum, quae in Ecclesia universa celebrantur, translatio fiat, nisi duplicium I et II Classis.

Iam. quae hic a Nobis praescripta sunt, ea quem ad modum adduci a effectum debeant, et quid praeterea novi non modo in Breviarium, se etiam in Missale, quod cum illo congruat oportet, indidem emanet, sacr Rituum Congregatio, peculiaris *Commissionis* a Nobis institutae consult sequens, propriis decretis constituet, eademque tum Breviarii tur Missalis novam editionem typicam faciendam curabit.

Tempus. Has ipsas quidem praescriptiones volumus, statim ut hoc Motu Propri promulgatae sint, valere. Sed tamen, ratione habita vel Kalendariorur quae iam sunt confecta in annum proximum. vel temporis quod typograph requirunt, sinimus eos, qui ad officium persolvendum Romano utuntu Breviario, tum e Clero saeculari tum e regulari utriusque sexus, hi praescriptionibus non teneri nisi a Kalendis anni MCMXV. Qui vero alin legitime usurpant Breviarium a Romano diversum, iis sacra Rituun Congregatio definiet intra quos terminos ad easdem praescriptione accommodare sese debeant.

Cuilibet autem liceat comparare sibi atque ad horas canonicas recitanda etiam nunc adhibere Breviaria quae sunt in usu, dummodo tamen peculia in libello habeat, unde Constitutioni *Divino afflatu* ac decretis quae illa subsecuta sunt, obtemperare possit, ac simul quae hoc Motu Proprio No statuimus et quidquid eandem in rem sacra Rituum Congregatio decreveri diligenter observet.

Atque haec omnia constituimus, edicimus, contrariis quibusvis, etiar speciali mentione dignis, minime obstantibus.

Dies (23 oct. 1913). Datum Romae apud S. Petrum die XXIII mensis Octobris MCMXIII Pontificatus Nostri anno undecimo.

PIUS PP. X.

---

707. — SACRA CONGR RITUUM

DECRETUM (28 OCT. 1913)

Super motu proprio « Abhinc duos annos ».

(A. A. S. 28 oct. 1913, 5, 457)

Cum Ssmus Dnus noster Pius Papa X, mandaverit, ut quae Motu Propri *Abhinc duos annos*, die 23 praesentis mensis octobris decrevit, ab ha sacra Rituum Congregatione, iuxta votum specialis Commissionis litur gicae, opportune apteque applicarentur, haec eadem S. R. C., voluntat Sanctitatis Suae, qua par est observantia, obsequens, haec declaranda e statuenda censuit :

I. — De Dominicis
et Festis hucusque Dominicis diebus affixis

1. Dominicae quaevis assignationem perpetuam cuiuslibet Festi exclu dunt : idcirco Festa tam universalis Ecclesiae quam alicuius loci propria quae hucusque Dominicis assignata fuerunt, celebrentur die fixa mensi

qua in Martyrologio inscribuntur, si haec habeatur ; secus prima die qua occurrere potest Dominica in qua hucusque celebrata sunt. Excipiuntur tamen :

a) Festum Ssmae Trinitas, quod Dominicae I post Pentecosten assignatum manet :

b) Festum Ssmi Nominis Iesu, quod ab omnibus celebratur in Dominica quae occurrat a die 2 ad 5 ianuarii, et, si ea non occurrerit vel impedita fuerit ab Officio nobiliori, die 2 eiusdem mensis.

c) Sollemnitas S. Ioseph, Sponsi B. Mariae Virg., Conf. et Ecclesiae universalis Patroni, quae assignabitur Feria IV ante Dominicam III post Pascha occurrenti, et in ea cum sua integra Octava recoletur, redacto ad ritum Duplicem II classis alio Festo S. Ioseph diei 19 martii.

d) Festam S. Ioachim, fixe celebrandum die 16 augusti, inde in sequentem diem 17 translato Festo S. Hyacinthi.

e) Anniversarium Dedicationis Ecclesiae Cathedralis, quod, seorsim ab Anniversario Dedicationis aliarum Ecclesiarum Dioecesis, in tota Dioecesi die ipsa anniversaria celebrabitur, si ea innotescat. secus alia die fixa arbitrio Episcopi, audito tamen Capitulo Cathedrali, semel pro semper designanda.

f) Anniversarium Dedicationis propriae Ecclesiae, quod pariter, si hucusque sua propria die a singulis Dioecesis Ecclesiis celebratum est, ipsa die celebrari pergat : si vero in tota Dioecesi vel Instituto unica die recoli consuevit Dedicatio omnium Ecclesiarum Dioeceseos, haec, extra Ecclesiam Cathedralem, in Ecclesiis consecratis tantum, non vero in aliis recoli poterit, die ab Ordinario, ut supra, designanda, quae tamen alia sit a die Dedicationi Ecclesiae Cathedralis recolendae assignata. Quae item observentur de Anniversario Dedicationis omnium Ecclesiarum alicuius Ordinis seu Congregationis, quod hucusque in Dominica celebrari consueverit.

g) Festa Sanctorum vel Beatorum, quorum mentio non fit in Martyrologio, quae tamen celebranda sunt, iuxta Rubricas, die eorum natali, si agnoscatur, dummodo per Litteras Apostolicas alius dies non fuerit assignatus

h) Festa quae certis Dominicis post Pascha vel post Pentecosten affixa sunt, quae semel ab Ordinario, ut supra, assignanda erunt congruentiori Feriae infra Hebdomadam immediate praecedentem.

2. Ubi Sollemnitas externa Festorum quae hucusque alicui Dominicae perpetuo affixa erant, in ipsa Dominica celebratur, de Sollemnitate Festi Duplicis I classis permittuntur Missae omnes, praeter Conventualem et Parochialem, semper de Officio diei dicendas ; de Sollemnitate vero Festi Duplicis II classis permittitur tantum unica Missa sollemnis vel lecta. Excipitur Sollemnitas externa Ssmi Rosarii, quae Dominica I Octobris celebrari poterit cum omnibus Missis, praeter Conventualem et Parochialem de Ssmo Rosario, ut supra dictum est de Duplicibus I classis.

Omnes Missae de his Sollemnitatibus in Dominica celebratis semper dicantur ut in ipso Festo de quo agitur Sollemnitas, addita Oratione de Officio diei et aliis omnibus quae dicendae essent, si Festum ipsa Dominica incidisset. Prohibentur tamen in omnibus Dominicis maioribus, et in aliis Dominicis in quibus fiat Officium nobilius ipso Festo cuius Sollemnitas externa peragitur ; sed in casu, praeterquam in Duplicibus I classis

Domini Ecclesiae universalis, in omnibus Missis quae alioquin de Sollemnitate externe celebrata permitterentur, addatur eius Oratio sub unica conclusione cum prima. Ubi tamen adest obligatio Missae conventualis, non permittitur in casu alia Missa sollemnis, sed Oratio de Festo externe tantum celebrato addi poterit, uti supra, in ipsa Missa Conventuali.

3. Dominicae II, III et IV Quadragesimae, ad gradum Dominicarum I classis evectae, nulli in posterum cedent Festo, neque etiam Duplici I classis.

Dominica autem quae occurrat die 2, 3 vel 4 Ianuarii, si in ea celebrandum non sit, iuxta Rubricas, Festum S^mi Nominis Iesu aut aliud Festum Domini, et dummodo de ipso Domino nulla fiat Commemoratio neque occurrens neque concurrens, commemoretur in utrisque Vesperis, Laudibus et Missa, per Antiphonas, Versus et Orationes Dominicae infra Octavam Nativitatis, sed de ea non dicitur IX Lectio Homiliae nec legitur Evangelium in fine Missae.

Officium vero Dominicae quae post Epiphaniam, superveniente Septuagesima, vel post Pentecosten, superveniente Dominica XXIV, anticipari debet, celebretur in Sabbato praecedenti ritu Semiduplici, cum omnibus privilegiis Dominicae tam in occursu quam in concursu ad I Vesperas. Omnia dicentur de Sabbato, et in I Vesperis, de Feria VI praecedenti, praeter Orationem, Lectiones, Antiphonam ad *Benedictus* et Missam propriam ; et post Nonam nil fit amplius de Dominica anticipata.

II. — De Octavis

1. Octavae Paschatis, Pentecostes, Epiphaniae, S^ma Corporis Christi, Nativitatis Domini et Ascensionis sunt privilegiatae, et de eis, si quando integrum faciendum non sit Officium, semper tamen fit Commemoratio in Laudibus, Missa et Vesperis. Eorum Officium integre recitatur ut in die Festo praeter ea quae suis locis assignantur.

2. In Officio autem tum de die infra Octavam, tum de die Octava aliorum quorumlibet Duplicium I classis, etiam Domini, Antiphonae et Psalmi ad omnes Horas et Versus Nocturnorum dicantur de occurrenti hebdomadae die, et Lectiones I Nocturni, nisi habeantur propriae, vel, Lectionibus de Scriptura deficientibus, sumi debeant de Festo aut de Communi, dicuntur cum suis Responsoriis de Tempore, ut infra dicetur. Dies autem Octava huiusmodi, etiam Domini, tam in occursu, quam in concursu, cedit cuilibet Dominicae.

3. De Octavis vero Duplicium II classis universalis Ecclesiae nihil fit nisi in die Octava, et quidem sub ritu Simplici : ita ut si occurrat in eo aliquod Officium Duplex vel Semiduplex, etiam repositum vel translatum, aut Feria maior vel Vigilia, de die Octava huiusmodi fiat tantum Commemoratio iuxta Rubricas. Festa vero Simplicia occurrentia commemorantur in Officio de die Octava : cui cedit etiam Officium S. Mariae in Sabbato, in casu omittendum.

Idem servatur de Octavis Duplicium II classis alicuius Dioecesis vel particularis Ecclesiae, quae pariter, nisi penitus omitti velint, tantum in die Octava, et sub ritu Simplici celebrandae erunt.

4. Octavae Festorum particularium post diem Nativitatis Domini non amplius impediuntur.

5. Lectiones II et III Nocturni singulis diebus per Octavas Festorum Duplicium II classis Ecclesiae universalis hucusque assignatae, inserantur in Octavario Romano : non vero Lectiones I Nocturni, etiam si habeantur propriae.

III. — De Responsoriis de Tempore, de Lectionibus e Scriptura occurrenti, et de aliis partibus Officiorum propriis

1. In Officiis tam novem quam trium Lectionum, quandocumque sumuntur Lectiones de Scriptura occurrenti, cum iis adhibeantur Responsoria de Tempore : ita tamen ut Lectiones Dominicae cuiuslibet, etiam si reponantur infra hebdomadam et simul cum Lectionibus de Feria dicantur, sumant semper Responsoria de I Nocturno ipsius Dominicae ; Lectiones vero de Feria, si transferantur vel anticipentur, dummodo tamen simul cum Lectionibus Dominicae non dicantur, sumant Responsoria de Feria currenti, in Feriis Temporis Pachalis noviter disponenda. Excipiuntur tamen :

a) Lectiones de Scriptura occurrenti infra Octavas privilegiatas Ecclesiae universalis recitandae, quae semper dicuntur cum Responsoriis de Octava.

b) Lectiones de aliquo Initio Scripturae occurrentis, quae necessario ponendae sint, iuxta Rubricas, in Officiis Lectiones proprias vel de Communi assignatas habentibus, quaeque dicuntur cum Responsoriis propriis de huiusmodi Officiis, si habeantur, secus cum Responsoriis de Tempore, numquam vero de Communi.

c) Lectiones de Scriptura in Dominicis post Epiphaniam positae, quae si infra hebdomadam transferantur, dicuntur cum Responsoriis de Feria currenti.

d) Responsoria Feriae II infra Hebdomadam I post Epiphaniam et Feriae II infra Hebdomadam I post Octavam Pentecostes, quae, si sua die impediantur, ulterius transferuntur, iuxta proprias Rubricas.

2. Responsoria quae in Festis S. Luciae Virg. et Mart., Ss. Ioannis et Pauli Mm., et S. Clementis Papae et Mart. in I Nocturno habentur propria, ponantur in II Nocturno, loco Responsoriorum de Communi, et in I Nocturno dicantur Lectiones de Scriptura occurrenti cum Responsoriis de Tempore.

3. Similiter omnia quae in Festo S. Elisabeth Reginae et Viduae, habentur propria, praeter Invitatiorum, Hymnos, Lectiones II Nocturni, Versus ad utrasque Vesperas et Laudes, Antiphonas ad *Magnificat* et ad *Benedictus*, et Orationem, expungantur, et in I Nocturno item dicantur Lectiones de Scriptura occurrenti cum Responsoriis de Tempore.

4. In Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum, Psalmi ad Completorium et alias Horas minores, non amplius sumantur de occurrenti hebdomadae die, sed proprii assignentur.

IV. — De occurrentia et translatione Festorum, eorumque concurrentia

I. Festa Duplicia I et II classis, tam Ecclesiae universalis quam alicuius loci propria, impedita etiam perpetuo, quocumque sublato privilegio hucusque certis Festis concesso, transferantur in primam sequentem diem non impeditam a Dominica quavis vel Vigilia Epiphaniae,

ab alio Festo Duplici I vel II classis, vel ab Officiis eiusmodi Festa respective excludentibus. Eadem Festa, tam I quam II classis, in II Vesperis non admittunt Commemorationem sequentis diei infra Octavam, neque cuiusvis Officii Simplicis, etiam si postera die integrum de iis celebrandum sit Officium.

2. Festa vero Duplicia maiora vel minora aut Semiduplicia, quae in universa Ecclesia celebrantur, si accidentaliter vel perpetuo impedita fuerint, non transferuntur, sed de eis fit Commemoratio iuxta Rubricas. et legitur IX Lectio historica. Si tamen Festum impediens fuerit Duplex I classis Domini universalis Ecclesiae, nil fit de Festo ut supra impedito : si vero fuerit aliud Duplex I classis, de Officio impedito fit Commemoratio tantum in Laudibus et in Missis privatis, et non legitur IX Lectio. Idem servatur de Festis propriis alicuius Nationis, Dioecesis, Ordinis vel Instituti, quae pariter, si in aliqua particulari Ecclesia suo die fuerint impedita, commemorantur vel omittuntur, ut supra. Festa autem propria alicuius Nationis, Dioecesis, Ordinis, Instituti vel particularis Ecclesiae, quae in tota Natione, Dioecesi, Ordine, Instituto vel in sua particulari Ecclesia impediantur, si impedimentum sit accidentale, pariter commemorentur vel omittantur ut supra : si impedimentum sit perpetuum, reponantur in proximiorem diem, ab Officio Duplici a Festo Semiduplici, a Vigiliis privilegiatis et ab Octavis II ordinis non impeditam.

De huiusmodi vero Festis Duplicibus maioribus seu minoribus vel Semiduplicibus, quae perpetuo vel etiam accidentaliter impediantur, dici poterunt Missae privatae ad libitum sacerdotis, dummodo Officium impediens non fuerit Duplex I vel II classis, Dominica quaevis, Octava I et II ordinis, dies Octava III ordinis, Feria aut Vigilia privilegiata. Haec Missa dicitur ritu festivo, cum 2ª Oratione de Officio diei et aliis de Commemorationibus forte occurrentibus.

3. Festa quae hucusque tam in Ecclesia universali, quam in particularibus locis sub ritu Semiduplici ad libitum sunt celebrata, reducantur ad ritum Simplicem, de iisque fiat Commemoratio quotiens impediantur, ut fit de aliis Simplicibus iuxta Rubricas. Festum tamen S. Canuti cedit Festo Ss. Marii, etc. Mm., ideoque in eius Officio commemoratur.

4. Si Patronus loci secundarius, vel alius Sanctus proprius, descriptus sit in Kalendario cum aliis Sanctis, ab iis non separetur, sed de omnibus simul celebretur Festum sub ritu Duplici maiori vel minori, aut Semiduplici, iuxta Rubricas, nisi sub altiori ritu in Kalendario sit descriptum.

5. Quando Festum aliquod Duplex maius aut minus, vel Semiduplex occurrat in die Octava Duplici maiori non privilegiata eiusdem Personae, Officium fiat de Festo, sub ritu diei Octavae convenienti, omissa vel addita Commemoratione eiusdem Octavae, iuxta Rubricas.

V. — De Reformatione Kalendariorum particularium

1. Ut vero omnia quae hoc decreto praescribuntur rite exsecutioni mandentur, singuli Ordinarii, etiam Ordinum Regularium, et Moderatores generales Institutorum cuiusvis generis quae Kalendario proprio utuntur, supplicem libellum, iuxta Instructionem huius S. R. C. diei 12 decembris 1912. in *Actis Apost. licae Sedis* die 1 martii praesentis anni editam, ad eandem S. C. infra proximum mensem martium anni 1914 transmittant.

Qui tamen post editam Constitutionem *Divino afflatu*, proprii Kalendarii iam obtinuerint reformationem, ex officio novam ab eadem S. Congregatione sine ullis expensis recipient.

2. In hac Kalendariorum reformatione, praeter ea quae superius disposita sunt de Festis quae hucusque Dominicis affixa erant, sequentes serventur normae :

a) Anniversarium Dedicationis Ecclesiae Cathedralis, etiam ubi hucusque die fixa celebrari consuevit, una cum Dedicatione aliarum Ecclesiarum, seorsum celebretur, iuxta superius decreta de eisdem Anniversariis hucusque diei Dominicae affixis.

b) Festa propria, nisi aliter per Apostolicas Litteras dispositum fuerit, celebranda erunt ipsa die natali, si agnoscatur ; secus, ponantur in aliqua die quae libera sit in Kalendario.

c) Duo vel tres Sancti qui sub eodem Communi comprehendantur, sicubi occurrant eadem die et sub eodem ritu sint celebrandi, unico Festo recolantur, adhibitis iis singulorum Communium partibus, quae pro pluribus Sanctis qualitatis eiusdem assignantur, et contractis Lectionibus historicis III Nocturni, quae tamen huic S. R. C. approbandae submittentur. Eadem norma servetur pro Festis eiusdem Communis, quae ab anterioribus diebus sint reponenda.

d) Festa S. Bartholomaei Ap. et S. Ludovici Regis Conf., in omnibus et singulis Kalendariis, Romano non excluso, fixe diebus 24 et 25 augusti respective assignentur, non obstante quacumque consuetudine aut privilegio. Ubi vero sollemnitas externa die 25 et 26 respective celebretur, his diebus permittitur unica Missa cantata vel lecta de ea Sollemnitate, ut supra statutum est pro Festis diei Dominicae hucusque affixis.

e) Privilegium quibus non nullae Dioeceses vel Instituta gaudent, sese scilicet conformandi Kalendario Cleri Romani, aut alicuius Ordinis seu Congregationis, et alia huiusmodi, penitus abóletur.

Quae omnia, per infrascriptum huius S. Rituum Congregationis Secretarium, sanctissimo Domino nostro Pio Pp. X in audientia diei 26 praesentis mensis octobris relata, Sanctitas Sua dignata est approbare, et ab omnibus servari mandavit. Consulens autem eadem Sanctitas Sua pauperum praesertim clericorum indemnitati, Apostolica benignitate permittit, ut hi, pro prudenti arbitrio Episcopi, Breviaria quibus in praesenti utuntur, sine novi libelli additione, adhibere adhuc valeant, dummodo, iuxta Rubricarum praescriptum, novum ordinem Psalterialem omnino servent. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 28 octobris 1913.

Fr. S. Card. Martinelli, *Praefectus*.
† Petrus La Fontaine, Ep. Charyst., *Secretarius*.

Annotationes

In Motu proprio « Divino afflatu » diei 1 novembris 1911 annuntiabatur futura Breviarii et Missalis emendatio cuius tunc primus fiebat gradus, tum nova Psalterii dispositione, tum novis quibusdam legibus in ordinando divino officio observandis. Porro principia et rubricae tunc primum pro-

mulgata, variis subsequentibus decretis magis determinata vel paululum correcta ad definitivam formam decreto 11 iunii 1913 quod superius commentati sumus, videbantur pervenisse.

Attamen, non nulli dolebant quod praecipuum reformationis intentum, h. e. hebdomadaria totius Psalterii usurpatio, et frequens officii dominicalis recitatio non nullis ex novis dispositionibus paululum enervaretur. Plures insuper desiderabantur emendationes quae sine negotio nunc iam introduci possent. Propterea S^smus D^minus Pius X non nulla ex dispositionibus et novis rubricis mutanda edicit et novas quasdam emendationes introducit, simul S. R. C. curam committens novam tum Breviarii, tum Missalis editionem typicam edendi, et minutim determinandi quomodo novae dispositiones ad effectum deduci debeant.

Cum ex ipso Motu proprio dispositiones in illo contentae statim post eiusdem promulgationem valeant, Congregatio decreto suo 28 octobris 1913 practicam quandam dat instructionem de modo applicandi ea quae in Motu proprio statuuntur. Non tamen minutim omnes indicantur mutationes quae ex nova reformatione in rubricis sunt introducendae ; immo, etsi multae dispositiones decreti 11 iun. 1913 sunt mansurae, cum certitudine tamen affirmari non potest omnia quae in hoc decreto formaliter praesenti decreto non adversantur, esse servanda ; multa enim sunt quae maiori indigent determinatione. Cum autem novae dispositiones ex obligatione usurpandae sint ab initio anni 1915, sperare possumus novam editionem typicam Breviarii mox esse edendam [1].

I. **De Dominicis.** — 1. Iam nullum festum, neque classicum, neque Domini, *in perpetuum* assignari potest alicui dominicae, etiam minori seu per annum ; excipiuntur tantum festum ss. Trinitatis, quod affixum manet dominicae I post Pentecosten, et festum ss. Nominis Iesu, quod assignatur illi dominicae, hucusque vacanti, quae occurrit a 2 ad 5 ianuarii, ob intimam conexionem quam praedictum festum habet cum festo Circumcisionis.

De hoc festo haec animadvertere possumus :

a) Si a 2 ad 5 ianuarii non occurrit dominica, festum ss. Nominis Iesu celebrandum est die 2 ian., quod item fiet quotiens in dominica occurrit festum praevalens. Non bene apparet num mysterium ss. Nominis Iesu considerari debeat uti diversum a mysterio Circumcisionis, ac proin, utrum in 2 Vesperis Circumcisionis commemoratio facienda sit sequentis festi ss. Nominis an non.

b) Si dominica venit die 5 ianuarii, in ea celebrandum erit

[1] Omnino igitur suadendum ut ab emendo novo Breviario vel Missali abstineatur donec nova editio typica in lucem edita sit.

festum ss. Nominis Iesu, quo in casu, si principiis hucusque admissis stare velimus, commemoratio vigiliae Epiphaniae facienda erit in I Vesperis, Laudibus et Missa, item de eadem vigilia legenda erit 9 lectio ad Matutinum et ultimum evangelium in Missa ; immo, secundum hodiernas regulas, in casu, in I Vesperis Epiphaniae facienda foret commemoratio ss. Nominis. Non tamen miraremur postea declaratum iri hanc commemorationem esse omittendam.

2. Cetera festa omnia, hucusque dominicis assignata, aliis diebus, plerumque fixis, sunt assignanda secundum regulas in decreto traditas. Nisi proin aliter provideatur, festa in kalendario universalis ecclesiae hucusque dominicis affixa, sequentibus diebus erunt assignanda :

α) Sollemnitas s. Ioseph feriae IV ante dominicam III post Pascha, ex praesenti decreto ;

β) Nativitas s. Ioannis Baptistae diei 24 iun. qua de eo fit mentio in Martyrologio, eiusque vigilia reponetur die 23 ;

γ) Festum pretiossimi Sanguinis diei 1 iul. [1] quae prima dies est in qua nunc occurrere potest ;

δ) Festum s. Ioachim diei 16 aug., ex praesenti decreto ;

ε) Festum Septem Dolorum diei 15 sept. quae prima dies est in qua occurrere potest dominica III septembris ;

ζ) Sollemnitas Rosarii videtur ascribenda diei 7 oct. in qua de Rosario fit mentio in Martyrologio, secus ascribenda foret diei 1 oct.

a) Ex hac nova assignatione videntur haec festa, excepto festo s. Ioannis Baptistae, amisisse characterem feriationis quem eis agnoscebat decr. 11 iun. 1913, nisi tamen habenda sint ut festa cum feriatione sublata.

b) Non nullae mutationes iterum introduci debebunt in octavis s. Ioannis Baptistae et s. Ioseph.

c) Non nullae etiam mutationes inde fieri debebunt in nova editione typica Martyrologii.

3. De festis hucusque in dominicis celebratis, saltem non numquam, poterit in ipsa dominica servari sollemnitas externa. Porro non dicitur num de iure hoc fiat de omnibus istiusmodi festis, vel requiratur concursus populi, auctoritas Ordinarii, etc.

a) Haec sollemnitas celebrabitur in ipsa dominica in qua antea festum erat affixum.

b) Porro, si agitur de festo I classis, aut de festo ss. Rosarii, haec sollemnitas externa celebrari poterit per

---

[1] Ex novis dispositionibus enim, dies octava, etiam duplex maius, non videtur obstaculum pro assignatione, etiam perpetua, festi classici.

omnes missas, exceptis tantum missa conventuali et parochiali ; si vero agitur de festo 2 classis, (praeter festum ss. Rosarii) sollemnitas externa fiet per missam unicam, sive sollemnem aut cantatam, sive etiam lectam [1].

c) In duplicibus 1 classis Domini ecclesiae universalis, de his externis sollemnitatibus, nihil fieri potest ; in aliis vero diebus, missae de sollemnitate fiunt sequenti modo :

α) Si dominica est aliqua dominica maior, vel in ea celebratur aliquod festum nobilius ipso festo cuius sollemnitas externa peragitur, missae omnes dicuntur de dominica, vel de hoc festo praestantiore quod in ipsa dominica occurrit, sed, in casu, sive in missis omnibus (si agitur de sollemnitate festi 1 classis, aut ss. Rosarii), vel in missa unica (si agitur de alio duplici 2 classis) additur sub unica conclusione cum prima oratione oratio ipsius sollemnitatis [2].

β) In aliis dominicis, missae de sollemnitate, sive omnes dici possint, sive unica tantum, dicuntur ut in ipso festo de quo agitur sollemnitas, cum *Gloria* et *Credo ;* in ea fit semper primo loco commemoratio officii diei et adduntur aliae commemorationes in hoc officio occurrentes et quae cum ritu festi cuius sollemnitas agitur conveniunt [3] ; dicitur praefatio propria missae, si talis habetur, secus illa quae convenit officio prius commemorato, et in fine missae additur evangelium dominicae.

4. In occurrentia *accidentali* pergent dominicae 2 classis cedere duplicibus 1 classis ; attende tamen dominicas omnes Quadragesimae evectas esse ad gradum 1 classis. Dominicae minores item cedunt duplicibus 1 et 2 classis omnibus, nec non festis Domini, sed non iam diebus octavis festorum Domini, ne quidem ritus duplicis maioris.

5. De dominicis anticipatis novum prorsus ius constituitur.

a) Omnes dominicae anticipatae, et non solum 2 post Epiphaniam, gaudebunt omnibus iuribus ipsius dominicae, et hoc non tantum in occurrentia, sed etiam in concurrentia in 1 Vesperis.

b) De dominica anticipata semper iam fit in sabbato ante Septuagesimam, vel ante dominicam ultimam post Pentecosten. Quod si in hoc sabbato occurrat festum classicum aut festum Domini, de dominica anticipata fit tantum commemoratio in 1 Vesperis, Missa et Laudibus, legitur 9 lectio et dicitur ultimum evangelium in Missa.

[1] Uti patet, minus hic conceditur pro sollemnitate festorum 2 classis, quam quod Novis rubricis (tit. X, n. 3) concedebatur pro festis ritus inferioris a dominica minore impeditis.

[2] Haec tamen oratio omittenda erit, si festum praevalens est eiusdem Personae ac festum de quo agitur sollemnitas, nisi agatur de diversis mysteriis Domini.

[3] Omittendae tamen pariter erunt commemorationes de eadem persona, ut supra.

c) Officium non iam erit feriale, sed dominicale, incipiens a 1 Vesperis, sed explicit post Nonam.

d) Omnia tamen dicuntur de occurrenti feria (feria VI vel sabbato) praeter orationem, novem lectiones, antiphonam ad *Benedictus* quae sumuntur de dominica (antiphona ad *Magnificat* ad 1 vesperas sumenda est de feria VI in Psalterio). Psalmi ad Matutinum dividuntur in tres Nocturnos, et in fine ultimi dicendum videtur *Te Deum*. Nondum patet utrum in 1 Nocturno tres lectiones sumi debeant ipsius dominicae, vel potius addi debeant alia Initia infra eandem hebdomadam occurrentia. Evidenter, non dicitur *Quicumque*, preces contra dominicales et suffragium dicuntur secundum proprias rubricas, quae non videntur mutatae.

e) Missa dicitur de dominica anticipata cum *Gloria ;* ~~sed non videtur~~ dicendum *Credo*, ~~neque~~ praefatio Trinitatis ; tertia oratio omittitur, si facta est commemoratio duplicis.

6. Hucusque dominica occurrens a 2 ian. ad 4 erat vacans, nunc ipsi assignatur festum ss. Nominis Iesu, nisi in ea occurrat festum nobilius ; quo casu, nisi festum occurrens sit festum aliquod Domini, de ipsa dominica iam fiet commemoratio in utrisque Vesperis, Laudibus et Missa, per antiphonas, versus et orationem dominicae infra octavam Nativitatis, sine tamen 9 lectione et absque ultimo evangelio. Haec commemoratio, ut patet, non est facienda die 5 ian. cum vigilia Epiphaniae sit officium Domini ; item praedicta commemoratio omittitur in Vesperis quotiens aliquod festum Domini occurrit, ac proin numquam fiet in 2 Vesperis diei 4 ian. ob concurrentem vigiliam Epiphaniae.

II. **De octavis.** — Regulari recitationi totius Psalterii infra singulas hebdomadas multum obstabat privilegium quo non tantum in ipsa die octava, sed etiam quotiens officium fiebat de die infra octavam psalmi recitandi erant non de feria, sed ut in ipso festo. Prorsus igitur hac de re mutatur disciplina :

1. In solis octavis privilegiatis adhibebuntur psalmi ut in ipso festo.

Porro ad gradum octavae privilegiatae evecta est octava Ascensionis Domini. Etsi decretum silet de hac re, probabile videtur hanc octavam fore privilegiatam III ordinis (ad instar octavae Nativitatis Domini), unde consequens esset infra hanc octavam iam prohiberi missas privatas votivas et de Requiem. Difficile dici possit num dies octava Ascensionis inde maiori fruatur privilegio, quod ad occurrentiam, quam ceterae dies octavae ritus duplicis maioris.

Nihil dicitur in decreto de modo dicendi officium in feria VI post octavam Ascensionis, nec de vigilia Pentecostes.

Cum autem hucusque illa officia dicerentur ut infra octavam Ascensionis, donec aliter provideatur, putamus idem nunc esse tenendum.

2. In officio tam de die infra octavam, quam de die octava aliorum quorumlibet duplicium 1 classis, etiam Domini, psalmi et antiphonae ad omnes horas et versus ad Matutinum dicuntur de feria ; reliqua, quae propria non indicantur, dicuntur ut in festo. Cetera privilegia harum octavarum servantur, nisi quod, ut supra dictum est, dies octavae festorum Domini iam cedere debeant tam in concursu quam in occursu, dominicae minori.

3. De octavis duplicium 2 classis, nihil iam fit nisi in die octava, et quidem sub ritu simplici. Privilegia proin dierum octavarum prorsus evanescunt, cum cedere debeant cuicumque duplici vel etiam semiduplici, feriae maiori et vigiliae. et praevaleant tantum festo simplici et officio B. M. V. in sabbato. Item huiusmodi commemoratio veniet post commemorationem vigiliae non privilegiatae.

Certo, in hoc officio adhibebuntur antiphonae et psalmi de currenti feria, itemque versus Matutini ; lectiones erunt ut in aliis simplicibus h. e. duae priores de Scriptura, tertia de festo. Sed alia multa manent incerta, v. g. num dici debeant suffragium et preces, num adhibenda sit doxologia propria festi et versus Primae, num in missa addi debeat symbolum, si festum illud requirit et dici praefatio propria festi ? Atque symbolum esse addendum valde dubitamus, quod ad reliqua in partem affirmativam inclinamur pro ipsa die octava ; contra, diebus intermediis, cum in his nihil de octava videatur remanere, probabilius negandum putamus, si ex hodiernis rubricis ratiocinari licet ; verum res adeo nova est et ab antiquo iure discrepans, ut ex principiis hucusque admissis vix aliquid cum certitudine erui possit.

4. Ob reducta privilegia octavarum, octavae festorum particularium iam non prohibentur post festum Nativitatis Domini ; manent tamen prohibitae a die 17 dec. ad praedictum festum Nativitatis, a die Cinerum ad dominicam in Albis, et a festo Pentecostes ad dominicam Trinitatis.

III. **De Responsoriis de tempore.** — 1. Post primam Novarum rubricarum promulgationem, multi mirati sunt in 1 Nocturno cuiuscumque festi semper praescribi responsoria propria vel de Communi, cum tamen in Motu proprio « Divino afflatu » diceretur : « Atque in primis quidem ut in recitando officio divino lectionibus statutis sacrae Scripturae *cum responsoriis de tempore occurrentibus* debitus honor frequentiore usu restitueretur ». Atque propter practicas quasdam rationes hanc reformationem tunc procrastinatam esse dice-

batur. Nunc autem, quod plurimi in votis habebant, executioni mandatur, et in posterum una cum Scriptura occurrente plerumque, paucissimis tantum casibus exceptis, recitabuntur responsoria de tempore. Verum, cum hucusque tempore paschali duo tantum assignentur responsoria ob *Te Deum* quod in officio feriali huius temporis dici debet, responsoria in feriis paschalibus noviter erunt disponenda [1].

2. Ex novis rubricis, quando aliquod festum in 1 Nocturno responsoria habet propria, in hoc festo legendae non sunt lectiones de Scriptura, sed vel propriae, vel de Communi, cum responsoriis propriis. Manet haec regula ; sed non nulla festa erant quae responsoria habebant propria in 1 Nocturno, de Communi vero in 2°. Transferuntur nunc illa responsoria propria a 1 ad 2 Nocturnum : inde in praedictis festis in 1 Nocturno legi iam debebunt lectiones de Scriptura occurrente cum responsoriis de tempore. In reliquis festis quae responsoria propria servant in 1 Nocturno, vel habentur etiam lectiones propriae, vel dantur responsoria propria in singulis Nocturnis.

3. Etsi ex Novis rubricis ea quae in diversis officiis propria habentur servari debent, contrarium nunc statuitur pro antiphonis ad psalmos Matutini et Laudum, pro versibus Nocturnorum et responsoriis in festo s. Elisabeth. Ratio huius exceptionis videtur esse quod illae partes in officio s. Elisabeth potius erant appropriatae quam vere propriae ; earum ergo conservatio tanti momenti non est ut propterea pessumdetur recitatio hebdomadaria Psalterii.

4. Contra facile intellegitur cur in Commémoratione Omnium Fidelium Defunctorum, psalmi non amplius sumi debeant de currenti feria. Hoc officium enim specialis est indolis cum qua omnes psalmi non quadrant ; insuper, si ad horas psalmi sumendi sunt de currenti feria, non numquam, praesertim si Commemoratio defunctorum occurrit feria III, plures psalmi in Matutino iam recitati ad horas minores repeti debent.

IV. **De occurrentia et translatione festorum, eorumque concurrentia.** — A. **In occurrentia :**

1. Dies octavae festorum Domini non iam praevalent dominicae minori.

2. Quando in die octava duplici maiori non privilegiata occurrit, etiam perpetuo, festum duplex maius aut minus vel semiduplex eiusdem personae, officium semper fit de

---

[1] Est et alia mutatio quae in multorum est votis, ut nempe, quando in officio de festo ad Primam adhibiti sunt psalmi de feria, pro lectione brevi non assumatur Capitulum Nonae, sed lectio de tempore.

festo, non de octava, sed ritu diei octavae convenienti, i. e. duplici maiori ; additur commemoratio diei octavae, si agitur de duobus diversis mysteriis Domini, secus haec omittitur. Hoc festum videtur tunc quod ad occurrentiam et concurrentiam iisdem gaudere iuribus ac ipsa dies octava in cuius loco subrogatur.

3. Dies octava duplicis 2 classis, cum sit redacta ad ritum simplicem, privilegia sua in occurrentia amisit, ut superius diximus.

4. In duplici 1 classis non numquam fieri potest commemoratio occurrentis duplicis maioris vel minoris aut semiduplicis, ut statim dicemus.

B. **In concurrentia** :

1. Dies octava festi Domini non privilegiata non iam praevalet dominicae minori.

2. In 2 vesperis duplicis 2 classis non iam fit commemoratio sequentis diei infra octavam, neque cuiusvis officii simplicis, etiam si postera die integrum de iis celebrandum sit officium. Sub nomine officii simplicis comprehenduntur tum dies octava duplicis 2 classis, tum officium B. M. V. in sabbato ; patet autem in his vesperis faciendam esse commemorationem tum feriae maioris Adventus et Quadragesimae (quae potius sunt officia occurrentia), tum diei infra octavam privilegiatam.

C. **De translatione festorum.** Multorum in votis erat ut rarius ob festa propria transferri debeant officia universalis ecclesiae, praesertim ritus inferioris ; ob multas enim has translationes, in non nullis kalendariis, etiam post eorum reformationem, sat pauci tantum supererant dies liberi pro officio feriali (in kalendario pro clero Urbis erant tantum 47) ; inde novae hae regulae pro translatione festorum :

1. Vix aliquid est mutatum pro translatione festorum 1 et 2 classis, attamen :

a) Supprimitur quodcumque privilegium hucusque certis festis concessum, etiam privilegium festorum Annuntiationis et Purificationis B. M. V., et Commemorationis sollemnis s. Ioseph.

b) Ne quidem pro repositione perpetua festi classici impedimentum est dies octava duplex maius.

c) Non est libera pro huiusmodi repositione perpetua aut translatione accidentali vigilia Epiphaniae.

d) Festa 1 classis tranferri posse videntur, etiam perpetuo, in dies qui excludunt festa 2 classis.

e) Etsi expresse hoc in praesenti decreto non dicitur, festa classica in *perpetuum* impedita *fixe* reponi debent et in die sua fixa celebrari debebunt, etiam si in ea occurrat dominica minor.

f) Nihil in praesenti decreto dicitur de translatione festorum mobilium.

2. Prorsus mutatum est ius circa translationem festorum ritus inferioris.

a) Festa ritus duplicis maioris aut minoris vel semiduplicis ~~iam non~~ poterunt transferri, unico excepto casu, scilicet quando festum nationis in *tota* natione, vel festi dioecesis in *tota* dioecesi, vel festum ordinis in *toto* ordine, vel festum instituti in *toto* instituto aut demum festum particularis ecclesiae in *hac* ecclesia *in perpetuum* impeditur; quo in casu praedictum festum reponendum est in proximiorem diem, ab officio duplici, a festo semiduplici, a vigiliis privilegiatis, et ab octavis II ordinis non impeditam.

b) Ne tamen prorsus pereat memoria istorum festorum, de iis generatim facienda erit commemoratio in officio impediente.

α) Si officium impediens est ritus inferioris duplici 1 classis, commemoratio, etiam officii perpetuo impediti, fit uti hucusque fiebat pro officiis accidentaliter impeditis, in utrisque Vesperis, Laudibus et Missa et legitur 9 lectio historica. Attamen, ut patet, fieri potest ut commemoratio omittenda sit propter identitatem mysterii, vel etiam in vesperis propter concurrens officium: insuper 9 lectio omittitur quando legenda est 9 lectio de homilia, vel quando officium impediens ex illis est quae talem 9 lectionem historicam non admittant.

β) Si officium impediens est duplex 1 classis particulare, aut etiam duplex 1 classis universalis ecclesiae, sed non Domini, de officio impedito, etiam si accidentaliter tantum sit impeditum, fit commemoratio tantum in Laudibus et in Missis privatis, et non legitur 9 lectio.

γ) Tandem si officium impediens est duplex 1 classis Domini universalis ecclesiae, etiam si sit secundarium, de officio impedito nihil fit.

c) De festo impedito ritus duplicis vel semiduplicis permittuntur ad libitum sacerdotis missae privatae, dummodo officium impediens non sit duplex 1 vel 2 classis, dominica quaecumque, octava I et II ordinis, dies octava III ordinis, feria privilegiata, aut vigilia item privilegiata. Haec missa dicitur more festivo; semper dicitur *Gloria*, et addendum videtur *Credo*, si in Missa de die foret dicendum (ex decr. 21 iun. 1912 ad 4 [1]). 2 oratio semper dicitur de officio diei, dein fiunt occurrentes commemorationes. Praefatio dicitur propria missae, si habeatur, secus illa quae dicenda foret in missa diei.

[1] Cfer. PERIOD. n. **599**, B. t. 6, p. 252.

3. Hucusque de sancto Patrono secundario vel alio sancto proprio, qui in kalendario universalis ecclesiae inscribebatur cum sociis, faciendum erat officium separatum quotiens ex natura sua cum sociis non erat necessario coniunctus. In posterum iam non separabuntur, sed de omnibus simul fiet officium sub competenti ritu. Hoc tamen non videtur applicandum Patrono principali nec Titulari ecclesiae, sed in casu, officium sociorum est simplificandum, si in kalendario indicatur sub ritu duplici maiori vel minori aut semiduplici, omittendum, si inscribitur sub ritu simplici, et transferendum si inscribitur sub ritu classico.

4. Immo, unico festo in posterum coli debent sancti qui sub eodem Communi comprehenduntur et in eodem ritu occurrunt, vel ab anterioribus diebus sunt reponenda. Ut exemplo rem illustremus, dies 28 iunii est dies natalis tum s. Leonis II, Papae et Conf., tum S. Pauli I, item Papae et Conf. ; ambo a clero romano recoluntur ritu duplici minori, sed hucusque festum s. Leonis affixum erat 28 iun. translato in 3 iul. festo s. Pauli ; deinceps simul recolentur die 28 iun. Item dies 26 decembris natalis est tum s. Dionysii Papae et Conf. tum s. Zosimi item Papae et Conf., hucusque ambo festa transferebantur pro clero romano, sed prius in diem 30 dec. alterum in diem 28 ian. ; deinceps ambo recolentur simul die 30 dec.

V. **De reformatione kalendariorum.** — A. In kalendario ecclesiae universalis, praeter ea quae diximus de nova assignatione festorum hucusque dominicis affixorum, et de simplificatione diei octavae 2 classis, haec ex praesenti decreto sunt mutanda :

1. Festum s. Ioseph diei 19 martii reducitur ad ritum duplicis 2 classis.

2. Festa semiduplicia ad lubitum reducuntur ad ritum simplicem, sicque evanescit quaestio in quonam praecise consistat hic ritus.

3. Nondum apparet utrum idem kalendarium nunc iam magis sit reformandum ut sic « ad pristinam revocetur descriptionem et formam, » an hoc in tempus magis commodum adhuc sit procrastinandum.

B. Kalendaria particularia iam *praescribuntur* reformanda et supplex libellus conformis decreto 12 dec. 1912 [1] singulis Ordinariis, Superioribus Ordinum regularium et Moderatoribus Institutorum quae kalendario perpetuo gaudent mittendus ad S. R. C. infra mensem martium anni 1914.

1. Explicite nunc dicitur, quod iam suspicati sumus,

[1] Cfer. PERIOD. n. **655**, t. 7, p. 99.

festa propria esse celebranda in die natali ; quod si dies natalis in kalendario occupatur aliquo festo aequalis vel inferioris dignitatis, hoc festum, nisi gaudeat ritu classico iam erit simplificandum, si vero hic dies in kalendario fuerit occupatus festo potioris dignitatis, festum proprium fixe reponendum est in proximiorem diem liberum, uti supra diximus.

2. Anniversarium Dedicationis ecclesiae cathedralis semper celebrandum est seorsim ab anniversario Dedicationis ecclesiae propriae. Prius celebretur in propria die si de ea constet, secus in die fixa semel pro semper ab Episcopo eligenda, audito Capitulo Cathedralis. Alterum item celebretur in die propria, si hucusque sic fieri consuevit ; quod si celebretur simul ab omnibus ecclesiis dioecesis sic pergi poterit, verum, in casu : α) praedictum festum celebrandum est die fixa, semel pro semper ab Ordinando eligenda ; β) haec dies diversa sit a die in qua fit anniversarium Dedicationis ecclesiae cathedralis ; et γ) festum celebrabitur ab iis solis qui ecclesiae consecratae sunt ascripti.

Et haec quod ad clerum saecularem et regularem qui sequitur kalendarium dioecesanum.

Regulares vero kalendarium proprium habentes a) Omnes quidem celebrare tenentur anniversarium Dedicationis ecclesiae cathedralis, et quidem, per se, eadem die ac clerus regularis. b) Anniversarium vero ecclesiae propriae illi tantum celebrabunt qui ecclesiae consecretae sunt ascripti, et quidem in die propria si hucusque sic factum est : si vero hucusque consueverint una eademque die celebrare anniversarium omnium ecclesiarum ordinis aut instituti, vel omnium ecclesiarum regionis, sic pergere poterunt, verum, ut dictum est, hoc festum celebrabitur α) in solis eorum ecclesiis consecratis, β) in die fixa a competenti auctoritate assignanda. Non videntur obligati ad celebrandum praedictum anniversarium in die quae ab Episcopo electa fuerit pro ecclesiis saecularibus, sed potius superiorum ipsius ordinis est hanc diem eligere, quae ex decr. 12 dec. 1912, in supplici libello pro approbatione novi kalendarii erit inserenda.

3. Festa s. Bartholomaei et s. Ludovici ubique iam assignari debent diebus 24 et 25 aug. Sollemnitas quidem externa potest manere affixa diebus 25 et 26, sed de feriatione nihil dicitur. I. P.

DECRETA SUMMATIM RELATA

708. — *SS. D. N. PP. PII X*

A. *Constituitur novum Seminarium Romanum ad Lateranum* (A. A. S. 7 iul. 1913, 5, 297).

Seminarium Romanum.

Constitutione apostolica *In praecipuis* 29 iun. 1913, reformatur ordinatio Seminarii Romani, quod, pro studiis philosophicis et theologicis, deinceps sedem habeat in novis aedibus ad Lateranum. Ipsi adiunguntur Seminarium Pium et Collegium SS. Ambrosii et Caroli. In Collegio Leoniano posthac ne recipiantur nisi sacerdotio initiati; iam nemini ex Italia licet (exceptis missionariis et alumnis Collegii Capranicensis) studia praevia ad sacerdotium in Urbe facere, nisi in Seminario Romano commoretur.

B. *Indulgentiae conceduntur « Verein der Kinderfreunde »* (A. A. S. 7 iul. 1913, 5, 301).

Indulgentiae.

Litteris apostolicis 3 iun. 1913, S. Pontifex peculiares concedit indulgentias Sodalitati « Diligentium Infantes » quae praecipuae in Austria floret.

C. *Praefectura de Urubamba in Vicariatum erigitur* (A. A. S. 28 iul. 1913, 5, 337).

Erectio Vicariatus.

Litteris apostolicis 4 iul. 1913, S. Pontifex Praefecturam de Urubamba in Republica Peruana erigit in Vicariatum de Urubamba et Matre Dei dictum.

D. *Opus « a suffragio sacerdotali » erigitur in archisodalitatem* (A. A. S. 12 aug. 1913, 5, 361).

Archisodalitas.

Litteris apostolicis 10 ian. 1913, S. Pontifex pium opus « a suffragio sacerdotali », Neapoli erectum, erigit in archisodalitatem, cum facultate ubique aggregandi.

E. *Archisodalitas « a suffragio sacerdotali » ditatur indulgentiis* (A. A. S. 30 aug. 1913, 5, 385).

Indulgentiae.

Litteris apostolicis 15 iul. 1913, S. Pontifex Archisodalitatem « a suffragio sacerdotali » Neapoli erectam, indulgentiis insignivit.

F. *Societas « ab oratione assidua pro Pontifice » erigitur in archisodalitatem* (A. A. S. 27 sept. 1913, 5, 417).

Archisodalitas.

Litteris apostolicis 24 iul. 1913, S. Pontifex societatem « ab oratione assidua pro Pontifice », Barcinone institutam, erigit in archisodalitatem cum facultate ubique aggregandi.

G. *Archiconfraternitas S. Christophori augetur indulgentiis* (A. A. S. 27 sept. 1913, 5, 418).

Indulgentiae.

Litteris apostolicis 17 aug. 1913, S. Pontifex archiconfraternitatem

S. Christophori, in oppido « Saint Christophe le Jajolet » dioecesis Sagiensis erectam, indulgentiis ditavit.

H. *Conqueritur S. Pontifex recentiora Reipublicae Lusitanae acta in Ecclesiam* (A. A. S. 27 sept. 1913, 5, 420).

Querelae.

Litteris 1 mart. 1913 ad Patriarcham Olyssiponensem, vehementer conqueritur S. Pontifex iura Ecclesiae in Lusitania violata.

I. *Conqueritur S. Pontifex iniurias Internuntio in Re publica Chilensi illatas* (A. A. S. 28 oct. 1913, 5, 452).

Litteris 22 aug. 1913 respondit S. Pontifex Episcopis Chilensibus qui ad Ipsum scripserant occasione contumeliarum in Re publica Chilensi Internuntio illatarum.

709. — *S. CONGR. CONSISTORIALIS*

A. *Declaratur nova lex lata a Republica S. Marini circa bona ecclesiastica laedere ius proprietatis Ecclesiae* (A. A. S. iul. 1913, 5, 307).

Bona.

Die 14 iun. 1913 S. Congr. Consistorialis declaravit novam legem a Republica S. Marini latam circa bona ecclesiastica esse laesivam iurium Ecclesiae.

B. *Eriguntur novae dioeceses* (A. A .S. 27 sept. 1913, 5, 430).

Dioecesium erectio.

S. Congr. Consist. decretis, erexit S. Pontifex dioecesim *Montis Laurei*, in dicione Canadensi (21 apr. 1913); dioecesim *Tacambarensem* in republica Mexicana (26 iul. 1913); dioecesim *Arassuahiensem* in Brasilia.

710. — *S. CONGR. S. OFFICII*

Sectio de indulgentiis

A. *Determinantur indulgentiae concessae Foederi sacerdotali « Pro Pontifice et Ecclesia »* (A. A. S. 7 iul. 1913, 5, 305).

Indulgentiae. Facultates.

Die 12 iun. 1913 S. Pontifex determinavit indulgentias et facultates quibus instruuntur sacerdotes foederis « Pro Pontifice et Ecclesia ».

B. *Salutationi christianae per invocationem nominum Iesu et Mariae confirmatur annexa indulgentia* (A. A. S. 12 aug. 1913, 5, 364).

Indulgentia.

Die 26 iun. 1913 S. Pontifex confirmavit non perire indulgentiam salutationi christianae concessam (cf. PERIOD. VIII, p. 154), si addatur nomen Mariae, hunc in modum : « Laudetur Iesus et Maria. — R. Hodie et semper ».

711. — *S. CONGR. DE PROPAGANDA FIDE*

A. *Constituitur Missio « de Putumayo »* (A. A. S. 7 iul. 1913, 5, 308).

Missio.

Die 4 oct. 1912 S. Congr. de Propaganda Fide constituit Missionem « de Putumayo » pro Indis Americae meridionalis, territorio dismembrato a Praefectura S. Leonis de Amazonibus. Haec Missio concreditur Ordini Fratrum Minorum Unionis Leonianae, ad nutum S. Sedis.

B. *Erigitur Praefectura apostolica Insulae Formosae* (A. A. S. 12 aug. 1913, 5, 366).

Praefectura. Die 19 iulii 1913 prodiit decretum quo Insula Formosa cum insulis adiacentibus, Iaponicae dicioni subiectis, separatur a Vicariatu de Amoy et constituitur in Praefecturam apostolicam concreditam Fratribus Praedicatoribus Provinciae S. Rosarii Insularum Philippinarum.

C. *Immutantur fines Vicariatuum Fokiensis et Amoënsis* (A. A. S. 12 aug. 1913, 5, 367).

Fines. Die 19 iulii 1913 prodiit decretum quo pars Vicariatus Fokiensis adiungitur Vicariatui Amoënsi.

D. *Dividitur Praefectura apostolica Terrae Gulielmi* (A. A. S. 12 aug. 1913, 5, 368).

Divisio. Die 25 iul. 1913 prodiit decretum quo pars occidentalis Praefecturae Terrae Gulielmi in Nova-Guinea erigitur in novam Praefecturam, concreditam Patribus SS Cordium vulgo de Picpus. Altera autem pars « Terra Gulielmi orientalis » exinde vocabitur et remanet concredita Patribus Verbi Divini.

E. *Immutantur fines Praefecturae Kaffensis* (A. A. S. 27 sept. 1913, 5, 432).

Fines. Die 8 sept. 1913 prodiit decretum quo innovantur limites Praefecturae apostolicae de Kaffa in Africa.

F. *Erigitur praefectura Insularum Sundae Minorum* (A. A. S. 27 sept. 1913, 5, 433).

Erectio Praefecturae. Die 16 sept. 1913 prodiit decretum quo erecta declaratur Praefectura apostolica in insulis Sundae minoribus, concredita alumnis Societatis Verbi Divini de Steyl.

712. — *S. CONGR. DE PROPAGANDA FIDE*

Pro negotiis rituum orientalium

Rutheni in Canada. Die 18 aug. 1913 prodiit decretum quo statuuntur ad decennium mutuae relationes disciplinares inter clerum et fideles ritus latini et ritus rutheni in dicione Canadensi (A. A. S. 30 aug. 1913, 5, 393). Cfr. supra PERIOD. VII, p. 56. Visum est exscribere sequentia, quae mentem S. Sedis in similibus patefaciunt :

Art. 10. « De clero rutheno :... » non nisi qui se caelibatum perpetuo servaturos coram Episcopo promiserint, in Seminarium sive nunc sive in posterum admittantur, et non nisi caelibes ad sacros ordines in regione Canadensi exercendos promoveri poterunt.

Art. 11. Ad sacrum ministerium exercendum apud fideles rutheni ritus non admittantur sacerdotes nisi sint caelibes vel saltem vidui et absque liberis...

Art. 19. Caveant insuper sacerdotes rutheni ne iura (stolae et emolumenta sacri ministerii) a vere pauperibus exigant ; ac omnino vetitum est ea extorquere sub comminatione dilationis baptismi vel benedictionis matrimonii, aut fidelem solvendi incapacem excludere a quacumque sacra functione.

Art. 29. Omnibus fidelibus cuiusque ritus datur facultas, ut, pietatis causa, sacramentum eucharisticum quolibet ritu confectum suscipiant (etc. ad tramites Const. *Tradita ab antiquis*, v. supra PERIOD. VII, p. 12).

Art. 33. Ad vitanda gravia incommoda quae inde ruthenis evenire possent, facultas eis fit dies festos et ieiunia observandi iuxta consuetudinem locorum in quibus degunt. Attamen diebus dominicis et festis in utroque ritu in eandem diem incidentibus, sacrae liturgiae in ecclesia sui ritus, si in loco exsistat, rutheni interesse tenentur.

Art. 36. Matrimonia tum inter fideles mixti ritus, tum inter fideles ruthenos, servata forma decreti *Ne temere* contrahi debent.

Art. 37. Attamen matrimonia mixti ritus in ritu viri et ab eiusdem parocho erunt benedicenda.

Art. 38. Dispensationes matrimoniales in matrimoniis mixti ritus, si quae sint dandae vel petendae, dentur et petantur ab episcopo sponsae.

Art. 39. Nati in regione Canadensi ex parentibus diversi ritus, ritu patris sunt baptizandi ; proles enim sequi omnino debet patris ritum. »

— *S. CONGR. RITUUM*

A. *Causae beatificationis et canonizationis.*

Introductio.

Die 11 iun. 1913 S. Pontifex signavit Commissionem Introductionis causae Servi Dei Antonii Chevrier, fundatoris asyli « La Providence de Prado » in civitate Lugdunensi (A. A. S. 7 iul. 1913, 5, 309).

Introductio.

Die 13 aug. 1913 S. Pontifex signavit Commissionem Introductionis causae Servae Dei Bernadette Soubirous (A. A. S. 27 sept. 1913, 5, 434).

Cultus vetitus.

B. Die 26 aug. 1913 prodiit *Decretum* quo inculcatur vetitum deinceps vocandi *Venerabiles* Servos seu Servas Dei, cum Causa introducitur et quam diu non prodiit decretum super heroicitate virtutum vel super martyrio ; celebrandi sollemnia in ecclesiis occasione inchoationis processus seu causae introductionis ; habendi orationes panegyricas in honorem Servorum Dei nondum beatificatorum ; celebrandi sollemnia ad gratias Deo agendas etiam post editum decretum super heroicitate virtutum vel martyrio (qua tamen prohibitione non impeditur quominus in missis addatur, prout decet, collecta pro gratiarum actione). Insuper plura accurate praescribuntur quod ad instruendos processus beatificationis (A. A. S. 27 sept. 1913, 5, 436).

114 — *S. ROMANA ROTA*

Nullitas matrimonii ob condicionem substantiae contrariam.

A. Die 1 mart. 1913, S. Rom. Rota in causa Neo-Eboracen. Nullitatis matrimonii, inter Comitem Boni de Castellane appellantem et Annam Gould, statuit, suppletoria instructione peracta, sententiam Rotalem 9 dec. 1911 (cfr. PERIOD. VI, p. 195) esse infirmandam, seu constare de nullitate matrimonii propter appositam a muliere condicionem substantiae coniugii contrariam (A. A. S. 7 iul. 1913, 5, 312).

Nullitas matrimonii ob clandestinitatem.

B. Die 8 apr. 1913, S. Rom. Rota in causa Gratianopolitana, Nullitatis matrimonii, inter Mariam Reynier appellantem et Marcellum de Challonge, confirmavit sententiam rotalem 17 iul. 1912 (PERIOD. VII, p. 59) statuens non satis constare de nullitate matrimonii ex capite clandestinitatis (A. A. S. 27 iul. 1913, 5, 340).

Nullitas matrimonii ob errorem.

C. Die 16 apr. 1913, S. Rom. Rota in causa Ce-Li meridio-occidentalis, Nullitatis matrimonii, inter I. B. Wang et Anastasiam Sang, statuit constare de nullitate matrimonii ex capite erroris (A. A. S. 12 aug, 1913, 5, 372).

Fines.

D. Die 5 maii 1913, S. Rom. Rota in causa Florentina, Finium parochialium, inter Parochum ad S. Donati et Parochum ad S. Nicolai, statuit iurisdictionem parochialem competere Parocho ad S. Nicolai in controverso territorio (A. A. S. 30 aug. 1913, 5, 400).

Nullitas matrimonii ob clandestinitatem.

E. Die 22 apr. 1913, S Rom. Rota in causa Parisien. Nullitatis matrimonii, inter Lucianum Marguerith-Dupré et Carolam Scaparonne, statuit constare de nullitate matrimonii ex capite clandestinitatis, ante decretum *Ne temere* (A. A. S. 27 sept. 1913. 5, 439).

Nullitas matrimonii ob metum.

F. Die 30 april. 1913, S. Rom. Rota in causa Vicar. Novae Pomeraniae, Nullitatis matrimonii, inter To Bai et Ja Mamale, confirmans sententiam Vicariatus, statuit constare de nullitate matrimonii ex capite metus(A. A. S. 28 oct. 1913, 5, 464).

VII. — *SIGNATURA APOSTOLICA*

Donatio.

A. Die 27 iun. 1913, Signatura apostolica in causa Bononien. Donationis, inter Congregationem B. M. V. a Fulmine et Can. Mariotti conventum, confirmavit responsum S. Congr. de Religiosis 3 maii 1912, ut scil. Archiepiscopus Bononiensis libere decerneret ubi festum B. M. V. a Fulmine esset agendum, sed stricta obligatione teneretur invigilandi ut sors donationis integra servaretur et fructus integri impenderentur pro celebrando festo praedicto (A. A. S. 28 iul. 1913, 5, 355).

Nullitas matrimonii.

B. Die 23 iul. 1913, Signatura apostolica in causa Colonien. Nullitatis matrimonii, inter Ant. Hospelt et Aloisiam Bernardt, confirmavit sententiam rotalem 10 iun. 1912 (Period. VII, p. 59) et 27 aug. 1910 (Period. V, p. 295), scil. non constare de nullitate matrimonii, statuitque non esse locum circumscriptioni sententiae (A. A. S. 12 aug. 1913, 5, 379).

I. S.

BIBLIOGRAPHIA [1]

de Ghellinck (J.) S. J. *Le mouvement théologique du XII^e siècle*. Études, recherches et documents. Paris, 1913, Lecoffre Gabalda, 8°, 400 p. ; 7 fr. 50.

Vues d'ensemble et études de détail sur la codification théologique du XII^e siècle. — Exposé de divers événements de l'histoire littéraire de cette époque dans leurs rapports avec la théologie ou le droit canon.

Dirks, S. J. *Overwegingen over het lijden van O. H. Jezus Christus*, voor elken dag van de vasten. 1e deel. Leiden, 1913, 214 blz. 1 fr. 70.

Lehmkuhl, S. I. *Casus conscientiae*. Ed. 4^a correcta et aucta, 2 vol. 578 et 614 p. Friburgi Brisgoviae, 1913. — Eximium opus, quod laudare supervacaneum est, compluribus casibus novis auctum est et ad novissima decreta Romana exactum.

Lippert, S. J. *Het Jezuïtisme*. Psychologische studie over de Societeit van Jezus (vert. H. Kooyman, S. J.). Maastricht en Leuven, 1913 ; 136 blz. ; 2 fr.

Maturin, B. W. *Zelfkennis en zelfbeheersching* (vert. uit het engelsch). Brussel en Dendermonde. 3 fr. — Idem gallice : *Me connaître. Me discipliner* (trad. de l'anglais). Paris, Vic et Arnat, 1913, 207 p. 3 fr.

Salsmans, S. J. *Rechtelijke plichtenleer. Deontologia iuridica*. Brussel, Uitgave van « Ons Geloof » (Nieuwe Graanmarkt, 24), 1913 ; XVI-370 blz. ; 4,50 fr.

1e Hfd. Toerekenbaarheid. — 2e Hfd. Wet en Plicht. — 3e Hfd. Recht en Rechtvaardigheid. — 4e Hfd. Staatswetten en Rechtvaardigheid. Eigendom-bepalende wetten. — 5e Hfd. Kontrakten in 't algemeen. — 6e Hfd. Kontrakten in 't bizonder. — 7e Hfd. Schenking, erfopvolging, testament. — 8e Hfd. Beroepsplichten, algemeene en bizondere plichten der rechters, advokaten, enz.

Stein, O. F. M. *Tractatus de indulgentiis lucrandis*. Ed. altera, novissimis decretis accommodata. — Woerden (Holland) 1913 ; 72 p.

Van Bynum, S. J. *Handboek der kerkelijke geschiedenis*, voor inrichtingen van Hooger en Middelbaar Onderwijs. Malmberg, Nijmegen, 1913, 175 blz. ; 1 fr. 90.

von Keppler (Mgr.). *Gedachten en raadgevingen voor den kansel*. Vertaald door F. M. Hack, O. Cist. S. Nikolaas en Breda, 1913 ; 122 blz. ; 1 fr. 50.

Ex Periodicis

Collationes Brugenses. Iulii 1913. A. Van der Heeren : Apoc. VII : exponitur sensus visionis quae praecedit apparitionem septimi sigilli. A. De Smet : De modo agendi confessarii cum sacerdote paenitente quem in confessione reum reperit criminis sollicitationis. C. Callewaert : La durée et le caractère du carême ancien dans l'Église latine. IV. B. En Afrique. — Augusti-Septembris 1913. Requisita ad incurrendum casum reservatum falsae denuntiationis. — Quando, quomodo et quibusdam sub cautelis absolvere possit communis confessarius a dicto casu S. Pontifici reservato. — Le memento des vivants au Canon de la messe. — De nova Ritualis Romani editione. — Octobris 1913. Notanda quaedam utilissima

[1] Tous les ouvrages cités dans la Bibliographie sont en vente chez M. Beyaert Librairie, Bruges.

in ordine ad rite intellegenda opera scriptorum contemplativorum atque ipsam contemplationem divinam exercendam. De dono consilii (sq). A. Van der Heeren : Origines libri Psalmorum. E. Hosten : Quid sit dominium altum.

Collectiones Gandavenses. Iulii 1913. A. Standaert : Quomodo explorandus est « status liber » nupturientium ? O. Lejour : Quaenam tres condiciones intelleguntur quando dicitur indulgentia concessa sub condicionibus ordinariis? O. Lejour: De absolutione a casibus Romano Pontifici reservatis. Acta et documenta. — Octobris 1913. M. de Baets : Quelques mots au sujet des rapports entre l'ascétique et la mystique : contemplation ascétique ; contemplation mystique.

Ilustración del Clero. 16 de Junio de 1913. Actas de la Curia Romana. Disposiciones del poder civil : Sobre celebración de matrimonios. F. Orue: Provisión de beneficios curatos inferiores de patronato particular laico en España. — 1 de Julio. Actas de la C. Rom. J. Postius : Sobre la unidad y pluralidad de Catecismos. E. M. Garcia : El matrimonio de los castrenses — 16 de Julio. Resena del primer congreso catequistico nacional. Congregación de la doctrina cristiana. — 1 de Agosto. Actas de la Curia Romana. E. Bilbao : Hipótesis de las dos fuentes. Fomento de vocaciones ecclesiásticas : procedimiento del V. P. Juan Bosco. F. Naval : Las cofradias y el parroco (Concl.) — 16 de Agosto. Actas de la Curia Romana. P. Casanueva : Collecion autentica de decretos de la S. C. de R. : Vol. VI o Apend. I. E. Bilbao: Autenticidad de los Hechos Apostolicos. J. Postius: Fomento de vocaciones ecclesiásticas : Medios prácticos del orden espiritual. — 1 de Septiembre. Actas de la Curia Romana. E. Bilbao : Autenticidad las pastorales de San Pablo. P. Casanueva : Los regulares y la dedicación de la catedral. — 16 de Septiembre. Actas la Curia Romana. F. Orue : De la materia del sacramento de la extremaunción. — 1 de Octobre. E. Bilbao. Homonogeidad de los Hechos.

Le Canoniste contemporain. Juin 1913. A. Villien : La procédure canonique pour l'expulsion des religieux (suite). A. Boudinhon : Les lois canoniques sur les confesseurs de religieuses (suite). Acta S. S. — Juillet-Août. A. Villien : La réforme de la Curie romaine. La S. C. de la Propagande. A. Boudinhon : Les lois canoniques sur les confesseurs de religieuses (fin).

Resena eclesiastica. Mayo de 1913. M. Alujas : Las conversiones de Caldey. L. Gomis : Las *Boy-scouts* espanoles desde el punto de vista catolico. J. Comella : Real orden sobre la asistencia del parroco y del puer municipal a los matrimonios. — Junio. Isidro Gonia : Comentario al Decreto de la Comisión Pontificia « de Re Biblica » de 26 de Junio de 1912 (cont.). M. Alujas : Movimiento litúrgico belga. F. Roldan : El Congreso Eucaristico de Malta. — Julio. Obispo de Jaca : La prensa, obra social del clero. J. Zaragüeta : El método empirico en psicologia. M. Alujas : Movimiento litúrgico belga (II). — Agosto. Mestres. El Congreso catéquistieo nacional de Valladolid. A. Schmid - L Brugada : Del Via Crucis y de la facultad de erigirlo.

Revue ecclésiastique de Liége. Juillet 1913. A. Knoch : Le jeune homme chaste. H. Merkelbach : Mater Dei. G. S. : De subiectione regularium erga Ordinarios. — Septembre 1913. Pour les collégiens en vacances. E. Leroux : L'œuvre servile interdite les dimanches et les jours de fête.

SUPPLEMENTA

SUPPLEMENTUM UNDEVICESIMUM

VICARII APOSTOLICI ET PRAEFECTI APOSTOLICI MUNUS, POTESTAS ET SPECIALES OBLIGATIONES

CAPUT I. De Vicario Apostolico

ART. I. Vicarii Apostolici munus

Ipsa muneris ratio. — Auctor Ecclesiae *catholicae,* Christus Dominus duplicem provinciam apostolis legavit: provinciam convertendi mundum: *Euntes, docete omnes gentes* [1], et provinciam pascendi conversos: *Docentes eos servare quaecumque mandavi vobis* [2]. Ac, postquam Spiritu Sancto repleti sunt, Apostoli, dicto Domini oboedientes, evangelium praedicare et fideles ad vitam et mores christianos informare coeperunt. In quibus initiis, praedicatio primas partes obtinere debuit, ita ut mox per plures constitutos episcopos apostoli cotidianis fidelium necessitatibus consulere coeperint, quo melius ipsi dilatando Christi regno operam dare possent. Catholica praeterea traditione novimus episcopos non tantum apostolorum adiutores fuisse, sed etiam in locum et ordinariam apostolorum potestatem divinitus suffectos esse, secundum haec: « vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei [3]. » Quamvis autem propagandae fidei cura episcopale munus ingrediatur, ipsa historica origine, potestatis finibus et rerum ecclesiasticarum progressu, factum est ut episcopi ad pascendum gregem potius quam ad gregem amplificandum se converterint. Ipsa, inquam, historica *origine,* cum apostoli suam regendae ecclesiae sollicitudinem in ipsos transtulerint; potestatis *finibus,* cum brevi factum sit ut ultra definitum territorium episcopi nihil possent; et ipso demum rerum ecclesiasticarum *progressu,* cum in circumscripto territorio, post pacem Ecclesiae constitutam, fere non nisi christiani invenirentur.

---

[1] Ev. S. Matth. 28, 19.
[2] Ev. S. Matth. 28, 20.
[3] Act. 20, 28.

Contra, cum plenitudo apostolatus in Romanum episco pum qui, hac etiam ratione, *domnus apostolicus* vocar potest, derivata sit, is, aequali studio, oves et agnos pascere et alias oves quas Christus habet [1] in ovile adducere debet Quare, postquam, detecta altera terrae parte, novae gentes in umbra mortis sedere visae sunt, successor Petri ad eas convertendas animum applicare debuit. In quo immenso opere exantlando, et S. Congregatione Propagandae Fide et Apostolicis Missionum Vicariis tamquam auxiliariis dele gatis uti consuevit.

Historica muneris origo. — Ex antiquiore memoria nomen *Vicarii Apostolici* repetendum est. Cum enim, in ipso iure romano, titulus *De Officio vicarii* [2] occurrat, et *vicari praefecti praetorio* vocarentur qui *dioeceses* [3] administrarent pronum fuit ut Supremus Ecclesiae Pastor, pro aliqua suae sollicitudinis parte, sibi vicarios deligeret. Sic a priscis tem poribus, potiores quidam episcopi, v. gr. sedis Thessaloni censis, vices Sedis apostolicae agere permissi sunt : qu idcirco *Vicarii Apostolici* dicebantur. Deinde, immediata iurisdictio quam in omnes ecclesias particulares S. Pontifex sortitur, effecit ut propter specialia adiuncta sedis diu vacan tis vel impeditae, aut male factae designationis Vicarii capi tularis, S. Pontifex episcopo defuncto, absenti, impedito *vicarium* designaret qui, ab origine potestatis suae, nomen *Vicarii Apostolici* mutuatus est [4]. Hac ratione, saeculo XVII plures Hiberniae dioeceses a Vicariis apostolicis regebantur dum aliae eiusdem dicionis regiones ordinarios episcopos servabant [5].

Regionibus infidelium prius per episcopos et superiores religiosos sive Generales sive, ab his distinctos, missionum Praefectos, consultum est. Sic Indiae Occidentales, Iaponia suos ab initio pastores Ordinarios obtinuerunt [6]; et Ordi narii Indiarum in Sinensium imperium suam iurisdictionem explicuisse videntur [7]. Iuxta episcopos vel, his deficientibus missionarios religiosos a Generali deputatos habes v. gr. in brevi *Cum sicut,* URBANI VIII, 5 apr. 1634 [8].

Demum, in medio saec. XVII, nova ratio apparet episco

---

1 Ev. S. Ioann. 10, 16.

2 Cod. I, 38.

3 Dioeceses vocabantur eas imperii romani partes in quas a CONSTANTINO MAGNO praefecturae divisae sunt.

4 Cfr. WERNZ, *Ius Decretalium,* t. 2, n. 704. 705.

5 Cfr. Breve *Volentes,* URBANI VIII, 7 maii 1626. *Ius pontificium de Prop. Fide* pars I, t. 1, p. 60.

6 Cfr. v. gr. Brevia URBANI VIII, *Romanus Pontifex,* 20 oct. 1626; *Alias felicis* 7 ian. 1627. *Ius pont. de Prop. Fide,* p. I, t. 1, p. 65-67.

7 Anno enim 1674, brevi *In apostolicae,* 7 iun. 1674, CLEMENS X Vicarios apostolico apud Sinenses a iurisdictione Ordinariorum Indiarum eximere debuit.

8 *Ius Pontif. de Prop. Fide,* p. I, t. 1, p. 160.

porum-vicariorum apostolicorum, id est episcoporum qui, collato titulo ecclesiae in haereticorum vel paganorum potestate constitutae, a residentia in propria sede dispensabantur, ut missionibus alius regionis praeficerentur. In monumentis S. Congr. de Propaganda Fide primum Vicarii Apostolici exemplum occurrit anno 1650. Tunc, brevi 17 dec. 1650, Innocentius X, defuncto praefecto missionum Barbariae successorem dedit Philippum Le Vacher, presbyterum Congregationis Missionum, eumque in oppido Iuliae, vulgo Algerii, Vicarium Apostolicum constituit [1]. De titulo sedis episcopalis, de consecratione episcopali suscipienda, nulla tamen mentio ibi habetur. Anno proxime sequenti, 4 dec. 1651, idem Pontifex, brevi *Christifidelium*, episcopum Bellegradensem Vicarium apostolicum fecit ad regendas ecclesias Hungariae quae, sub Turcis, episcopum residentialem non habebent. Sed haec Vicarii Apostolici ratio potius ad genus iam pridem exsistens referenda est. Denique, brevi *Super cathedram*, 9 sept. 1659, Alexander VII plenum novae disciplinae initium vel fecit vel commemoravit, cum episcopum Heliopolitanum Vicarium Apostolicum in regno Tunkini instituit, episcopum autem Berytensem Apostolicum Vicarium Cocincinae memorat et tertium episcopum mox pro Vicariatu Nankini mittendum nuntiat. Dictus autem Vicarius Apostolicus constituitur donec a S. Congr. de Prop. Fide aliter mandatum aut dispositum sit, nec a residentia in Heliopolitana ecclesia formaliter dispensatur. Sed iam eodem anno 1659, dispensatio illa legitur in brevi *Pro commissa*, quo commissarius apostolicus potestatem accipit cooptandi, pro spirituali administratione dioecesis Angamalensis, duos sacerdotes in Vicarios Apostolicos, praemissa consecratione episcopali et assignata ecclesia in partibus infidelium. Atque additur, § 2 « Ceterum praefatis episcopis a te ordinandis et eorum cuilibet, ut ipsi ad ecclesias quibus eos respective praefeceris, quam diu illae ab infidelibus detinebuntur, accedere et apud illas personaliter residere nullatenus teneantur, ex nunc prout ex tunc, auctoritate et tenore praefatis concedimus et indulgemus [2]. » Hic tamen agitur de Vicariis Apostolicis qui dioecesi proprie dictae pro episcopo demortuo vel impedito constituuntur. Verum paulo post, brevi *Onerosa*, 4 febr. 1664, eodem clausularum tenore episcopis Heliopolitano et Berytensi permittitur ut amborum alteruter superstes Vicariatum Apostolicum provinciarum Sinensium digno sacerdoti committat [3].

---

1 Ibid. p. 279.
2 Ibid. p. 318.
3 *Ius Pontif. de Propaganda Fide*, p. I, t. 1, p. 340.

Quid Vicarius Apostolicus de quo agimus differat ab aliis Vicariis Apostolicis et ab Episcopis residentialibus. — Quamvis qui sedem episcopalem vacantem vel impeditam administrat, et qui regionem administrat ubi nullus episcopus esse solet, ambo *Vicarii Apostolici* nominentur, nomen ipsum aliter in altero casu explicandum videtur. Prior enim pro episcopo administrat, vices episcopi agit, est episcopi vicarius; et apostolicus dicitur tantum quia a S. Pontifice designatus est. Alter, contra, nullum episcopum sed Summum Pontificem repraesentat: in aliqua regione infideli vicarius est Papae, qui ibi per eum suo munere dilatandi regnum Christi fungitur. Hinc bifariam apostolicus est, et quia a Papa constituitur et quia Papae vices agit.

Ab Episcopo residentiali differt eo quod ecclesiam cuius sponsus est nullo modo administrat et regit, sed in territorio non suo munus amplificandae fidei exercet. Praeterea dum Deus ipse statuit ut in Ecclesia sua hierarchia episcopalis exsisteret, institutio Vicariatuum apostolicorum omnis ab ecclesiastica potestate proficiscitur.

Corollaria. — 1. Hinc fit ut, ex ipsa Ecclesiae voluntate, Vicarius Apostolicus non ex iustitiae debito sed ex caritate operam suam spiritualem impendat. Hoc non tantum de infidelibus, qui iure ad sacramenta habenda frui non possunt, sed etiam de conversis et baptizatis valet. Id est, omnis Christianus, ex quo quis Ecclesiam ingressus est, Summum Pontificem tamquam ordinarium et immediatum Pastorem nanciscitur, ita ut ad pastoralem ipsius sollicitudinem seu vigilantiam, per actus sane ipsi muneri consentaneos, ius verum acquisierit. Verum, pro maiore fidelium utilitate, in ipsa Ecclesia catholica coetus minus ampli, seu particulares ecclesiae institutae et, secundum voluntatem Christi, instituendae sunt, quibus perpetuo vinculo tamquam sponsus et praefectus sacerdos quidam coniungitur. Sacerdos iste, pastor ordinarius et immediatus, episcopus dicitur. Ecclesiam istam ex religionis et iustitiae debito tamquam suam administrare debet. Sed in regionibus quae a Vicariis Apostolicis de quibus sermo nunc fit reguntur, ecclesiae istae nondum constitutae sunt, nullo religionis sacramento sibi devinctum sacerdotem habent. Is proin, dum munus suum exercet, Summo Pontifici oboedientiam et fidelitatem pollicetur, spiritualem caritatem erga gentem administratam exhibet, strictae autem iustitiae officia explenda non habet [1].

---

[1] Id in actis S. Sedis expresse declaratum non habemus. Sed ex natura rei argumentamur et ex responso Prop. Fidei, 17 aug. 1866, quo responsum est Vicarios et Missionarios apostolicos non debere ex iustitia pro populo celebrare, quamvis *deceat* ut ex *caritate* faciant. *Ius Prop. Fid.* p. II, t. 1, p. 672.

2. Quamvis Episcopus et Vicarius Apostolicus, in suo quisque territorio, fideles pascere et infidelium conversioni operam dare debeant, ab Episcopo prius observandum est ut, pro muneris sui natura, gregi suo debitum ex iustitia cibum spiritualem convenientem offerat, dum Vicarius Apostolicus ad caritatis legem immediate respicere potest.

Caritas autem *necessitatis* gradum, *indigentium* numerum, et, in pari causa, *proximitatem* observat.

Nondum conversi autem, in vicariatibus apostolicis, multi sunt et in gravi spirituali necessitate versantur. Iam vero, secundum theologorum moralium placita, gravis necessitas multitudinis, extremae singulorum aequiperatur. Quare ordo caritatis postulat ut de tali necessitate levanda prius cogites quam de procuranda abundantiore utilitate spirituali eorum qui proximiores sunt, id est fidelium seu christianorum.

Itaque Vicarii Apostolici in primis sunt missionum Superiores et dilatando evangelio principalem operam suam dare debent. Quare a CLEMENTE X, brevi *Apostolatus officium*, 23 dec. 1673 synodus Tunkinensis approbata est, cuius decreta sic exordiebantur : « Ex quo datum est nobis in Tunchinense regnum ingredi, id unum prae animo habuimus, ut maiorem Dei gloriam, ac infidelium conversionem promoveremus [1]. »

Quare et per se ipsi et per missionarios suos id efficere, id saltem conari debent, ut in suo vicariatu quam plurimi salvi fiant. Nec in hoc studio retardari debent timore ne personae iam baptizatae minorem occasionem habeant audiendi verbum Dei, accedendi ad sacramenta : namque, etiam si christiani detrimentum quodpiam spirituale inde passuri sint, satius tamen est et secundum caritatis leges, efficere ut omnes necessaria habeant quam ut pars abundet. Et si dolendum quidem est catholicos minus bene vivere, magis dolendum sane foret, multos homines sine baptismo vel fide interire.

3. Dum Episcopus *ordinaria* potestate fruitur et iure proprie dicto suam ecclesiam possidet, ita ut de iniuria conqueri possit qui sine causa gravi et proportionata invitus removeretur, Vicarius Apostolicus est ad nutum S. Pontificis amovibilis ; et, nisi tertiam iurisdictionis speciem, id est mandatam vel vicariam, invehere malueris, iurisdictio eius proprie *delegata* dicenda est (WERNZ, t. 2, n. 545). Quod tamen non impedit quin secundum recentiorem disciplinam inter *Ordinarios* ponendus sit. De qua re formalem S. Officii declarationem habemus.

Vicarii Apostolici definitio. — Ex modo factis considerationibus Vicarius Apostolicus, in hodierna disciplina, des-

---

1 *Ius Prop. Fid.* p. I, t. 1, p. 429.

cribi potest : *Praelatus ecclesiasticus, episcopali ordine per se honoratus, qui, in regione ubi hierarchia ecclesiastica vel numquam exstitit vel nondum restituta est, ad munia apostolica exercenda vices S. Pontificis agit.*

Vicarii Apostolici dotes opportunae. — Praeceptivas adhortationes hoc loco exscribere iuvat quibus iam anno 1659 S. Congr. de Propaganda Fide primos Vicarios Apostolicos, ex Societate Missionum ad exteros, de mente et spiritu quo munus suscipere et exercere deberent instructos esse voluit.

« Hoc in primis curandum vobis est ut inter plurimos, magno studio perquiratis ac secernatis viros aetate ac corporis valetudine sustinendis laboribus idoneos ; tum vero, quod pluris est, non mediocri caritate ac prudentia insignitos ; quas virtutes, non aliorum iudicium et coniectura, sed diuturnus rerum usus et experientia aliis in muneribus cum laude peractis probaverit ; qui secretorum sint capaces tenacesque custodes, qui gravitate morum, comitate, mansuetudine, humilitate, patientia et omni virtutum exemplo, christianae fidei, quam ore profitentur, opere astipulentur ; qui denique ad evangelicae caritatis normam efformati, aliorum sese ingenio ac moribus accommodantes, nec sociis quibuscum vixerint graves, nec exteris invisi ingratique reddantur, sed cum Apostolo fiant omnia omnibus.

« Nolite ullo pacto molesti esse populo ob temporalia, memoresque estote paupertatis Apostolorum, quorum manus subministraverunt necessaria sibi et iis qui secum erant. Ut multo magis vos illorum aemuli et imitatores, victu et vestitu contenti, abstineatis ab omni turpi quaestu, exigendis eleemosynis, corradendis pecuniis, donis atque muneribus ; et si quid etiam renuentibus obtrudant, ipsis qui dedere inspectantibus, dispergite pauperibus, scientes nihil magis populis admirandum videri, eorumque oculos convertere, quam rerum temporalium despicientiam et evangelicam paupertatem, quae supra humana et terrena omnia sese extollens, thesaurizat in caelo... Nullum studium ponite, nullaque ratione suadete illis populis ut ritus suos, consuetudines et mores mutent, modo non sint apertissime religioni et bonis moribus contraria. Quid enim absurdius quam Galliam, Hispaniam, aut Italiam, aut aliam Europae partem in Sinas invehere ? Non haec, sed fidem importate, quae nullius gentis ritus et consuetudines, modo prava non sint, aut respuit aut laedit, immo vero sarta tecta esse vult.

« Et quoniam ea paene est hominum natura, ut sua, et maxime ipsas suas nationes, ceteris et existimatione et amore praeferant, nulla odii et alienationis causa potentior exsistit, quam patriarum consuetudinum immutatio, earum maxime quibus homines ab omni patrum memoria assuevere, praesertim si, abrogatarum loco, mores tuae nationis substituas et inferas. Itaque numquam usus illarum gentium cum usibus Europaeorum conferte, quin immo vos illis magna diligentia assuescite.

« Admiramini et laudate ea quae laudem merentur ; quae vero laudis expertia sunt, ut non sunt praeconiis, assentatorum more, extollenda, ita prudentiae vestrae erit de his aut iudicium non ferre, aut certe non temere et ultro damnare ; quae vero prava exsistant, nutibus magis et

silentio quam verbis proscindenda, opportunitate nimirum captata qua, dispositis animis ad veritatem capessendam, sensim sine sensu evellantur... Si quis regum, principum, magistratuum, potentiumque, inspirante Deo, benevolam in vos mentem ostendat aut benignam erga Christianam Religionem propensionem exhibeat, grati estote; sed, ad cavendam invidiam, nolite poscere privilegia, exemptiones, insueta tribunalia; eorum vero iurisdictionem nullo modo imminuite. Si quod obtinueritis quod nec odiosum sit et in augmentum Religionis cedat, id non iure suo impetratum esse iactitate, sed ex mera Principum benignitate profectum; et hoc omnino fugite ut sibi, rebusque suis, vel minimum a vobis timeant; quare suspicionum omnium vel ipsas umbras evitandas esse arbitrandum est.

« Tam longe semper abestote a rebus politicis negotiisque status, ut civilium rerum administrationem, ne quidem rogati et enixis precibus fatigati, suscipiatis: quam semper rem sacra haec Congregatio et serio et districte prohibuit et porro prohibebit. Quare vobis et vestris idipsum est diligentissime cavendum; et hoc vobis certissime persuasum sit, rem S. C. molestissimam facturum eum quicumque se rebus huiusmodi ingesserit, aut etiam immisceri se siverit; neque id modo, cum res cedit in detrimentum Religionis et in distractionem missionariorum, verum etiam tum quoque cum certissima spes affulget indidem Religionem augendi, et fidem longe lateque propagandi.

« Neque vobis, hac in parte, quidquam suffragabitur aliorum licet religiosorum hominum exemplar, quod fortasse in excusationem vestram adduxeritis: vos eo contra illis exemplo praeite, ut ex vobis et illi et populi S. Sedis mentem ediscant. Verbum enim Dei non his artibus, sed caritate, rerum humanarum contemptu, modestia, frugalitate victus, patientia et oratione, aliisque virorum apostolicorum virtutibus disseminandum est. Immo vero data opera curate ut intellegant omnes, quam longe absint a S. Congregationis mente similia, et quam districte et serio suis missionariis prohibeat, quove stomacho excipiantur, si quae huiusmodi ex missionariorum relationibus advenerint.

« Itaque noverint atque depraedicent vos ac vestros a similibus plurimum abhorrere nihilque praeter spiritualia animarumque salutem intendere; vestrosque labores, desideria et mentem, ad caelestia dumtaxat, omnibus aliis exclusis, directam esse.

« Quod si quem ex vestris in absurditatem eiusmodi prolabi senseritis, nulla interposita mora, ex missionibus dimittite atque expellite; nihil enim in vestram perniciem aptius, et ad Dei causam, quam prae manibus habetis, doctrina [1] excogitari potest.

« Si tamen Principes consilia quandoque vestra exquisierint, non nisi multoties rogati, et prohibitionem hanc nostram causati, dabitis ea quae fidelia sunt et iusta, aeternitatemque sapientia; mox vero curiam aulamque relinquite et in dioeceses vestras discedite, functionibus sacris vacaturi; et potius quam illic remaneatis, fingite omnimodam rerum politicarum

---

[1] Sic tum in *Ius Pontif. Prop. Fid.* p. II, t. 1, p. 116; tum in *Collectanea Prop. Fid.* n. 135, p. 42 ed. 2, legitur. Vox tamen aliqua v. gr. *ista* excidisse hoc loco videtur; et omnis paragraphus immediate superiori male cohaeret, ita ut paragraphum intermediam excidisse suspiceris.

insipientiam et civilis administrationis ineptitudinem, ut, bona ipsorum venia, quam ocissime egrediamini ex loco periculis pleno.

« Populis vero praedicate oboedientiam erga Principes, etiam discolos, pro quorum prosperitate et salute, tam privatim quam palam, Deum ex animo orate, illorumque actiones, etiam persequentium, nolite carpere, nec severitatem arguite, nec quidquam in iis reprehendite; sed in patientia et in silentio tempus consolationis a Domino praestolamini.

« Factiones ullas in eorum regionibus, sive Hispanorum, sive Gallorum, sive Turcarum, sive Persarum similiumve, nolite ullo pacto seminare; immo vero omnes huiusmodi contentiones, quantum in vobis est, radicitus tollite.

« Quod si quis vestrorum missionariorum haec monitus, non tamen a similibus abstinuerit, nulla interposita mora, in Europam dimittite, ne sua imprudentia negotia Religionis tanti momenti in periculum adducat... In praedicatione verbi Dei et in administratione Sacramentorum, nolite ullam tumultus et rebellionis suspicionem creare ex contionis et coetuum frequentia; sed hoc curate diligenter ut christiani, ad sacra vobiscum facienda, conveniant magna cum modestia, nec in eorum conventibus quidquam nisi sacrum pertractari sinitote, et omnino prohibete ne de rebus ad publicam rem spectantibus illa occasione agatur... Nec vos, nec vestri, ullius lateri continenter adhaereatis, aut ita obnoxii sitis cuiquam, maxime ex potentioribus, ut illi uni, non toti provinciae, subservire videamini; quare, nolite vos sinere nimiis, sed insidiosis, beneficiis devinciri quae non modo communi bono officiant, sed etiam libertatem loquendi et vitia ipsius benefactoris reprehendi impediant. »

Art. II. **Vicarii Apostolici Potestas**

De solis Vicariis apostolicis quos modo descripsimus nos hoc loco agere satis perspicitur. Sed ipsa historica ratio qua ad constituendos istos Vicarios ventum est demonstrat non statim ab initio eorum potestatem eam exstitisse et cognitam esse qualem eam nunc definire possumus. Lentis incrementis et pluribus declarationibus opus fuit ut iuridica Vicarii Apostolici persona perficeretur, et principium quodpiam enuntiari posset unde varia corollaria de ipsa potestate eruerentur.

Quare circumspecte etiam responsis S. Sedis utendum est, et dies qua prodiere valde attendendi sunt, cum plura ad obsoletam disciplinam respectum habeant.

Itaque, his praepositis, iam hodie hae regulae generales de Vicarii apostolici potestate proferri possunt :

Principium I. — *Vicarius Apostolicus, sub Papa et S. Congregatione de Propaganda Fide, Vicariatum solus auctoritate delegata administrat, ac pro regendo Vicariatu, in foro tam interno quam externo, quae iure ordinario potest Episcopus, eadem Vicarius Apostolicus potest.*

Sub Papa, inquam, et *S. Congregatione de Propaganda*

Fide. A primis enim initiis Vicarii Apostolici ita constituti sunt ut ad nutum S. Congregationis removeri possent. Et ex actis S. Congregationis cotidiana sollicitudo demonstratur, qua iudiciis, monitis, consiliis, adhortationibus et reprehensionibus idem Cardinalium coetus Vicariis apostolicis adesse consuevit.

Vicarius Vicariatum solus auctoritate sua administrat. Id est, gubernatio Vicariatus, qua talis, nec ad Episcopum sive vicinum sive titulo administratae regionis forte insignitum, nec ad Superiorem regularem etiam maiorem Instituti cuius Vicarius alumnus fuerit, ulla parte pertinet. Quare, brevi *In Apostolicae* 7 iun. 1674, CLEMENS X Vicarios apostolicos apud Sinas, « ab omnimoda iurisdictione omnium Ordinariorum in provinciis sibi assignatis [1] » exemit et prorsus liberavit: quod breve factum est postulante S. Congr. de Prop. Fide, 5 april. 1674 [2]. Decreto autem magis generali 14 feb. 1702, S. C. de Prop. Fide omnem interventum Episcopis aut aliis Ordinariis, et omnem independentem a Vicario Apostolico administrationem sacramentorum vel munerum parochialium omnibus Missionariis « sive saecularibus sive regularibus, etiam Societatis Iesu » penitus interdicit [3].

Auctoritate delegata administrat, cum in ecclesia sua non versetur. Quam delegationem a Papa acceptam esse supra iam explicavimus.

Pro regendo Vicariatu quaecumque iure ordinario potest in sua dioecesi Episcopus eadem in Vicariatu Vicarius potest. Hac generali ratione expressam potestatem in fontibus authenticis nusquam reperies. Immo 22 mart. 1669, S. C. de Propaganda Fide ad 3 negavit a Vicario Apostolico simpliciter, tamquam Vicarium et administratorem Apostolicum, ieri posse quae Episcopo in sua dioecesi competunt [4]. Verum, praeter quam quod responsio ista diem haudquaquam recentem habet, interrogatio nimis generalis erat, cum inter ordinariam administrationem Vicariatus et extraordinariam potestatem quae a Conc. Tridentino episcopis in exemptos concessa est nullatenus distingueret. Temperata autem nostra formula tum ex concessa vicariatus administratione, tum ex variis actibus quos posteriora S. Sedis responsa Vicariis licere statuerunt facile colligitur et a scriptoribus, v. gr. ZITELLI [5], et WERNZ [6] agnoscitur.

---

1 *Ius pontificium de Prop. Fide*, p. I, t. 1, p. 450.
2 Ibidem, p. II, t. 1, p. 189.
3 *Collectanea S. C. de Prop. Fide*, n. **253**, t. 1, p. 86, ed. 2.
4 *Collectanea S. C. de Prop. Fide*, n. **178**, t. 1, p. 56, ed. 2.
5 *Apparatus iuris ecclesiastici*, etc. p. 128, ed. 2.
6 *Ius Decretalium*, t. 2, n. 701.

Tamquam corollaria istius principii, haec Apostolico Vicario definite ascribi possunt :

a) In foro *interno* facultatem approbandi pro confessionibus audiendis sacerdotes tam saeculares quam regulares, idque post examen vel sine examine, additis vel omissis consuetis restrictionibus. Quare :

b) In eodem foro, sibi reservare casus potest ; et casus quos ius commune, v. gr. C. *Apostolicae Sedis,* 12 oct. 1869, episcopis seu Ordinariis reservat, Vicario in suo Vicariatu reservati censentur.

c) Subditis sacramenta conferre potest, non excepto Ordine sacro, dummodo eosdem titulo ordinationis vel munitos norint vel munire possint.

d) Preces publicas et ieiunia imperare et reliqua peragere potest quae ad cultum divinum augendum et conservandum inter fideles sibi commissos facere possunt.

Ut id exemplis illustremus, reliquias recognoscere, imagines approbare vel reprobare, processus de novis miraculis et de martyribus instituere : quae Clemens IX brevi *Specutatores*, 13 sept. 1669 [1], Vicariis Apostolicis apud Sinas diserte concessit, omnes Vicarii Apostolici posse dicendi sunt.

e) Statuta pro Vicariatu condere et abrogare possunt, idque extra vel intra synodum, quam proin convocare possunt. Hinc iam anno 1670, 14 febr. synodus in Tunchino a Vicario Apostolico celebrata est, quam brevi *Apostolatus officium*, die 13 dec. 1673, Clemens X confirmavit.

f) Personas sibi subditas *praeceptis* et *censuris* ligare et coercere possunt. Proinde eadem quae Episcopus potest clericis in vestitu, moribus, etc. praescribere ipse Vicarius potest.

g) In foro *externo* causas ecclesiasticas S. Sedi non reservatas in 1ª instantia iudicare vel aliis clericis eadem iudicia delegare possunt.

h) In *delicta* fori ecclesiastici, inquisitione, iustis poenis salva debita personarum exemptione, animadvertere potest.

i) Bonorum ecclesiasticorum, quae ad exemptos seu religiosos non pertineant, ipse curator et administrator est. Quaenam autem ad religiosos seu exemptos pertineant, cfr. Supplementum XVII. *De temporalium bonorum possessione... in missionibus exteris* [2]. In qua administratione oportet ut tum ad Extravagantem *Ambitiosae,* de bonis ecclesiasticis non alienandis, tum ad sibi factas facultates sedulo attendat.

Principium II. — *Ea facere vel requirere nequit quae Episcopo non competunt facienda vel requirenda nisi iure extraordinario vel in sua dioecesi.*

[1] *Ius Pont. de Propaganda Fide,* p. I, t. 1, p. 399.
[2] Periodica t. 6, p. (1) ss.

Ratio principii est quia extraordinaria episcoporum potestas ex provincia administrandi vicariatus colligi nequit, et Vicarius apostolicus in propria sua dioecesi non versatur. Quare :

a) Quae iure Tridentino episcopis tamquam *delegatis Sedis apostolicae*, praecipue in regulares, committuntur ad Vicarios apostolicos transferri non possunt.

b) Nec Ecclesiam *cathedralem* nec capitulum canonicorum habent. Quare nec honorarios *canonicos* instituere poterunt. (S. C. Prop. Fid. 27 nov. 1858.)

c) Dum sacris sollemniter operantur, septimum candelabrum accendendum non est ; nec crux ante ipsos ferenda est ; nec pontificalis sub aulaeo sedes *(le trône)* ipsis paranda est ; nec cappam magnam induere possunt ; nec in canone [1] nec in versiculo precum : « Oremus pro antistite nostro N. » [2] nominandi sunt ; nec anniversaria eorum consecrationis dies oratione in Missa commemoranda est [3]. Haec omnia enim dioecesani episcopi, in propria dioecesi, honorifica iura sunt.

Sed ex positivo S. Sedis privilegio vel ex ipsa legitime praescripta consuetudine talia Vicario Apostolico advenire posse non negamus [4]. S. Sedes sic satis facile concedere solet ut Vicarius apostolicus in canone nominari possit.

Principium III. — *Potestas Vicariorum apostolicorum praeterea aestimanda est ex litteris apostolicis, quibus amplas, immo ampliores Episcopis dioecesanis facultates obtinere solent.*

De his facultatibus haec, ex decreti S. C. S. Officii, iam tenenda sunt :

a) Facultates omnes *habitualiter* concessae, quo nomine veniunt etiam facultates ad certum numerum casuum restrictae, morte vel suspensione a munere non suspenduntur, sed ad successores in officio vel munere reipsa traductae censentur. Cfr. resp. S. Officii 24 nov. 1897 [5].

b) Facultates omnes *Ordinariis* concedi consueverunt. « Appellatione autem *Ordinariorum* venire episcopos, administratores seu *vicarios apostolicos*, praelatos seu praefectos habentes iurisdictionem cum territorio separato, eorumque

---

[1] Cfr. resp. 16 febr. 1867. *Coll. Prop. Fid.* t. 2, n. 1304, ed. 2.

[2] Cfr. decr. 22 mart. 1912 ad IV. (PERIODICA, t. 6, p. 205. 206.) Sed nominatio in canone et nominatio in versiculo pari passu procedunt, ita ut si alterutrum ex usu vel indulto concedatur, alterum simul haberi existimandum sit. Cfr. cit. decr. 22 mart. 1912.

[3] Cfr. resp. 11 iul. 1853. *Coll. Prop. Fid.* n. 127, ed. 1.

[4] Cfr. cit. resp. 16 febr. 1867.

[5] ANALECTA ECCLESIASTICA, t. V (1897), p. 483 vel NOUV. REV. THÉOL. t. 30, p. 200 ; t. 31, p. 506 ss. ; t. 33, p. 89 et 91.

officiales seu vicarios in spiritualibus generales, et, sede vacante, vicarium capitularem vel legitimum administratorem », S. C. S. Officii 20-22 april. 1898 declaravit [1].

c) Facultates istae subdelegari possunt, nisi in ipsis facultatibus subdelegatio prohibeatur, vel quibusdam tantum personis fieri posse declaretur. Id S. C. S. Officii 14-17 dec. 1898 [2] de episcopis dioecesanis definivit. Sed ex principio nostro I et ob causae paritatem, declarationem istam ad Vicarios apostolicos transferre possumus.

d) Diem habent ex quo a Vicario receptae sunt. Et si, bona fide, congruo tempore renovatae non fuerint, censentur prorogatae donec a S. Sede, quae statim adeunda est, de re statuatur. Cfr. resp. 22 ian. 1759 et 16 ian. 1797. *Collect. Prop. Fid.* t. 1, n. 412 et 633, ed. 2.

Principium IV. — *Distantia et peculiares necessitates locorum quibus Vicarii Apostolici praeficiuntur horum potestatem quandoque ampliorem faciunt.*

Sic, ex cit. C. *Speculatore*, CLEMENTIS IX, possunt, deficiente clero saeculari, regulares in suo vicariatu exsistentes cogere ad curam animarum exercendam ;

Quaestiones inter religiosos exortas tamquam Sedis Apostolicae delegati dirimere possunt, nisi tamen graviores sint, quae S. Sedi deferri debent.

Principium V. — *Vicarii Apostolici, eadem ratione qua Episcopi dioecesani, imperare possunt Religiosis etiam exemptis, quatenus hi Missionarii sunt et saecularibus sacramenta ministrant, vel iis ecclesiis, piis locis, Institutis quae in Vicariorum Apostolicorum potestate sunt, deputantur.*

In potestate porro Vicarii Apostolici sunt regimen seminarii cleri saecularis, cura monialium, ecclesiae quasi parochiales, scholae elementares vel pauperum.

Plura huc respicientia aptius ad caput de Religiosis Missionariis differuntur.

Principium VI. — *Quatenus Vicarii Apostolici simul Episcopi titulares esse solent, privilegia episcoporum titularium plene participant.* Quare :

a) Altare viaticum erigere possunt, in quo ipsi celebrent et alter coram ipsis postea celebrare possit.

b) In sacello domestico, per se vel capellanos suos, pro suo vel familiae commodo, celebrare possunt.

c) Sibi confessarium eligere possunt a quo ubique absolvantur.

---

[1] ANALECTA ECCLESIASTICA, t. 6 (1898) p. 230.
[2] ANALECTA ECCLESIASTICA, t. 7 (1899), p. 62.

d) Pontificalia iam ubique exercere possunt, annuente, ubi ex iure communi opus sit, Ordinario loci. Olim quidem severior disciplina vigebat, quae resp. 14 aug. 1819 [1] sublata est.

Dubia quaedam de Vicariorum apostolicorum potestate.

1. Estne Vicarius Apostolicus *Ordinarius?*

Olim, cum a qualitate *ordinaria* iurisdictionis nomen Ordinarii proficisceretur, et Vicarii Apostolici *Delegati* sint, nomen Ordinariorum in ipsos minus conveniebat. Quare ipse ZITELLI [2] ipsos Ordinarios esse negat. Verum hodie Ordinarius vocatur qui etiam ex delegatione habitualem gradus episcopalis potestatem exercet: quod Vicarii apostolici sane faciunt. Quare, in loco mox citato, ipsa S. C. S. Officio eos Ordinariorum nomine venire diserte declarat.

2. Potestne Vicarius Apostolicus ubique terrarum subditos suos sacramentaliter absolvere?

Id sine dubio affirmare posse videmur, cum ex iis sint qui nulla approbatione Episcopi opus habent, et solus approbationis defectus validae absolutioni extra vicariatum obstare possit.

3. Estne Vicarius Apostolicus *Inquisitor natus,* cui proinde debeant ipsi Superiores regulares causas iudicandas deferre quae, v. gr. abusus sacramentalis Confessionis, ad S. Officium spectant?

℟. Affirmative. Etenim causae istae a Superioribus regularibus abiudicantur ut *locorum Ordinariis* deferantur, cfr. resp. S. Officii 15-17 maii 1901 [3]. Ex hodierna autem disciplina, Vicarii Apostolici inter Ordinarios ponendi sunt. Conclusio itaque manifesta est.

4. Quanam potestate fruitur ad *libros prohibendos, approbandos, legendos?*

℟. Libros, sicut episcopus, prohibere potest. Nisi per Indultum speciale, maiorem facultatem habuerit, libros missionariorum qui de religione vel de rebus ecclesiasticis agunt, ipse approbare non potest, sed S. C. de Prop. Fidei licentia exquirenda est. Excipe tamen parvas doctrinas, catechismos, instructiones ac preces, quae cotidiano fidelium usui inserviunt. Ut ipsi libros prohibitos legant vel legere permittant, facultates quasdam obtinere solent [4].

5. Potestne Vicarius Apostolicus *indulgentias* proprio nomine sicut Episcopus concedere?

Id tum 21 sept. 1843; tum 23 aug. 1852 ipsi negatum est [5].

---

1 *Collect. Prop. Fid.* n. 737, ed. 2.
2 *Apparatus iuris ecclesiastici*, p. 128, ed. 2.
3 *De Religiosis Institutis et Personis*, t. 2, n. 194, p. 396 (ed. 4).
4 Cfr. nostrum *De prohibitione et censura librorum*, n. 109, ed. 4.
5 *Collectanea Prop. Fid.*, t. 1, n. 972 et 1081, ed. 2.

6. Potestne Vicarius Apostolicus *orationem in missa* dicendam imperare ?

R. Nullum, quod sciamus, de hac re responsum S. Congregatio vulgavit. Ex generali regula qua ordinariam episcopi potestatem Vicario apostolico ascribimus, potestatem imperandi collectas ad ipsum pertinere existimamus. Ceterum in novis rubricis quae Constitutionem *Divino afflatu* 1 nov. 1911 perficiebant, tit. XI, collectae istae *ab Ordinariis locorum* imperatae dicuntur.

7. Potestne sibi *Vicarium generalem* constituere ?

Vicarium generalem cui, dum ipse vivit et idoneus est, generalem delegationem dat exercendae ordinariae potestatis, cum facultate potestatis usus subdelegandi, Vicarius apostolicus sibi constituere potest. Quod ex litt. Benedicti XIV, *Quam ex sublimi*, 8 aug. 1755 [1], sicut S. C. Prop. Fid. 9 dec. 1822 [2] respondit, perspicue colligitur. Nec plures Vicarios generales instituere Vicarius apostolicus prohibetur.

Verum Vicarius iste generalis distinguendus est a Vicario generali qui, ex iure, unam cum Episcopo dioecesano personam efficere censetur, ita ut, quacumque ratione episcopi auctoritas cesset vel suspendatur, ipse Vicarius officium sublatum vel suspensum habeat. Contra, Vicarius generalis Vicarii apostolici, vacantis Vicariatus reipsa administrationem assumere debeat.

Vicarius itaque generalis iste :

a) Distinctam a Vicario apostolico personam gerit, ita ut, in causis iudicialibus, ab ipso ad Vicarium Apostolicum appellari possit.

b) Ex responso S. Officii 4 dec. 1898, communes cum Vicario Apostolico habet facultates apostolicas, nisi aliter in litteris dicatur.

c) Ob causas ob quas generalis delegatio aufertur, cessat istius Vicarii generalis potestas.

d) Nisi Vicarius Apostolicus aliter statuerit, Vicarius iste generalis fit reipsa, post obitum Vicarii Apostolici, tamquam *Provicarius*, successor Vicarii Apostolici, donec a S. Sede aliter provisum sit.

Possitne extra Vicariatum Vicarius subditos, sine Ordinarii loci approbatione, sacramentaliter absolvere ? Id ambigi potest, cum nullum ius exsistat quo plene inter Ordinarios ponatur et mere delegata iurisdictione potiatur.

Art. III. **Vicarii Apostolici obligationes**

Paucis principales Vicarii apostolici obligationes recensere satis nobis erit, quia vel per se manifestae sunt vel longiorem expositionem alio loco invenerunt vel invenient.

---

[1] Cfr. *Collectanea Prop. Fid.*, t. I, n. 396.
[2] Ibidem, n. 777.

1. Ea quam diximus sollicitudine, fidem conservare et promovere debet.

2. Non minus quam episcopi verbum Dei praedicare debet.

3. Ex ipsius officii natura, Vicariatum visitare debet.

4. In vicariatu residere debet sed ubi voluerit [1]; nec diu ab ipso abesse sine gravissima et urgente causa vel inconsulta S. Sede potest.

5. Visitare s. limina personaliter non debet, immo, inconsulta S. Sede, non potest; sed scriptas relationes de statu vicariatus, secundum S. Sedis instructiones, statis temporibus mittere debet.

6. Consilium missionariorum constituere debet, quod de negotiis principalioribus audiat. Tam numerus quam qualitas sacerdotum quibus coetum istum constituat eius definitioni permittuntur.

7. Curare debet ut Missionarii collationes morales habeant et frequentent.

8. Clerum indigenam praeparare et scholas christianas promovere debet.

9. Editionem catechismi curare debet.

10. Abiurationem modernismi, ad formam Motu Proprio « Sacrorum Antistitum » ab officialibus, v. gr. Vicario genenali, quos instituat, ab iis quos ordine maiore ordinet, quos ad confessiones audiendas vel verbum Dei praedicandum approbet, exigere debet. Cfr. Motu Proprio *Sacrorum antistitum*, 1 sept. 1910, cum declarationibus 25 sept. 25 oct. 17 dec. 1910 [2].

11. Nisi vel coadiutorem cum iure succedendi, vel Vicarium generalem habuerit, virum idoneum Pro-Vicarium eligere debet qui, post Vicarii Apostolici obitum, tamquam Sedis Apostolicae delegatus, regimen Vicariatus, cum omnibus facultatibus quae caracterem episcopalem non requirunt assumat.

Duos huiusmodi constituere potest qui alter alteri deficienti succedere possint, non autem qui simul Vicariatum administrent.

Cum autem in sua dioecesi non versetur, celebrare missam pro populo non debet. Decet tamen ut ex caritate istud faciat. Cfr. resp. contentum litteris S. C. Prop. Fid. 18 aug. 1866 [3].

(De praefecto apostolico, cfr. proximum fasciculum).

---

[1] Cfr. resp. 9 oct. 1723. *Coll. P. F.* n. 2249, ed. 2.
[2] PERIODICA, t. 5, p. 197, 229, 252, 271.
[3] *Collect. Prop. Fid.* t. 1, n. 1296.

QUAESITA VARIA

VII. De vi novissimi Decreti quo Religiosi facultatem obtinent quoslibet Confessarios adeundi

Ut, promissam ceterum, p. 174 praesentis tomi, pleniorem explicationem novae disciplinae de religiosorum confessionibus daremus non semel iam rogati sumus. Quare, diutius exspectandum non esse censemus, et ordine hic verbalem seu litteralem decreti *In audientia* expositionem prius trademus, ut deinde genuinam eius mentem assequi conemur.

I. Litteralis expositio

Summa decreti significatio. — Auctoritate Summi Pontificis, Confessarii totius Orbis, a locorum Ordinariis approbati, fruuntur facultate quam idem Pontifex Confessariis Urbis concesserat, id est sacramentalem absolutionem dandi omnibus cuiuslibet Ordinis vel Instituti Religiosis.

Huiusmodi porro indultum ut plenius cognoscatur, tum in *sua conexione cum gratia prius Urbis Confessariis facta*, tum in *sacerdote absolvente*, tum in *religioso paenitente*, tum in *Superiore tolerante*, considerandum videtur.

1. **De conexione cum gratia prius Urbis Confessariis facta.** — Gratiam istam ad omnes Orbis Confessarios *extendit*. Quare eandem *confirmat*. De qua gratia haec dicenda sunt:

a) Gratia ista vix mense iubilaeo antecessit, sed nullo modo pro solo iubilaeo data est. Sic enim, latine reddita, sonabat: « E Vicariatu Urbis.-Ordinatione SS^mi Patris quam litterae S. Congr. de Religiosis diei 8 februarii 1913 cum hoc Vicariatu communicarunt, quotquot sacerdotes ad confessiones Romae audiendas approbati sunt, *inde deinceps* facultatem habent audiendi in confessione et absolvendi religiosos cuiuslibet Instituti qui ad ipsos recurrant, sine ulla licentia a respectivis Superioribus regularibus impetranda [1] ».

Inde deinceps cum dicatur, gratia profecto anno 1913 non concluditur. Quare opinio quorundam qui gratiam omnibus Orbis Confessariis factam tempore iubilaei circumscribi existimabant improbabilis est.

Ipsa porro gratia in Urbe facta nulla lege sed privata potius dispositione continebatur. Quia tamen, potius quam praeciperet, formaliter vel aequivalenter iurisdictionem con-

[1] Italicum textum cfr. PERIODICA, supra, t. 7, p. 173. Ibidem tenorem decreti habes.

ferebat sacramentalem quae, *ad Sedis beneplacitum* vel *usque ad revocationem* facta, post mortem concedentis perseverare censetur, profecto ii saltem confessarii qui, vivente SS. D. N. Papa Pio X, facultate ista potiti essent, eandem etiam demortuo Pontifice servassent.

Verum nunc praesens gratia, cum generalis facta sit et Actis Apostolicae Sedis (t. 5, p. 431) promulgetur, vim legis perpetuae habere dicenda est.

b) In gratia Urbi facta, de potestate in casus in Ordine reservatos nullus sermo habetur. Mentio tamen istorum casuum, in diplomate confirmante facta, pro *declaratione*, non pro ampliatione prioris gratiae, tenenda est. Sin minus claudicaret verbum *proinde*, in Decreto confirmante. *Hi proinde*. Itaque, etiam vi prioris indulti, romani confessarii religiosos a casibus in Ordine reservatis valide et licite absolvere potuerunt. Quod usum supponit talis iurisdictionis quae his casibus affecta minime sit.

c) Gratia Urbi facta necessitatem cuiuspiam licentiae Superiorum religiosorum modo absoluto negat. Non dicitur enim : « nec Confessarii de licentia obtenta inquirere debent » ; vel « nec ipsi Confessarii licentiam ullam Superioris habere debent » ; sed necessitas ullius licentiae simpliciter excluditur his verbis : « sine necessitate cuiuspiam licentiae Superiorum ». Quare, cum decreto « *In audientia* » gratia Romae prius facta confirmetur et extendatur, etiam ad praesentis legis generalis usum, nec confessarius nec paenitens religiosus aliqua Superiorum religiosorum licentia opus habent. Sic etiam Boudinhon, Canoniste, t. 36, p. 707; Ferreres, Razón y Fe, t. 37, p. 373_{10}.

2. **De gratia in sacerdote absolvente.**

a) Decretum *In audientia* solis Confessariis quos *locorum Ordinarii* approbaverint novam audiendi religiosos etiam exemptos potestatem facit. Quare Superioribus exemptis Confessarios suis subditis constituere et privilegiatos et ordinarios et extraordinarios sicut ante licebit. Verum nisi ipsi Superiores ad ampliandas suorum facultates praesenti decreto moveantur, Confessarii isti, quos Ordinarius loci ipse non approbaverit, in suos religiosos paenitentes nec plus nec minus quam antea poterunt.

b) Omnes totius Orbis Confessarii, a locorum Ordinariis approbati, omnium Sodalium cuiuscumque Ordinis, Congregationis aut Instituti sacramentales confessiones excipere valide et licite possunt. — Ob istam verborum amplitudinem, R. D. Dr Schaepman [1] existimat nullo modo requiri ut electus confessarius ab Ordinario loci confessionis approbatus sit,

[1] Nederlandsche Stemmen, 15 nov. 1913, p. 326.

sufficere autem ut ab aliquo loci cuiuspiam Ordinario approbationem istam acceperit.

Ac verba non repugnare quin ita intellegantur, non diffitemur. Alteram tamen etiam significationem ferunt, secundum quam, confessarii approbati dicuntur posse *omnes,* quia nulla speciali pro religiosis approbatione opus habeant; dicuntur porro *omnium* Sodalium confessiones audire posse, ne cuiuspiam rationis sodales, v. gr. novicii, beneficio excludi videantur, ita ut his verbis *omnes, omnium,* nulla localis extensio promulgetur. Et dum exigitur ut a locorum Ordinariis approbati sint, id distributive seu respective accipiendum est, ita ut in locis confessionis a suo quisque Ordinario confessarius approbatus sit.

Verbis itaque interpretationem Rev^di^ Doctoris admittere nullo modo cogimur. Quod satis nobis videtur ad illam improbandam. Talis enim amplitudo facultatis miram, sine causa apparente, exceptionem efficeret regulae quae magis in dies inculcatur ut, pro confessione, « locus regat actum ».

Sic ipsi regulares sine socio idoneo itinerantes, secundum sententiam S. Congregationis, optionem quidem confessarii habebant, sed inter approbatos ab Ordinario loci. Nec ipso iubilaei tempore, alios praeter approbatos ab Ordinario loci sacerdotes saeculares adire religiosi permitti consueverunt. Et cum praesentis decreti verba ad omnia omnino Instituta dirigantur, consequenter dicendum foret ab omni religioso, etiam non exempto, quemlibet ab aliquo loci Ordinario approbatum sacerdotem ubique adiri posse. Quis hoc crediderit nisi *perspicuis* S. Sedis verbis id definiatur? Huiusmodi enim extensionis causam nos omnino fugit.

Namque peculiares conscientiae rationes, ob quas ad decretum ferendum S. Sedes se motam dicit, postulare quidem possunt ut religiosis similis laïcorum optio confessariorum fiat, non autem ut unusquisque inter totius Orbis confessarios eligere possit.

Perspicua porro verba haec forent quae ipse D^r^ Schaepman adhibet, ut pro « a locorum Ordinariis approbatos » dicatur: « ab aliquo loci cuiuspiam Ordinario approbatos ». Haec autem cum desiderentur, naturalem interpretationem servandam existimamus, quae religiosis sacerdotes ab Ordinario loci confessionis, non autem a cuiuslibet loci Ordinario approbatos assignat. Quare etiam amplitudinem istam nec Card. Gennari, Monitore, t. 25, p. 357 *Annotazioni;* nec R. D. Boudinhon, Canoniste contemporain, t. 36, p. 710; nec P. Besson, Nouv. Rev. Théol. t. 46, p. 26, 3°; nec P. Ferreres, Razón y Fe, t. 37, p. 373, 7, insinuarunt.

c) « *Auctoritate SS^mi^ D. N. Pii.* » Auctoritas ista intervenire debet, ne exemptionis privilegium validae absolutioni

obstet. Duobus autem modis obstaculum istud a S. Pontifice removeri potest : Vel quatenus acceptam ab episcopo iurisdictionem delegata iurisdictione pontificia ipse augeat, vel quatenus permittit ut religiosus, quamvis exemptus, se, ad absolutionem recipiendam, transitorie iurisdictioni confessarii saecularis subdat, fere sicut, secundum probabilem explicationem [1] peregrinus fit transitorie subditus confessarii loci apud quem confitetur, vel sicut, secundum *multos* doctores, inter quos SUAREZ [2], et SANCHEZ [3], regularis exemptus potest, accedente Praelati licentia, se transitorie subicere episcopo vel confessario ab ipso delegato, ut absolvatur a casibus reservatis et censuris a quibus proprius Praelatus eum absolvere nequeat. Cfr. etiam PIAT, *Praelectiones iuris regularis,* edit. in 3 vol., t. I, p. 488 q. 26 ; t. 2, p. 103, q. 9.

Priore explicatione, quotquot sacerdotes ab episcopo approbantur, fiunt simul delegati Apostolicae Sedis, pontificia iurisdictione muniti ad absolvendos regulares : quod tamen, sine necessitate vel rei vel verborum admittendum non videtur ; altera explicatione regulares ipsa episcopali iurisdictione absolvuntur, ex efficaci tamen S. Pontificis licentia. Facilius tunc declaratur quomodo, in ipso decreto, per verbum *Proinde*, immunitas a casibus in Ordine reservatis, tamquam factae facultatis corollarium ponatur, ac simul tunc iidem regulares reservationes episcopales non effugient, ita ut in gravioribus peccatis non quemlibet iuniorem confessarium adire possint. Nimia facultatis extensio, quae ex generalibus Decreti verbis colligi possit, ut supra vidimus, facilius etiam hac altera explicatione vitatur.

In utraque explicatione habitualis Regularium exemptio omnino intacta manet ; actualis tantum exeptio, consentiente regulari, ad pacem eius conscientiae, admittitur.

Ipsa decreti verba rem istam dirimere non videntur. Si enim, sicut in C. Tridentino legitur diceretur : confessarii, *tamquam delegati Apostolicae Sedis* queant ; vel si voces *auctoritate nostra,* arte cum voce *absolutionem* coniungerentur hoc v. gr. modo : « valide et licite absolutionem auctoritate nostra impertire », delegatae pontificiae iurisdictionis usus extra dubium poneretur. Verum nunc vox *delegationis* non exprimitur, et verba *auctoritate nostra* a verbo *absolutionem* satis separata, ad vocem *queant* directe referuntur. Quod ambiguum est.

Ac dici possit verba *auctoritate SS*[1] eo solo fine scripta esse ut de valore et liceitate confessionis dubitari nequeat,

---

[1] Cfr. LEHMKUHL, *Theol. mor.* ed. 11, t. 2, n. 500.
[2] *De Religione,* tr. 8, l. 2, c. 12, n. 12 et 13.
[3] *In Decalogum,* l. 4, c. 39, n. 32.

sine ulla definitione modi quo Pontificis auctoritas efficaciam suam obtinere debeat.

Si autem ita dicendum videtur, tunc, ex generali principio : « Entia non sunt multiplicanda sine necessitate », sine nova delegatione explicabimus quod sine nova delegatione facilem explicationem habet.

Accedit haec ratio. Decretum non ad solos exemptos sed ad omnes religiosos dirigitur. Horum enim constitutionibus vel usibus non ita raro confessio uni vel paucis confessariis facienda ad liceitatem praescribebatur [1]. Ipsis tamen delegatio pontificia inutilis accresceret.

Plerique tamen praesentis decreti interpretes, binas explicationes suspicati esse non videntur, ita ut omnes sacerdotes ab Ordinario loci approbatos pontificia delegatione vestiant. Sic Besson, Ferreres, Dr Schaepman.

Absolutionem episcopali iurisdictione regularibus conferri nobiscum tenet Boudinhon, l. c. p. 707. 710.

d) « *A peccatis in Ordine vel Instituto, etiam sub censura reservatis* », absolvere possunt. Itaque facultas absolvendi ita libera est ut nulla Ordinis reservatione impediatur. Quare etiam valebit ad auferendam *censuram* quae auferenda est ut absolutionem a peccatis licite accipias. Sic est excommunicatio, non autem suspensio. Poterunt itaque Confessarii, ab Ordinario loci approbati, religiosos etiam ab excommunicatione absolvere : in foro tamen sacramentali tantum et non in foro exteriore, si censura ad forum istud deducatur.

Quid autem de *suspensione* dicemus ? Si stricte dicendum foret, facultatem dispensandi a suspensione reservata praesenti indulto contineri non videretur. Namque, propter modo factam rationem, « illa tantum peccata quibus annectitur excommunicatio reservata, inter casus reservatos numerari possunt [2]. » Nihilo minus cum, latiore usu, casus reservati etiam reservatas suspensiones et reservata interdicta complecti censeantur ; et praesens indultum, quatenus facultatem directe facit, ample accipi possit, probabile arbitramur suspensiones reservatas, immo et irregularitates ex delicto lege Ordinis propria sancitas, a confessario approbato relaxari posse.

Sed cum potestas in censuras, de censuris lege generali aut particulari latis non autem de censuris ab homine, id est praecepto vel sententia peculiari datis, per se intellegenda sit, recte monet R. P. Besson, Nouvelle Revue théologique, t. 46, p. 27, 4°, nullam in has censuras praesenti decreto potestatem conferri.

---

[1] Cfr. Boudinhon, l. c. p. 706. 707, et Bastien, *Directoire canonique des Instituts à vœux simples*, n. 349.

[2] De Smet, *De casibus reservatis*, n. 1, nota.

Quid autem de reservationibus *episcopalibus* aut *papalibus ?*

R. Quaecumque absolvendi privilegia Confessarius habuerit, iisdem in religioso absolvendo uti potest.

Facultates enim Confessario fiunt ut iis cum paenitentibus utatur.

Religiosi autem vi praesentis decreti, eius paenitentes fiunt, nec positiva exceptio demonstrari potest.

Quid autem si Confessarius potestate careat in casus quos vel Ordinarius ipse sibi vel S. Sedes aut sibimetipsi aut Episcopo reservarint ? Cum iurisdictio Confessarii de qua nunc agimus, a Praelato religioso certissime non proficiscatur, et facultas a S. Sede vel ab Ordinario loci data ad istos casus reservatos nullo indicio porrecta videatur, respondendum est religiosum ab his casibus per Confessarium saecularem simplicem absolvi non posse. Sed ipse Praelatus religiosus omnem suam absolvendi facultatem cum confessario approbato communicare non prohibetur. Huius autem voluntatis significatio aliqua postulanda est.

Neque aliquid habere videmur unde coniciamus mentem Pontificis esse ut iurisdictio in religiosos casibus ab episcopo reservatis non circumscribatur. Etenim potissima reservationis utilitas in hoc est ut iudicium de gravioribus causis paenitentialibus iudici magis perito addicatur. Si autem religiosus vir ipse se ita graviter inquinaverit ut reservatum peccatum commiserit, num expedit ut ad quemlibet inexpertum confessarium saecularem recurrere possit ? Nonne, contra, episcopali reservatione quaedam novae legis incommoda temperari possunt ? Quare paulo aliter respondendum putamus ac supra, p. 175 factum est, quamvis P. Besson, in Nouvelle Revue théologique, t. 46, p. 25, nota, interpretationem ibi positam « rationabilem » aestimaverit [1]. Sed si non ipsum peccatum verum annexa censura reservata sit, patet religiosum exemptum qui censuram non incurrerit nulla reservatione teneri. V. gr. in dioecesi Mechliniensi regularis exemptus non poterit a confessario pro suspenso, suspensione reservata, haberi eo quod tabernam ad bibendum ingressus sit.

Praeter proprie dictam absolvendi facultatem, solent Confessarii conexas quasdam facultates dispensandi *a votis*, a *ieiuniis*, in gratiam paenitentium obtinere, quibus eorum potestas paenitentialis quasi integratur. Num in gratiam paenitentum religiosorum iis facultatibus uti possint? De hac

[1] Quod si sacerdotes pontificali iurisdictione munitos putaveris, facilius etiam, quasi consequenter, in sententiam inclinabis qua religiosis a casibus episcopalibus absolvi posse putantur.

re, quae controverti potest, declarationem S. Sedis exspectare malumus.

3. **De gratia in religioso paenitente.**

a) Quamvis vocibus valde universalibus scriptum decretum in omnia Instituta religiosa virorum sive stricte sive late dicta certissime cadat, nihilominus *moniales* omnis rationis beneficio eius excluduntur. Numquam enim, nec in priore Urbis nec in posteriore Orbis gratia, *Sororis*, *Monialis*, Religiosorum *utriusque sexus* verba occurrunt. Quae sane occurrerent, si ad Instituta Monialium praesens decretum traducendum foret. Ceterum speciali lege, eaque recentissima, de Monialibus consultum est, et severissima disciplina de unico Confessario, quam solae hactenus, ex toto populo christiano, retinere debent, nonnullis temperamentis aliquantisper mitigata est.

b) Soli religioso exempto disciplina praesens tamquam prorsus nova applicatur. Non exempti enim internum episcopi forum sortiebantur, ita ut eorum condicio secundum nostram explicationem intacta manserit quod ad substantiam seu validum paenitentiae usum. Licitus enim pluribus vetitis impediri poterat, quae omnia nunc auferuntur. Sed si confessarios instructos feceris iurisdictione papali ad religiosos absolvendos, tunc non levem mutationem in iuridicam eorum absolutionem introduces.

c) Poteratne Superior efficaciter impedire ne novicii saeculari iurisdictione absolverentur, an contra, novicius semper valide a quolibet approbato absolvebatur ? Id in aliquam controversiam veniebat. Ambigi itaque nequit quin hodie, non minus quam professus, novicius praesenti beneficio uti possit.

d) Supra iam demonstravimus, religiosum nulla Superioris licentia opus habere ut Confessarium approbatum adeat. Nec propositum adeundi Confessarium extraneum Superiori aperiendum est. Nulla enim condicio usus decreto expressa est. Ac huiusmodi condicionibus libertatem confessionis coartari nemo non videt.

Ne tamen inde colligas derogari legi canonicae qua religiosus sine Superioris licentia et sine socio domo egredi prohibetur. Sed, dum extra domum versatur, publicam ecclesiam ad confitendum ingredi poterit ; et qui, sive domi sive extra domum, sacerdotem approbatum coram alloquitur, eidem confiteri poterit. Ut aliis verbis utamur, regulae de egressu ac de colloquio cum extraneis prorsus observandae sunt, sed speciale confitendi propositum Superiori manifestandum non est.

4. **De gratia in Superiore tolerante.**

a) In virtute sanctae oboedientiae observatio praesentis

decreti omnibus Superioribus et Praesidibus *cuiuslibet* Instituti imponitur. Quare nemo eorum possit sine gravi reatu graviter contra istud decretum facere. Et positiva ista obligatio propria non est Institutorum quae exempta sunt, sed iis etiam communis quae iam ante, quia non exempta, praesentibus praescriptis quod ad substantiam regebantur. Haec, propter decreti universalitatem, novo titulo qui praecepto oboedientiae sancitur, in Institutis non exemptis vigere incipiunt.

b) Verum quaeri potest quid *observatio decreti* a Superioribus postulet. Observes autem plane hic abesse clausulas quales in decreto *Quem ad modum*, 17 dec. 1890 [1] de ratione conscientiae legebantur : « Districte prohibet memoratis Superioribus ac Superiorissis... ne personas sibi subditas inducere pertentent directe aut indirecte praecepto, consilio, timore, minis aut blanditiis ad huiusmodi manifestationem conscientiae sibi peragendam ». Neque habentur quae n. 11 decreti recentioris *Cum de sacramentalibus*, 3 feb. 1913, de Monialium et Sororum confessionibus, posita sunt : « Si qua religiosa extraordinarium Confessarium expetat, nulli antistitae liceat, vel per se vel per alios, neque directe neque indirecte petitionis rationem inquirere, petitioni verbis vel factis refragari aut quavis ratione ostendere se id aegre ferre [2]. » Sed, sine ulla explicatione, sola Decreti observatio Superioribus iniungitur. Age porro quid, substantialiter, ista observatio a Superiore postulat ? Id unum, ni fallimur : ut Superior subditos suos concessa libera optione uti sinat, per actionem quae sub alio respectu Ordinis legibus et usibus consentanea est.

c) Itaque decretum *non violabit* Superior :

Qui subdito egressum negat, cum egressus iste contra Instituti, v. gr. Carthusianorum, mores est vel hora intempestiva petitur ;

Qui sacerdotem aliquem positive vocare recusat ;

Qui adhortatione generali vel speciali consilio suadet subditis ut intra Ordinem designatis Confessariis potius fidant et stabili confessario utuntur.

d) Decretum autem *violaverit* Superior :

Si confessionem extraneo factam directe prohibuerit ; vel non permittat nisi habita licentia ;

Si ideo egressum vetet vel aditum sacerdotis petere recuset

---

[1] Cfr. *De Religiosis Institutis et Personis*, t. 2, n. **230**, p. 488 ed. 4.

[2] Cfr. PERIODICA, t. 7, p. 86. Neque paritas causae allegari potest ut Superioribus religiosis similem agendi rationem quae Superiorissis praecepta est imponas. Causa enim par non est. Moniales uni tantum, religiosi pluribus per se confessariis peccata confiteri possunt. Superiorissa intimas conscientiae causas sponte examinare vetatur, dum Superior sacerdos de his consilia sponte dare permittitur.

quia subditus apud dioecesanum confessarium confiteri velit. Si molestias subdito utenti iure suo facessat.

Sed dum directa prohibitio utendi, sive generalis, sive iterata, a gravi reatu excusari nequit, indirecta quaedam repugnantia saepe venialem reatum non excedet. Nolimus itaque stricte intellegere scripta a R. P. Besson [1] : « *A le (le decret) transgresser directement ou indirectement, par infraction ouverte ou par voie détournée (par exemple en faisant difficulté de permettre au religieux de sortir parce que l'on sait ou l'on soupçonne qu'il veut aller voir un prêtre en vue de se confesser ; en lui témoignant de la froideur ou de la mauvaise humeur de ce qu'il use de son droit, etc.) il y aurait faute grave, mortelle de sa nature :* » Immo, si semel quis ideo egressum negaverit, ne Confessarius adeatur, adiuncta perpendenda sunt antequam culpam Superioris gravem pronunties : Si nullus diuturnus timor inde subdito incutiatur, si gravis causa adeundi extraneum abesse videatur, et praesertim si quaedam ratio accedat scrupulositatis vel huiusmodi, Superior, facultatem negando, graviter peccasse non videtur.

e) Ipsae *regulae* de Confessario unico, vel de paucis Confessariis ordinariis, omnem vim *praeceptivam* praesenti decreto amiserunt, sed ut res *consilii* in regularum codice manere poterunt.

f) Et quamvis efficacia reservationum in Ordine multo minor evaserit, nihilo minus potestas reservandi casus et ferendi censuras eadem quae ante Superioribus et Instituto esse sinitur.

5. **Dubia quaedam reliqua.**

a) Possitne Episcopus sacerdotibus iunioribus vel minus peritis iurisdictionem dare *excipiendo religiosos* a generali facultate.

R. Videtur nobis id facere posse, immo laudabiliter facturus esse.

Pontifex enim, dum vult ut religiosi expeditam Confessariorum copiam habeant, utilitatem prudentis Confessarii praesertim pro religiosis non negat. Et sicut in Urbe confessarii iuniores (nondum 35 annos nati) iurisdictionem sic circumscriptam obtinent : « non tamen mulierum, propter defectum aetatis » ; sicut fere ubique Episcopi a generali facultate moniales excludunt : « *non tamen monialium* » ; cur non possint pari ratione religiosos excludere dicendo : *non tamen religiosorum ?* Huiusmodi exclusione sufficiens Confessariorum copia non tollitur, sed accidentales abusus praecaventur. Id tamen episcopus facere posse non videtur, si

[1] Nouvelle Revue théologique, t. 46, p. 28.

sacerdotes tamquam Sedis apostolicae delegati religiosos absolvant.

Approbati autem Confessarii, apud quos ex decreto *In audientia* religiosi omnes confiteri permittuntur, recte ii intellegi possunt qui plene seu sine rationabili limitatione ab Ordinario approbati sunt.

Neque Episcopus prohibetur casus quosdam in Ordine reservatos sua auctoritate munire, ita ut casus isti iam sibi vel Superiori religioso reservati sint.

b) Potestne ipse Superior prohibere ne, propter specialem causam v. gr. notae imprudentiae, minus integrae famae, etc. sacerdos quidam sive proprii Ordinis, sive alienus, pro confessionibus adeatur?

R. Dummodo sincere agatur et sufficiens copia Confessariorum maneat, neque id decreto adversari putamus.

II. De legis mente disquisitio

1. **Historica decreti praeparatio.** — Primi religiosorum Praefecti, potius quam stricte dicti Superioris hierarchici, potius Patris spiritualis personam gerebant, et regula ipsa non tam lex erat quam ordinatio quaedam ad spiritualem perfectionem sectandam. Id ex vita Patrum, ex facultate mutandi domum et Praelatum, ex ipsis regulae S. Benedicti verbis luculente eruitur. Iurisdictio vero omnis penes Episcopum erat. Postquam autem exemptio ab episcopali auctoritate monachos et religiosos Abbati seu Praelato hierarchice subdidit, is utriusque, Patris et stricte dicti Superioris, personam sustinere coepit. Quae personarum confusio mox in distinctionem abire debuit, tum quia iuridicae et intimae relationes aliae alias facile impediunt, tum quia spiritualis intimitas cum Superiore duobus incommodis obnoxia est quae a S. C. S. Officii, 5 iul. 1899, his verbis descripta sunt: « Ex una... parte minuitur alumnorum peccata confitendi libertas ipsaque confessionis integritas periclitatur; ex altera vero Superiores minus liberi esse possunt in regimine communitatis, ac suspicioni exponuntur aut se notitiis in Confessione habitis uti, aut benevolentiores se praebere erga alumnos quorum confessiones excipiunt. » Quare spiritualem et maxime sacramentalem gubernationem Superiores per alios exercere coeperunt.

Ut de *sacramentali* gubernatione pauca quaedam pressius notemus: Etiam saeculo XVI° medio, retinebatur pro regularibus disciplina de confessario unico, et quidem per se sacerdote proprio, quae pro saecularibus, privilegiis mendicantium iam saec. XIV suppressa erat. Solebat itaque Superior vel ipse suorum confessiones audire vel uni sacerdoti

committere ut pro ipso confessiones exciperet. Sed Decreto *Sanctissimus,* 26 maii 1593, Clemens VIII simul vetuit ne Superiores regulares suorum subditorum confessiones audirent, nisi a subditis omnino ultro rogati essent vel reservatum peccatum commissum esset ; et iussit ut in singulis domibus duo, tres aut plures confessarii, pro numero religiosorum, constituerentur. Potuit tamen Superior peccatis gravioribus, quamvis non reservatis, paenitentias quasdam graves coniungere quas Confessarii imponere debebant.

A beneficio tamen plurium confessariorum novicii excludebantur. Ipsorum magister solus eorum ordinarius confessarius esse iubebatur.

Porro extra ordinem suum regulares, sine proprii Superioris licentia, validam absolutionem consequi non poterant. Causa quidem itineris excipiebatur, sed ab ipsa voluntate Superioris, quam usus demonstrabat, iurisdictio confessarii extranei tunc proficisci dicebatur. Attamen saeculo XIX exeunte, coepit S. Sedes magis absolute permittere ut regularis qui inopia confessariorum propriorum laboraret ab extraneo confessario absolvi posset. Cfr. causam *Parisiensem* exemptionis a S. C. Ep. et Reg. iudicatam 23 sept. 1881, ubi in reformato dubio S. Congregatio sic quaestionem scripsit : « Utrum membrum Congregationis Missionis possit, absque licentia Superioris confessionem valide peragere apud sacerdotem externum approbatum dum *facile habere posset confessarium etiam in Congregatione* » quasi ex sola difficultate quaestio aliam solutionem acciperet [1] ; et responsa S. Paenitentiariae 14 maii 1902, ad I « Si Superior domus aliique confessarii tamdiu absint saltem per unum diem ut grave sit religioso paenitenti toto eo tempore carere absolutione sacramentali [2] », Confessarius ab Ordinario approbatus paenitentem regularem absolvere potest.

Hactenus de Confessarii qualitate et numero.

Idem autem Clemens VIII facultatem reservandi casus superiori ita definivit, ut undecim tantum casus, a Pontifice descriptos, reservare posset. Ordini tamen seu Capitulis facultas reservandi integra manebat.

Casus isti, in Ordine reservati, a Superiore tantum vel ab alio Confessario quem ipse Superior delegasset, absolvi poterant. Sed iudicium de opportunitate relaxationis confessario regulari ab Clemente VIII et ab Urbano VIII iam aliquo modo permissum est. Praeterea, ipsa S. Sedes, per S. Paenitentiariae pagellam, multis sacerdotibus, ad absolvendos a casibus in Ordine reservatis regulares qui legitime ad

[1] Cfr. Periodica t. I, n. 50, p. 139 (ed. 2).
[2] *De Religiosis Institutis et Personis,* t. 2, n. 234, p. 499.

sos recurrerent, facultatem facere solebat, quam ipsa modo udatis responsis 14 maii 1902 ample interpretata est. que, ex decreto 16-17 aug. 1866, debebat in parvis comunitatibus sacerdos unus adesse qui a peccatis in Ordine servatis paenitentes habitualiter absolvere posset [1].

Cum autem iuxta Ordines stricte dictos non paucae Conegationes religiosae votorum simplicium a saec. potissium XVIII exsistere coeperunt, earum alumni, nisi exempti sent, sola iurisdictione episcopali absolvi, solis casibus iscopalibus teneri coepti sunt.

Agedum istis decretis et Institutis nova praesentis decreti sciplina praeparata est, qua omnes Confessarii ab Ordirio loci approbati, ad audiendas religiosorum etiam exemprum et regularium confessiones, prorsus habiles pronuntur, ita ut de casibus in Ordine reservatis nihil solliciti se debeant.

2. **Decreti praesentis commoda et incommoda.**

Utile sane praesens decretum erit :

a) Religiosis qui in propria domo, ob infausta adiuncta, ritum Moderatorem spiritualem frustra quaesierint ;

b) Religiosis qui virum eminentis prudentiae et virtutis o negotiis spiritualibus aliquando consultum adire voluet. Id v. gr. non raro contingebat Illo D. de Segur, piae emoriae, ut dum per domum religiosam transiret, non uci religiosi cum ipso res spirituales conferre vellent.

c) Religiosis qui in minore domo vel in itinere vix aliam tionem habebant atque unius vel alterius confratris quom familiariter vivere et cotidiana negotia componere debent ;

d) Religiosis qui accidentaliter specialem difficultatem eundi domesticum confessarium experiantur.

Rursus autem, cum iam in hac re auctoritatem Superioris to declinare possint, in nova disciplina *timendum est:*

a) Ne religiosi leves aut tepidi ad imprudentes vel impeos Confessarios recurrant, praesertim cum ascesim religiosam etiam plures confessarii qui scientiae nomen habent morare videantur.

b) Ne religiosi inconstantes nullum confessarium stabilem beant, et sic directione ista continua priventur quae erisque perfectionis sectandae et non paucis perseverandi vita religiosa vel in ipsa virtutis via condicio quasi cessaria esse solet.

Aestimavit tamen S. Sedes incommoda non nimia futura se, cum Instituta votorum simplicium huius disciplinae n ita lugendam experientiam fecerint ; posse aliis et

---

[1] Cfr. de historico progressu in his rebus, PERIODICA, Suppl. XIV, t. 5, p. 1 ss.

melioribus viis ac confessione vitia subditorum et pericula generatim cognosci ; et minus malum esse ut aliqui, de quorum futura sorte iam merito dubitandum erat, religioni perirent quam ut multi utili et quandoque necessario subsidio carerent, et onus iam per se grave faciendae confessionis accidentalibus obligationibus vel impedimentis aggravatum ferrent.

3. **Rectus decreti usus**

a) *Subditi* ex ipsis verbis Decreti normam recti usus haurire possunt. Id est, cum pia intentione, facultate quae *ob peculiares conscientiae rationes* facta dicitur, *ob peculiares conscientiae rationes* utantur. Quae rationes duae sunt : vel auferendi peccati et pacis internae recuperandae, vel proficiendi in spiritu. Peculiares porro rationes accidentalem tantum recursum ad extraneum Confessarium plerumque suadebunt. Quamquam non repugnat ut iusta causa sit etiam habitualem Confessarium extra Ordinem eligendi. Sed a mente S. Sedis longe aberraverint quotquot ex decreto modos quaerant consilia regularum declinandi et salutarem spiritualis directionis disciplinam enervandi et excutiendi.

b) Ipsi *Confessarii saeculares* decreto *In audientia* invitantur ut vitae religiosae principia et officia callere studeant, et artem stimulandi religiosos non ignorent.

c) *Superiores* denique, quos pastoralis cura sollicitos reddere debet ut detrimenta quae decreto coniungi possunt praecavere conentur, in primis movebuntur ut proprios Confessarios tales constituant qui probi, periti, subditis etiam accepti sint. — Ut ad mentem decreti se accommodent, in rebus quae ad intimum animae forum pertinent, prudentiae spirituali et libertati conscientiarum simul consulere satagent.

Denique, pro docilitate ista quam S Sedis decretis exhibere consueverunt, Superiores, posthabito proprio iudicio, decretum *In audientia* ita inter suos divulgabunt ut etiam ad eorum notitiam perveniat qui illud ex latinis commentariis cognoscere nequeunt.

MONUMENTA

716. — S. CONGR. S. OFFICII

RESPONSA 6-8 MAII 1903

Dispensatio ab interpellatione et a cultus disparitate

Orator.

Ad pedes *Sanctitatis vestrae* humillime provolutus, CAMILLUS F. VAN RONSLÉ, Episcopus titularis Thymbriensis et Vicarius Apostolicus Congi Belgici, exponit ea quae sequuntur :

I. Proposita difficultate et periculo uxoris christianae quae maritum in eius patriam sequatur,

« I. In hisce regionibus haud raro contingit quod mulier (sive catechumena, sive pagana) matrimonio legitimo duxerit nigrum quendam, ex his nempe qui ad certum quoddam tempus, puta biennium vel triennium, ex litoralibus Africae partibus conducti (Sénégal, Sierra Leone, Açora, etc.) in Statu Congi Belgici allaborant ea lege ut, elapso termino, ad propria redeant. Iamvero contingit etiam mulierem interdum amplecti fidem et recipere baptismum, viro remanente in infidelitate sua. Cum autem elapso termino commorationis, insistit ut uxor eius illum ad propria comitetur redeuntem, haec mordicus recusat, sive ob timorem iurgiorum et molestae cohabitationis, sive ob periculum probabile in quo versabitur quod ad fidem et mores in regione ipsi ignota, in qua fortasse nullus adest catholicus, sive demum ex timore ne vir fiat polygamus, immo, et ipsam primam et legitimam uxorem alteri vendat : unum alterumve ex his motivis objective subsistere plerumque affirmari potest, etsi fortasse mulier illud non apprehendat, neque illo moveatur.

Petitio.

Quaero igitur :

De separatione.

A. Utrum, rebus sic stantibus, ius sit simpliciter agnoscendum mulieribus conversis remanendi in Missione Vicariatus Congi Belgici, recusando nempe viros suos sequi ad propria redeuntes.

De interpellatione.

B. Utrum, supposito facto quod mulieres (sive legitime sive illegitime) remanserint in Missione, separatae a viris in longinquis iam constitutis, aliquod suppetat medium subveniendi gravissimo periculo incontinentiae in quo versantur. Animadvertendum est enim, ex communiter contingentibus, vel prorsus impossibile esse, vel saltem admodum difficile interpellare virum circa suam intentionem, ac insuper, etiamsi vir interpellatus responderit affirmative, summopere dubitandum esse de sinceritate talis responsi. Ceterum facultates Apostolicae sive ordinariae, sive extraordinariae, quibus sum ditatus, talem hypothesim non cavent.

II. Proposito frequenti timore iur-

II. Cum non raro inter coniuges, quorum unus est conversus, altero perseverante in sua infidelitate, fundatus assit timor iurgiorum et molestae

giorum vel detrimenti fidei aut caritatis.

cohabitationis, immo, quod sane gravius est, periculum ne, successu temporis pars fidelis, ut loquitur Synodus Limana III a Xysto V approbata, (apud *Collectanea de Prop. Fid.* n. 1358 ad 3) *fidei vel caritatis scandalum patiatur*, humillime postulo facultatem, sacerdotibus delegabilem, dispensandi iuxta arbitrium Ordinarii vel ejus delegati, super secundam partem interpellationis, adeoque, interpellationem ad solum punctum limitandi, utrum pars infidelis velit converti. Habito vero responso negativo, vel collectis indiciis quae moralem dant certitudinem de mala dispositione partis infidelis, permitti valeant parti fideli novae nuptiae.

Petitur *facultas dispensandi ab altera interpellatione.*

III. Proposita raritate mulierum, **petit** *facultatem declarandi abesse impedimentum disparitatis cultus.*

III. Nec infrequenter contingit neophytos, nondum matrimonio iunctos, stationem relinquere in qua exsistit Missio catholica et, ratione sive servitii militaris, sive alterius servitii, ad regiones transferri in quibus vel numquam, toto commorationis tempore (fortasse per annos) Missionarium catholicum videbunt, immo nec mulierem catholicam reperient, vel raro Missionarii visitationem recipient, puta sexto quovis mense. Iamvero, cum mulieres parvo numero exsistant hisce in locis, et ideo viri assoleant sibi assecurare unam citissime in uxorem, eam in domuncula sua accipiendo, tales neophyti in gravissima perplexitate versantur, ob dirimens impedimentum disparitatis cultus. Peto igitur, utrum in hisce circumstantiis, possint edoceri neophyti quod cesset impedimentum dirimens iuris ecclesiastici, servatis evidenter servandis circa obligationem procurandi conversionem, quantum fieri potest, partis infidelis et educationem christianam totius prolis nasciturae ; quod si talis agendi modus licitus, aut saltem expediens non videatur, peto ut Sedes Apostolica mihi concedat necessarias et opportunas facultates ad prospiciendum casibus huiusmodi.

Et Deus, »

Dies (6 maii 1903). **Responsa.**

Feria IV die 6 maii 1903.

In Congregatione Generali S. Romanae et Universalis Inquisitionis habita ab E^mis^ ac R^mis^ DD. Cardinalibus Inquisitoribus Generalibus, proposito suprascripto supplici libello, ac praehabito voto DD. Consultorum, iidem E^mi^ ac R^mi^ DD. respondendum censuerunt :

Ad I.

Exigitur examen causae et conceditur dispensatio.

Ad 1^m^. Quantum ex processu saltem summario et extraiudiciali in singulis casibus constet iustis de causis vere exstantibus, non tantum praesumptis, uxores christianas abnuisse maritum paganum in longinquis, ubi desunt catholici, sequi, et interpellationem esse impossibilem, aut admodum difficilem, aut cum fundamento dubitandum de responsionis affirmativae sinceritate, dispensari posse ab interpellatione, habita Apostolica facultate. Et si dubium sit in aliquo casu particulari, recurrendum ad S. Sedem.

Ad II.

Gratia sub modo conceditur.

Ad 2^m^. Quod ad facultatem interpellandi coniugem infidelem tantum, an velit converti, omissa altera, an velit pacifice habitare, in adiunctis expositis supplicandum SS^mo^ pro gratia juxta petita. Moneat tamen Vicarius Apostolicus Missionarios, quibus facultas subdelegatur, ut ea non utantur, nisi quando prudenter iudicent adesse vere periculum perversionis et scandali.

Ad III.

Gratia sub modo conceditur.

Ad. 3^m^. Supplicandum SS^mo^ ut opportunas facultates Vicario Apostolico concedere dignetur dispensandi neophytum sive per se, sive per suum adiutorem anticipatim, absque nominatione personae, super impe-

dimento cognationis spiritualis, quatenus mulier convertatur, et, deficiente alia persona catholica, ab ipso baptizata fuerit, quatenus vero converti renuat, ab impedimento disparitatis, sub hisce tamen in hoc altero casu condicionibus eidem neophyto imponendis, ut omni studio curet conversionem mulieris a se electae, et interim promissionem iuratam ab ea exigat, se curaturam ut proles educetur in religione catholica, neque ullum umquam illaturam esse impedimentum sive sibi, hoc est ipsi neophyto, sive proli in religionis christianae exercitio.

Feria VI. die 8 maii 1903

Dies (8 maii 1903).

Approbatio et facultates SS^i.

SS^mus resolutionem Emorum Patrum, in audientia R. P. D. Assessori S. O. impertita, audita de his omnibus relatione, benigne approbavit, et facultates (de quibus in n. 3^s) pro quinque casibus concessit. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

(s.) I. Can. Mancini S. R. et U. I. Not.

Annotatio

Cum indultum istud, quo variae gratiae conceduntur, ante reformatam curiam romanam emanaverit et usus in concedendis huiusmodi gratiis variare possint, cavendum est ne ex hoc monumento praesentem curiae stylum colligas. Historice tamen iuvat cognoscere quid ad ecclesiasticam disciplinam successive pertinuerit.

Ac duo haec praeterea notanda videntur :

1. In responsione ad I non vult S. Sedes ut uxoribus ex iustae causae praesumptione favor quidam fiat, sed vult ut saltem ex processu summario et extraiudiciali constet iustam causam ipsis fuisse maritum non sequendi. Verum ipsum commune periculum fidei vel morum vel indignae tractationis in regione longinqua tamquam sufficiens causa haberi posse videtur. Sed in quibusdam adiunctis commune periculum abesse potest. Quare examen speciale requiritur. Et cum, facto huiusmodi examine, res non raro dubia maneat, S. Sedes vult ipsa de dubio casu iudicium ferre.

Iam vero in causis ubi agitur de vinculo matrimoniali S. Sedes et praesumptiones arcere et iudicia de casibus dubiis sibi reservare satis constanter consuevit.

2. In responsione ad III, antequam pro gratia respondeat, elegantiorem solutionem insinuat, ut pars catholica alteram ante matrimonium baptizet. Orienti autem impedimento cognationis spiritualis, quod etiam in privato baptismo a baptizante certo contrahitur, per anticipatam dispensationem occurritur.

Ac potius quam per declarationem, per usum extraordinariae facultatis dandi anticipatam facultatem ab impedimento disparitatis cultus, omni difficultati occurritur. Quae facultas, cum extraordinaria sit, pro quinque tantum casibus concessa est.

717. — EX SECRETARIA STATUS

GRATIA 22 MARTII 1912 [1]

De numismate quod pro scapulari a militibus geratur

Beatíssime Pater,

Orator memoratis gratis ante factis,

P. Norbertus Monjaux, O. F. M., Director Operis ad propaganda inter milites Scapularia instituti, una cum fundatrice Domina Maitre et zelatoribus eiusdem Operis, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, exponit quod Eadem Sanctitas Vestra annuit — Rescriptis die 4 ianuarii et 30 martii a 1908 [2] datis — omnibus militibus Scapulare ex panno iam prius benedictum *sibimet ipsis imponere ;* cum postea Sanctitas Vestra decreto S. Officii diei 16 decembris a. 1911 permiserit Scapulare metallicum, scilicet numisma Dni N. I. Christi cor SS. ostendentis et B. M. Virginis, hinc quidam putaverunt eadem facultate frui posse milites, nempe sibi imponere numisma prius benedictum sine praehabita impositione Scapularis ex panno, cum numisma locum Scapularis teneat. Sed ne dubium sit, fiducialiter petitur quatenus Sanctitas Vestra hanc facultatem concedere dignetur pro omnibus militibus, attenta eorum misera condicione (praesertim in Gallia) ad religionis exercitia peragenda, quia, insuper, Scapulare laneum saepe in xenodochiis et castris deest ; ita ut omnes milites terrae marisque, sub armis constituti, possint legitime omnibus temporibus esse ascripti Confraternitati Scapularis Nostrae Dominae de Monte Carmelo et annexas indulgentias et gratias lucrari, ea tantum condicione ut numisma-Scapulare ferant, quod praescribitur supradicto S Officii Decreto, et antea benedictum iuxta debitas praescriptiones, quin laneum Scapulare antea recipere teneantur.

pro omnibus militibus

ampliores gratias petit

Insuper, a Sanctitate Vestra petitur humiliter ut idem numisma-Scapulare valere possit pro militibus, ut supra, loco aliorum Scapularium, praesertim eorum quae nuncupantur de Sacro Corde Iesu, de Passione Domini, de Sancto Michaele Archangelo, quin necessarium sit respectiva Scapularia lanea antea recipere.

Praeterea humiliter a Sanctitate Vestra petitur ut omnes milites qui per numisma-Scapulare respectivis supradictis Scapularibus ita aggregantur, iisdem modo prorsus definitivo ascripti permaneant, adeo ut ipsis non sit amplius necessarium recipere Scapulare laneum tum etiam cum militiam relinquant et domum suam redeant.

Gratiae conceduntur. Clausula derogatoria.

SSmus Dominus Noster Pius Papa X, benigne annuit pro gratia iuxta preces, iis minime obstantibus quae statuta sunt in « Motu proprio » diei 7 aprilis a. 1910.

Dies (22 mart. 1912).

Datum Romae, die 22 martii, a. 1912.

R. Card. Merry del Val,
A Secretis Status Sanctitatis Suae

---

[1] Ex Canoniste Contemporain, 1912, p. 411 ss.
[2] Periodica, t. 4, p. 295 s.

ANNOTATIONES

1. Praesentis gratiae, cuius promulgatio per ACTA APOSTOLICAE SEDIS, cum beneficium universale contineat, desideratur, haec vis est, ut milites cuiuslibet exercitus, sine ulla formali cooptatione, Scapularium Confraternitatibus ascribantur vel omnibus scapularium privilegiis fruantur eo quod ipsi numisma rite benedictum assumant. Rescriptis 1908 [1], quae memorantur, requirebatur ut dum scapulares ibi imponebant, preces quasdam recitarent. Quae condicio ipso Pontificis silentio nunc suppressa est.

2. Gratiae vis ad omnia Scapularia extenditur. Sed quia rite benedictum numisma postulatur, oportet ut numisma, quot sint scapularia in quorum locum sufficiatur tot benedictionibus a competente sacerdote sanctificetur.

3. Gratia omnibus militibus prodest, dummodo tamen sub armis constituti sint. Itaque ii qui stipendia emeriti sunt vel actu domi versantur *(retraités, en congé)* praesenti privilegio uti nequeunt.

4. Virtualis autem cooptatio, qua S. Pontifex pro militibus contentus est, perpetuos effectus habet, ita ut etiam domi reduces milites nihil supplere debeant.

5. Per se, ex Motu Proprio 7 april. 1910, gratia praesens S. Congregationi S. Officii ad valorem exhibenda erat [2].

Quare ab isto Motu Proprio opportune dispensatur.

---

718. — S. CONGR. DE PROPAGANDA FIDE

LITTERAE 26 NOV. 1912.

De deleganda confirmandi facultate

Roma, 26 nov. 1912.

Dies (26 nov. 1912).

Illme ac Rme Domine,

Memoratis instantiis Vicarii Apostolici pro maiore facultate delegandi confirmandi facultatem,

Per litteras, diei 21 superioris augusti, iterum Amplitudo Tua ad hanc S. Congregationem recurrit pro venia delegandi omnibus, istius Vicariatus, Missionum superioribus, facultatem conferendi sacramentum confirmationis. Rationes affers iam pluries huic S. Congregationi a Te allatas et ab eadem mature perpensas, scilicet de nimia a tua Residentia praedictarum Missionum distantia, de itinerum difficultate, de numero fidelium, a respectivis Missionibus longe degentium, qui tempore adventus Vicarii Apostolici nequeunt ad sacellum cum eo simul conve-

---

[1] PERIODICA, t. 4, n. 294, p. 295.
[2] PERIODICA, t. 5, n. 394, p. 126.

nire, proindeque beneficio sacramenti multos annos carere, rerum necessitate compelluntur.

Quibus rationibus pluries respondit S. haec Congregatio non esse recedendum a terminis formulae S, qua tibi potestas fit delegandi uni vel alteri ex tuis Missionariis, in locis a tua residentia dissitis, facultatem administrandi sacramentum confirmationis.

Altera practica solutio ipsi indicatur.

Non enim praescribitur ut duo tantum delegentur pro universo Vicariatu, cum plures, v. g. omnes singularum Missionum superiores, delegari possint, dummodo tamen *successive* id fiat et servato successionis ordine, adeo ut, quocumque anni tempore, in tuo Vicariatu Missionarii qui sacramentum confirmationis in locis a tua residentia dissitis administrant, duorum numerum non excedant.

Poteris igitur singulis Superioribus, de quibus in precibus, tempus determinare v. g. mensem aut bimestre, quo possint Confirmationis sacramentum ex delegatione conferre, et ita successionis ordinem componere ut Superior A facultatem habeat tantum pro mense ianuario, Superior B, pro mense februario, et ita porro in orbem.

Hac dispositione, non erit difficile, in unius anni spatio, omnibus necessitatibus satis facere.

Demum, gratias Tibi reddens, pro devotionis testimonio quod exhibes erga S. hanc Congregationem, Deum precor ut Te diu sospitet.

A. T.

Addictissimus servus.

(s.) Card. Gotti Praef.

C. Laurenti Secr.

Annotatio

Sunt, ut novimus, Vicarii Apostolici quibus facultas delegandi administrationem Sacramenti Confirmationis minus parca manu concessa est.

Verum solutio quam Em^us^ Praefectus S. Congregationis de Propaganda Fide suggerit elegans est et talis quae ad similes casus traduci utiliter queat. Id est, quotiescumque potestas delegandi vel subdelegandi ad paucas personas (unam vel alteram) non definitas contrahitur, recte sic data intellegetur ut liceat eam cum non paucis successive communicare, dummodo paucae simul actu beneficio fruantur.

---

719. — S. CONGR. CONCILII

RESPONSA 21 NOV. 1912

De ieiunio et abstinentia in diebus festis praeceptis [1]

Orator. Iulianus de Diego Alcolea, Episcopus Asturicensis, humiliter

Petit. 1° An lex ieiunii et abstinentiae die commemorationis sollemnis

---

[1] Ex Monitore Ecclesiastico, t. XXIV (1912), p. 533.

S. Ioseph, Sponsi B. M. V. in Hispania, ubi festum restitutum est, sit dispensata vi Motus Proprii *Supremi disciplinae*, vel indigeat dispensatione Ordinariorum ad tenorem decreti S. C. Concilii diei 3 maii 1912?

De ieiunio et abstinentia in festo restituto.

2° An diebus festivis quibus dispensatur lex ieiunii et abstinentiae sit etiam sublata prohibitio de non miscendis piscibus cum carne in eadem refectione?

De cibis mixtis in festis servatis.

Die 21 novembris 1912 S Congregatio Concilii suprascriptis dubiis respondit:

Responsa.

Ad 1. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Ad 1.

Ad 2. Negative

Ad 2.

C. Card. Gennari, *Praefectus*
O. Giorgi, Secretarius.

Annotationes

Rescripto isto duo responsa continentur quae non unius exspectationem decipient. Si enim verba consideres decreti *Supremae Disciplinae* Motu Proprio 2 iul. 1911 [1], S. Pontifex in art. IV § V festa quae *ipse* servata vult a festis abrogatis quae *Episcopi* conservare velint satis clare distinguit, et pro solis prioribus a lege ieiunii et abstinentiae dispensat; dum S Congregatio dispensationem etiorum in altera festa cadere respondit.

Praeterea, cum ampla dispensatio a ieiunio et abstinentia concederetur, satis pauci, ni fallimur, de superstite sola lege promiscuos cibos vetante, non cogitassent nisi Em^us^ Card. Gennari, Monitore Ecc°, t. XXIV, p. 88 dispensationem sic coartandam esse opinatus esset.

Quare in Periodicis t. VI, p. 88, de festis peculiari indulto restitutis valere negavimus quod S. Pontifex de festis a se servatis edicebat. Et litteris S. C. Concilii, 8 maii 1912 [2] ad 2, facultate dispensandi Episcopis facta, festis restitutis satis provisum videbatur. Praeterea, in Periodicis t. VI, p. 220, 3 nos in quaestione de promiscuis cibis ab Em^o^ Card. Gennari reverenter discedere insinuavimus.

2. Nihilo minus in priore responso dando S. Congregatio ad priorem quandam suam interpretationem consequenter respondit. Etenim litteris 28 aug. 1911 ad Em^um^ Archiepiscopum Mechliniensem directis [3], negavit dispensationem a ieiunio et abstinentia Belgio prodesse in diebus festis quae, iure communi servandae, ibi iure peculiari abrogatae sunt. Quare, cum tamen decretum Motu Proprio datum latam interpretationem ferat, aequum putavit non minus in gratia amplianda quam in eadem contrahenda ad particulare regiorum ius respicere.

---

1 Periodica, t. 6, p. 80, 81.
2 Periodica, t. 6, p. 218.
3 Periodica, t. 6, p. 115.

Itaque canonem iam generalem hoc modo, ex istis interpretationibus colligere possumus :

In festis quae, sive iure communi, sive iure particulari servanda sunt de praecepto, a ieiunio et abstinentia, ex Pontificia auctoritate dispensatur.

In festis vero quae, sive communi sive particulari iure abrogata sunt, lex ieiunii et abstinentiae, per se firma manet, salva potestate dispensandi episcopis ex litteris S. C. C. 3 maii 1912 facta.

Et quod ad alterum responsum, nemo mirabitur Em^um^ Card. Gennari qua Praefectum S. Congregationis respondisse sicut ipse privatus scriptor iam responderat.

3. Responsa S. Congregationis tutam agendi rationem indicant. Quare licet sane prius responsum, quod benignum est, in usum convertere.

Sed nisi authentice promuigentur vel pluries repetantur vim legis non sortiuntur. Agedum praesens rescriptum in Actis Apostolicae Sedis insertum non est; nec aliis rescriptis confirmatum est. Quare si quis sententiam diversam solide probabilem existimaverit, ab hac sequenda prohiberi non videtur.

---

720. — S. CONGR. S. OFFICII

DECRETA 20 IUN. 1894, RESCRIPTUM 19 IAN. 1896 ET DECRETUM 26-27 IUN. 1913

De tribus societatibus secretis Amer. Septemtr.

A. *Decretum 20 iun. 1894* [1].

Illme ac Rme Domine,

Memorato coetu episcoporum quo causa S. Sedi deferebatur,

Amplitudinem tuam profecto non latet Rmos archiepiscopos in ecclesiasticis provinciis istius Foederatae Reipublicae constitutos in suis conventibus egisse de tribus quae istic coaluerunt societatibus, Sociorum nempe singularium *(Odd Fellows)*, Filiorum Temperantiae *(Sons of Temperance)*, et Equitum Pythiae *(Knights of Pythias)*, atque unanimi consensu rem totam iudicio Sedis Apostolicae detulisse. Porro SS. D. N. quaestionem examinandam tradidit Rmis et Emis D. D. S. R. E. cardinalibus una mecum inquisitoribus generalibus. Hi vero in generali congregatione feria IV die 20 iunii 1894, confirmantes iudicium de aliquibus ipsismet societatibus alias latum, decreverunt. « Cunctis per istas regiones Ordinariis esse omnino conitendum, ut fideles a tribus societatibus praedictis et ab unaquaque earum arceantur ; eaque de re ipsos fideles esse monendos ; et, si monitione insuper habita velint adhuc iisdem societatibus

Ex mandato pontificio S. Officium 20 iun. 1894, tribus societatibus fideles omnino arcet.

---

[1] Ex Analecta Ecclesiastica, t. 3 (1895), p. 196.

adhaerere, nec ab illis cum effectu separari, a perceptione sacramentorum esse arcendos. »

Confirmatis SS^i.

SS. D. N. sententiam hanc plene confirmavit et ratam habuit. Quae idcirco per praesentes A. tuae significatur, per te nota fiat cunctis istarum regionum archiepiscopis, episcopis, aliisque locorum Ordinariis et pro bono animarum regimine ad effectum deducatur. Interim fausta atque felicia omnia tibi a Deo O. M. precor.

Conclusio.

Dies litterarum (20 aug. 1894).

Romae, 20 augusti 1894.

R. Card. Monaco.
Ill^mo ac R^mo F. Satolli Del. Apost.

B. *Rescriptum 19 ian. 1896* [1].

Quaestio *de eodem argumento.*

Quaesitum fuit an, remota quavis alia earundem sectarum participatione, hoc saltem liceat, nomen proprium in sociorum catalogis retinere, nec non in praefatae taxae vel aeris alieni solutione stato tempore perseverare. Quod dubium sane gravissimum cum S. S. D. N. sacrae huic supremae congregationi commiserit enucleandum, eadem S. Congregatio, re mature perpensa, respondendum censuit: Generatim loquendo non licere: et ad mentem. Mens est quod ea res tolerari possit sequentibus conditionibus et adiunctis simul in casu concurrentibus, scilicet: 1. Si bona fide sectae primitus nomen dederint antequam sibi innotuisset societatem fuisse damnatam. 2. Si absit scandalum vel opportuna removeatur declaratione id a se fieri ne ius ad emolumenta vel beneficium temporis in aere alieno solvendo amittat, a quavis interim sectae communione, et a quovis interventu, etiam materiali, ut praemittitur, abstinendo. 3. Si grave damnum sibi aut familiae in renuntiatione obveniat. 4. Tandem ut non assit vel homini illi vel familiae eius periculum perversionis ex parte sectariorum, spectato praecipue casu vel infirmitatis vel mortis, neve similiter assit periculum funeris peragendi a ritibus catholicis alieni.

Responsio ad mentem.

Tolerantiae condiciones.

Approbatio SS^i.

Quae cum SS^mo D^no Papae Leoni XIII relata fuerint in totum approbata et confirmata fuerunt. Verum cum de re gravissima atque periculorum et difficultatum plena agatur, quae plurimas non modo dioeceses sed et provincias ecclesiasticas respicit, idem SS^mus D^nus N. iussit ut uniformis regulae servandae causa, casibus particularibus Eminentia tua et in apostolica delegatione successores providere possint.

Res Delegatis apostolicis committitur.

Romae die 19 ianuarii 1896.

R. Cardinalis Monaco.
E^mo ac R^mo P. Satolli Del. Aplico.

C. *Rescriptum 1913* [2], *quo decretum 26-27 iun. 1913 mittitur.*

Litterae acceptae earumque argumentum memorantur.

Excepi aestimatissimas litteras Eminentiae Tuae R^mae datas die 15 maii decurrentis anni circa Societates secretas « Knights of Pythias », « Odd Fellows », et « Sons of Temperance », ac petitionem Ill^morum et R^morum istius Reipublicae Archiepiscoporum, ut extendatur scilicet ad singulos Ordinarios facultas concedendi fidelibus qui memoratis societatibus

---

[1] Ex Analecta Ecclesiastica, t. 4, (1896), p. 145.

[2] In periodico americano Ecclesiastical Review, 1913, p. 468, a quo litteras istas mutuamur, mensis et dies indicatio desideratur.

ascripti sunt licentiam in iis passive remanendi, iudicio Emorum ac Rmorum DD. Cardinalium una mecum Inquisitorum Generalium confestim subieci. Qui, rebus diligenter perpensis, in Congregatione habita feria IV, die 26 nuper elapsi mensis iunii decreverunt :

Dies (26 iun. 1913).

Responsum.

Firmis manentibus facultatibus Delegati Apostolici, supplicandum SSmo pro extensione facultatis ad singulos Archiepiscopos, ad unumquemque pro sua respective provincia, servatis prorsus omnibus condicionibus decreti IV diei 19 ianuarii 1896, onerata eorum conscientia. Et insequenti feria V, die 27 eiusdem mensis iunii, Sanctitas Sua petitam extensionem iuxta Emorum ac Rmorum Patrum suffragia benigne concessit.

Approbatio pontificia.

Conclusionis formula.

Haec ego Eminentiae Tuae significans, impensam Tibi observantiam atque existimationem obtestor, ac summa veneratione manus humilime deosculor.

M. Card. Rampolla.

Emo ac Revmo Dno Card. Archiepiscopo Baltimoren.

Annotatio

Iuvabat hoc loco simul referre rescripta lata de tribus societatibus americanis quae, quamvis propter secreti legem improbatae fuerint, numquam tamen a S. Sede inter massonicas sectas positae sunt. Sin aliter socii poenam excommunicationis ex C. *Apostolicae Sedis* effugere non potuissent. Instante Emo Card. Gibbons, qui damna temporalia allegabat quae, si primum decretum stricte urgeretur, catholici non pauci paterentur, S. C. S. Officii temperatius altero decreto respondit, faciendo delegato Apostolico potestatem ut, certis condicionibus observatis, catholicis passivam in iisdem societatibus permansionem permitteret.

Ob frequentes casus de quibus Ordinarii interrogandi erant, episcopi statuum Foederatorum petierunt ut potestas delegato Apostolico facta Ordinariis concedetur. Huic vero petitioni S. Sedes ex parte annuit. Voluit enim ut facultas delegati Apostolici integra maneret, et cum solis Archiepiscopis eandem communicavit.

721. — S. CONGR. S. OFFICII

RESPONSA 13-15 MART. 1901 ET 22 IUN. 1913

De devotione dicta « mano poderosa » vel « Brazo poderoso »

A. *Responsum 13-15 mart. 1901* [1].

Orator.

Beatissimo Padre,

Dubium *de devotione quae describitur.*

Il Vescovo [2] della diocesi di L. in America, prostrato ai piedi della S. V., domanda umilmente se possa considerarsi lecita una certa divozione detta della *Mano poderosa*. Essa consiste in immagini e medaglie, venute dall'Europa, che rappresentano una mano aperta con entrovi una piaga ed avente sulle punte delle dita le immagini del Bambino Gesù, di Maria SS., di S. Gioacchino e di S. Anna.

Che, ecc.

Dies (13 mart. 1901).

Feria IV, die 13 martii 1901.

In congregatione generali S. R. et U. inquisitionis, ab EE^mis et RR^mis DD. cardinalibus generalibus inquisitoribus habita, propositis suprascriptis precibus, praehabitoque RR. DD. consultorum voto, EE^mi ac RR^mi Patres respondendum mandarunt:

Responsum *quo damnatur.*

Imaginem praedictam esse praedamnatam a concilio Tridentino; et curet episcopus ut destruantur imagines, numismata et quodcumque scriptum, seu precandi formula, ad dictam devotionem pertinentia.

Approbatio SS^i.

Sequenti vero feria VI eiusdem mensis et anni, in solita audientia SS. D. N. Leonis Div. Prov. Pp. XIII a R. P. D. assessore S. Officii habita, SS^mus D. N. resolutionem EE. ac RR. Patrum approbavit.

I. Can. Mancini, S. R. et U. Inquisit. Notarius.

B. *Responsum 22 iun. 1913* [3].

Dies (22 iun. 1913).

Romae, 22 iunii 1913.

Prorsus reprobata devotione, acta episcopi Habanensis approbantur.

Ilme ac Revme Domine,

Circa devotionem nuncupatam « del Brazo poderoso », quam respiciunt aestimatissimae litterae Amplitudinis Tuae datae die 2 aprilis decurrentis anni, significo Tibi mentem huius supremae Congregationis eam esse ut devotio de qua sermo omnino prohibeatur eiusque vestigia penitus eliminentur; bene igitur per Amplitudinem tuam actum fuisse cum confraternitas sub eo titulo erecta dissoluta fuit.

---

[1] Ex ANALECTA ECCL., t. 9 (1901), p. 155.

[2] Id est, latine: Episcopus dioecesis L. in America, ad pedes S. V. provolutus, humiliter petit num devotio quaedam dicta *Mano poderosa* (manus potentis), pro licita haberi possit. Consistit autem in imaginibus et numismatibus, ab Europa profectis, quae manum repraesentant apertam quae plagam intus acceptam habet et imagines pueruli Iesu, S. Virginis Mariae, S. Ioachim et S. Annae in extremis digitis fert.

Et Deus, etc.

[3] Cf. RAZON Y FÉ, t. 37 (1903), p. 244.

In posterum vero curandum est ut ultimae etiam illius devotionis reliquiae e medio tollantur.

Conclusio. Et fausta cuncta atque felicia Tibi adprecor.

M. Card. RAMPOLLA.

Ill^mo ac Rev^mo D^no D^no Episcopo S. Christophori Habanensis.

ANNOTATIO

Utrumque quod modo exscripsimus decretum conferenti apparebit iterum quam prompte falsae devotiones propagentur, quam difficile eradicentur. Nuperius etiam debuit Ill^mus episcopus Tarbiensis et Lapurdensis gravibus litteris opportunam reprobationem denuntiare numismatum quibus Virgo Lapurdensis cum variis animalibus tamquam iis patrocinans repraesentabatur. Istarum devotiuncularum auctores infimi lucri cupidine non raro moventur. Et dum simplices fideles pro ridiculis demonstrationibus veram devotionem deserere videntur, Ecclesiae osoribus calumniandi catholicam religionem multam ansam praebent.

Ex ipsa autem prioris rescripti introductione, quam ex italico sermone in latinum convertimus, perspicitur quid famosum istud « Brachium potens » vel « manus potens » significet.

722. — PII IX

LITTERAE IN FORMA BREVIS 6 IUL. 1875

De facultatibus capellanorum castrensium in Gallia

Ad perpetuam rei memoriam.

De proprio officio exordium. **Quae catholico** nomini aeternaeque fidelium saluti, bene, prospere ac feliciter eveniant, ea ut mature praestemus, Nos admonet summi Apostolatus munus, quod, immeriti licet, obimus.

Memorata capellanorum institutione. Itaque, cum anno superiore, in Gallorum consessu legibus ferendis vectigalibus decernendis, verba facta fuerint de instaurandis presbyteris a sacris seu capellanis, vulgo *aumôniers*, pro catholicis qui militant in terrestri exercitu Reipublicae, placueritque huiusmodi presbyteros seu capellanos statuendos, praesidiarii qui nominantur, quique terrestrium copiarum legionibus, cohortibus, manipulisve addicti, rem divinam curent sub iurisdictione et potestate sacrorum Antistitum, quorum in dioecesibus memoratae copiae stativis maneant: Nos quo eorumdem catholicorum bono satis opportuniusque consultum sit, haec quae infra scripta sunt, Apostolica nostra auctoritate decrevimus.

De obedientia episcopis praestanda et Quibus in locis Gallorum copiae in stativis habeantur, eorum locorum Archiepiscopis aut Episcopis tales presbyteri seu capellani praesidiarii in spiritualibus omnino subiecti sunto. Cum vero eaedem copiae e

tativis eductae fuerint (*mobilisées*), tunc, ne aeterna animarum salus, in qua procuranda omne studium cogitationesque collocamus, quidpiam detrimenti capiat, singulis universisque presbyteris seu capellanis huiusmodi, nimirum tam praesidiariis quam suffectis, qui vexilla secuti fuerint, auctoritate Nostra Apostolica, tenore praesentium elargimus ut singuli quique eorum, vel extra dioecesim, et tam in dicione quam extra dicionem Reipublicae Gallorum, omnes et singulas facultates exercere libere et licite queant, quibus in dioecesi ex concessione proprii Archiepiscopi vel Episcopi utebantur, antequam copiae stativa reliquissent.

usu facultatum episcopalium statuitur.

Praeterea facultates adicimus, quae infra scriptae sunt :

Facultates pontificiae adduntur.

I. Ut singuli quique eorum, una etiam hora vel ante auroram, vel post meridiem, ac necessitate id urgente, extra ecclesiam, et sub dio, decenti tamen in loco, super altari portatili, lapide sacro et necessaria ad id supellectili instructo, praesentibus quoque infidelibus, haereticis atque excommunicatis, dummodo aliter fieri nequeat, et absit periculum sacrilegii, scandali et irreverentiae, sacrum peragere, illudque, necessitate pariter exigente, servatis tamen servandis, bis eodem die facere ; necnon qualibet feria secunda vel tertia non impeditis, unam Missam de *Requiem* super altari portatili, lapide sacro et supellectili ut supra instructo, celebrare possint et valeant.

I. De missae celebratione.

II. Ut singuli quique eorum omnibus Christi fidelibus qui Gallorum vel in exercitu militant, vel in re praesenti quovis modo ad exercitum pertinuerint, Ecclesiae sacramenta administrare, eos a quibusvis reatibus cum huic Apostolicae Sedi tum Ordinariis locorum per quae exercitus idem transeant, vel in quibus consistant, reservatis, absolvere ; item Christi fidelibus quos descripsimus, etiam conversis ab haeresi atque apostasia a fide, et schismate, qui tamen facultatem sacramentalem confessionem peragendi non habuerint, dummodo saltem fuerint corde contriti, plenariam indulgentiam et peccatorum remissionem in mortis articulo impertire in Domino possint.

II. De sacramentis et indulgentia in articulo mortis.

III. Ut singuli quique eorum memoratis Christi fidelibus, qui vere paenitentes et confessi, ac sacra communione refecti, dominica Resurrectionis et festivitatibus Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, et Immaculatae Conceptionis et Assumptionis Beatae Mariae Virginis pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione, ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, etiam defunctis applicabilem, concedere ut supra queant.

III. De aliis indulgentiis.

IV. Ut singuli quique eorum quoscumque Christi fideles, de quibus habita ante mentio est, ab haeresi, etiam ab apostasia et schismate, in foro conscientiae absolvere, eosque, servatis servandis, Sanctae Matri Ecclesiae reconciliare ; tandem vasa, tabernacula, vestes, ornamenta et quidquid ad cultum divinum spectet et spirituali servitio sit necessarium benedicere libere et licite possint.

IV. De absolutione ab haeresi et benedictione sacrae supellectilis.

At enim volumus, edicimus, ut presbyteri sive capellani, quos memoravimus singulas atque universas facultates huiusmodi durante tantum expeditione et nonnisi cum tempus et necessitas postulet, exerceant, iisdemque uti valeant, quin eas Ordinariis locorum, per quae aut exercitus transeat, aut in quibus expeditionis causa consiiterit, subicere teneantur.

Rectus facultatum usus.

Clausulae. Simul volumus ut praesentium litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae ecclesiastica in dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si fuerint exhibitae vel ostensae. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Dies (6 iul. 1875). Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die 6 iulii 1875, Pontificatus Nostri anno trigesimo.

F. Card. Asquinius.

---

723. — ARCHIEPISCOPI CARD. REMENSIS

LITTERAE 22 SEPT. 1913 [1]

Communicantes de eodem argumento litteras Secr. Status 14 sept. 1913

Dies (22 sept. 1913). Reims, le 22 septembre 1913.

Monseigneur,

Arch. acceptum mandatum declarat. Je suis chargé de faire connaître à tous les Révérendissimes Ordinaires de France la réponse suivante, que j'ai reçue de S. Em. le cardinal-secrétaire d'Etat au sujet des aumôniers militaires :

Vatican, 14 septembre.

Litterae Secr. Status. SECRÉTAIRERIE D'ÉTAT
DE SA SAINTETÉ

Eminentissime et Révérendissime Seigneur,

De traditis quaestionibus S. Paenitentiariae. A peine reçue l'honorée lettre que Votre Eminence Révérendissime m'adressait le 16 août dernier, je m'empressai de soumettre à l'examen de la Sacrée Pénitencerie apostolique les questions qu'elle contenait au sujet des aumôniers militaires.

Huius tribunalis sententias refert. Je dois aujourd'hui lui faire savoir que le dit Sacré Tribunal a jugé opportun que le Saint-Père fût supplié de vouloir bien, par un acte de son autorité, déclarer que les aumôniers actuels de l'armée française, dûment approuvés par leurs Révérendissimes Ordinaires, jouissent, durant l'état de mobilisation ou en temps de guerre coloniale, de tous les pouvoirs accordés par Pie IX, de sainte mémoire, dans le Bref *Quae catholico nomini*, du 6 juillet 1875, dans les termes qui y sont indiqués.

Capellanis facultates dantur brevis « Quae catholico ». Sa Sainteté a daigné accéder pleinement à cette prière, et m'a donné l'ordre de charger, ainsi que je le fais, Votre Eminence, de communiquer sa souveraine et bienveillante décision aux autres Révérendissimes Ordinaires de France.

Alia vel aliis eadem concedere cur inutile visum sit. Pour ce qui est, ensuite, de la faculté d'absoudre, dans les circonstances ci-dessus désignées, même les soldats non attachés à l'armée française, la Sacrée Pénitencerie n'a cru nécessaire aucune nouvelle concession.

---

[1] Ex Canoniste contemporain, t. 37, p. 739-742.

D'ailleurs, lesdits aumôniers militaires sont déjà suffisamment pourvus, quant à l'objet dont il s'agit, par la loi du Concile de Trente sur l'absolution en péril de mort (Sess. XIV, ch. VII), que le même Sacré Tribunal a appliquée aux soldats durant la mobilisation, dans sa réponse, bien connue de Votre Eminence, donnée le 12 mars 1912 à Mgr l'évêque de Verdun [1].

De même aussi, la même Sacrée Pénitencerie ne juge pas utile l'extension des facultés contenues dans le Bref précité aux aumôniers militaires des autres armées, auxquelles il a été pourvu par des dispositions spéciales.

Conclusio

Je saisis avec empressement cette occasion pour renouveler à Votre Eminence les sentiments de la profonde vénération avec laquelle je lui baise les mains, et me signe, de votre Eminence, le très humble et très dévoué serviteur.

R. Card. MERRY DEL VAL.

Litterarum occasionem et vim Arch. Card. declarat.

Cette lettre est la réponse à celle que j'avais adressée à S. Em. le cardinal-secrétaire d'Etat, pour prier le Saint-Siège de vouloir bien déterminer dès maintenant les facultés dont jouiraient les aumôniers militaires en temps de guerre ou d'expédition coloniale, afin de permettre aux évêques de rédiger des feuilles d'institution canonique et de pouvoirs de juridiction spirituelle destinées à ces ecclésiastiques, de manière à être en état de les expédier sans retard, en cas de besoin.

Rappelant le Bref *Quae catholico nomini* de Pie IX, qui est spécial aux aumôniers et aux soldats français, je soumettais à Son Eminence diverses questions relatives aux pouvoirs des ecclésiastiques désignés pour exercer leur ministère auprès des armées. C'est à ces questions que répond la lettre ci dessus. La mission qui m'y est confiée de faire connaître la décision du Saint-Père et de la S. Congrégation à tous les évêques de France indique que cette décision a une portée générale pour notre pays.

Ipse autem summam addit brevis « Quae catholico ».

D'après cette réponse, les aumôniers militaires français, dûment approuvés par leurs Ordinaires respectifs, jouiront, durant toute la durée de la mobilisation ou de la guerre coloniale de tous les pouvoirs accordés par le Bref *Quae catholico nomini*, c'est-à-dire que, par concession du Saint-Siège, « tous les aumôniers militaires, tant principaux qu'auxiliaires, qui suivront l'armée auront le pouvoir d'user librement et licitement, hors du diocèse, sur le territoire et hors le territoire français, de tous les pouvoirs dont ils jouissaient (comme aumôniers militaires) dans le diocèse, par concession de leur propre archevêque ou évêque avant la mobilisation ».

A ces pouvoirs, le Bref ajoute les facultés suivantes, dont ils pourront user, sans avoir à les soumettre aux Ordinaires des lieux dans lesquels l'armée passerait ou séjournerait (art. 4) :

1. De célébrer la sainte messe une heure avant l'aurore et une heure après midi — en plein air, si c'est nécessaire — même en présence d'hérétiques ou d'excommuniés — de biner et de célébrer chaque lundi ou mardi non empêché une messe de *Requiem* (art. 1er) ;

---

[1] PERIODICA, t. 6, n. **582**, p. 227. Verum dies indicabatur tunc 18 martii 1912.

2. D'administrer les sacrements à tous les soldats et fidèles appartenant d'une manière quelconque à l'armée ;

De les absoudre de tous péchés réservés soit aux évêques, soit au Pape ;

De leur accorder l'indulgence plénière *in articulo mortis* (art. 2) ;

3. De leur accorder, aux conditions ordinaires, l'indulgence plénière applicable aux défunts, aux fêtes de Pâques, de Noël, de l'Immaculée Conception et de l'Assomption (art. 3) ;

4. De les absoudre de l'hérésie, de l'apostasie et du schisme, et de les réconcilier avec la sainte Eglise (art. 4) ;

5. De bénir les vases et ornements sacrés et tous objets servant au culte divin (art. 4).

Quae facultas capellanis omnis exercitus competat ex responso 12 mart. 1912.

Ces pouvoirs ne sont accordés aux aumôniers militaires français que pour les soldats et fidèles attachés à l'armée française. A l'égard des soldats ou fidèles appartenant aux autres armées, ils auront, en ce qui concerne le pouvoir d'absoudre, les facultés accordées à tout prêtre dans la réponse faite par la Sacrée Pénitencerie, 12 mars 1912, à la question posée par Mgr l'évêque de Verdun :

Utrum miles quicumque in statu bellicae convocationis, seu, ut aiunt, mobilisationis constitutus, ipso facto aequiperari possit iis qui versantur in articulo mortis, ita ut a quovis obvio sacerdote possit absolvi ? — Affirmative, *iuxta regulas a probatis auctoribus traditas.*

Conclusio.

Veuillez agréer, Monseigneur, l'hommage de ma profonde vénération.

† L.-J. Card. Luçon,
Archevêque de Reims.

---

724. — E SECRETARIA STATUS

DECRETUM EX AUD. SSi 26 DEC. 1913

Constitutiones per « Acta Pii X » promulgantur

(A. A. S. 31 dec. 1913, 5, 558)

Dies audientiae.

Ex audientia Sanctissimi, die 26 decembris 1913.

Ad dubia praecavenda SSus vult ut Constitutiones et leges quae exhibent « Acta Pii X » pro authentice promulgatis habeantur.

Completa nuper editione voluminum quae *Acta Pii X* inscribuntur, ad dubitationem quamlibet praecavendam de legitima promulgatione Pontificiarum constitutionem ac legum in iis insertarum ; SSmus Dnus noster Pius divina providentia PP. X, referente me infrascripto Cardinali a Secretis Status, decernere dignatas est : omnes ac singulas Consiitutiones ac leges, in quatuor praedictorum *Actorum* voluminibus contentos, plenissime promulgatas atque idcirco ratas firmasque habendas esse, perinde ac si in commentario officiali « *Acta Apostolicae Sedis* » insertae verbo ad verbum fuissent. Contrariis quibusvis, etiam speciali ac individua mentione dignis, minime obstantibus.

Clausula.

Dies decreti (26 dec. 1913).

Datum Romae, e Secretaria Status, die, mense et anno praedictis.

R. Card. Merry del Val.

ANNOTATIONES

1. Postquam C. *Promulgandi* [1], SS. D. N. PIUS X Commentarium Officiale edi imperaverat quo, seclusa speciali provisione, omnia S. Sedis decreta authentice promulgarentur, spes fuit futurum esse ut ex uno fonte omnia publica S. Sedis acta cognosci possent. Mox autem, quamvis speciali S. Pontificis mandato, die 5 ian. 1910 [2], ratio qua omnia acta a singulis discateriis isti Commentario tradenda erant accurate describeretur, plures gratiae universalis etiam utilitatis, plures S. Congregationis declarationes [3], alia tantum via vulgata sunt. Nec tamen de exceptione legi *Promulgandi* facta quidquam in monumentis istis legi poterat.

Nec umquam in ipso commentario divisio ista in partem *officialem* legibus et *illustrativam* iurisprudentiae destinatam, quae ex C. *Promulgandi* et ordinatione 5 ian. 1910 praecepta videbatur, formaliter facta est.

Quare bene intellegitur cur iam S. Pontifex, ad omne dubium auferendum, divulgationem per *Acta Pii X*, promulgationi per ACTA APOSTOLICAE SEDIS aequiperari iusserit.

Quae cum ita sint, ut Lectorum nostrorum utilitati consulamus, acta quae in Commentario officiali desiderantur, ex *Acta Pii X*, pro momento suo, vel plene exscripta vel summatim proponere nobis in animo est.

2. Observes autem vim authentiae non ipsi collectioni *Acta Pii X* qua tali, sed singulis monumentis quatenus natura sua leges iam sint tribui, ita ut nulli novus valor, praeter eum quem ab initio habebat, accrescat. Decretum praeterea quattuor voluminibus iam editis, non autem forte futuris vim istam ascribit.

---

725. — S. CONGR. RITUUM

DECRETUM 26 NOV. 1913

Additiones et variationes in martyrologio romano

(A. A. S. 19 ian. 1913, 6, 10)

Variationes in elogiis.

Inter elogia Festorum mobilium, quae in titulo « Rubricae Martyrologii » *inscribuntur, sequentes variationes inducendae sunt :*

1. *Ante elogium* Festum sanctissimi Nóminis Iesu *ponatur :*

Sabbato ante Dominicam, quae occurrere potest a die 2 ad 5 ianuarii inclusive, et, ea deficiente, die 1 ianuarii.

---

[1] PERIODICA, n. **291**, t. 4, p. 288.
[2] PERIODICA, n. **384**, t. 5, p. 104.
[3] Cfr. exempla in hoc etiam fasciculo nostro.

2. *Ante elogium* Sollémnitas sancti Ioseph, etc., *ponatur :*
Feria tertia ante Dominicam tertiam post Pascha.
3. *Ante elogium* Octáva Sollemnitátis sancti Ioseph, etc., *ponatur :*
Feria tertia ante Dominicam quartam post Pascha.
4. *Feria IV post Octavam Pentecostes sequens inscribatur elogium :*
Festum sanctissimi Córporis Christi.
5. *Deinde ponatur :*
Feria quarta infra Octavam sanctissimi Corporis Christi. Octava sanctissimi Córporis Christi.
6. *Ante elogium* Festum sacratissimi Cordis Iesu, *ponatur :*
Feria quinta in Octava sanctissimi Corporis Christi.
7. *Supprimantur singula elogia a Feria sexta post Dominicam tertiam Iunii usque ad finem tituli.*

***

Variationes in titulis lectionum propriarum de tempore.

In titulo Lectiones Propriae de Tempore *sequentes fiant variationes*
1. *Tertia Lectio sic inscribatur :*
In die Nativitatis Domini et per Octavam, Lectio.
2. *Quarta Lectio inscribatur :*
In Festo sancti Stephani Protomartyris et in die Octava, Lectio.
3. *Quinta Lectio inscribatur :*
In Festo sancti Ioannis Evangelistae et in die Octava, Lectio.
4. *Sexta Lectio inscribatur :*
In Festo sanctorum Innocentium et in die Octava, Lectio.
5. *Septima Lectio inscribatur :*
Dominica infra Octavam Nativitatis Domini et in Vigilia Epiphaniae, Lectio.
6. *Octava Lectio supprimatur, et eius loco ponatur cum sua Rubrica Lectio de Festo sanctissimi Nominis Iesu, quae nunc habetur tertio loco inter Lectiones proprias in Festis per annum.*
7. *Ultimae duae Lectiones sic respective inscribantur :*
In Festo sanctissimi Corporis Christi, et per Octavam, Lectio.
Dominica infra Octavam sanctissimi Corporis Christi, Lectio.

***

In titulis lectionum propriarum in Festis.

In titulo Lectiones propriae in Festis per annum *sequentes fiant variationes :*
1. *Tertia Lectio supprimatur.*
2. *Pro inscriptione* In Commemoratione sollemni sancti Ioseph, Sponsi beatae Mariae Virginis, Lectio, *ponatur :*
In Festo sancti Ioseph, Sponsi beatae Mariae Virginis, Lectio.
3. *Pro inscriptione* In Festo sancti Laurentii et per Octavam, Lectio *ponatur :*
In Festo sancti Laurentii et in die Octava, Lectio.
4. *Pro inscriptione* In Sollemnitate sanctissimi Rosarii beatae Mariae Virginis, Lectio, *ponatur :*
In Festo sanctissimi Rosarii beatae Mariae Virginis, Lectio.

* * *

In corpore Martyrologii sequentes fiant variationes : *In corpore martyrologii.*

1. Die 19 ianuarii — *Elogium sancti Canuti ponatur secundo loco, raemisso verbo* Item.

2. Die 19 martii — *Primo loco ponatur :*

In Iudaéa natális sancti Ioseph, Sponsi beátae Mariae Virginis, Confes-óris.

3. Die 20 martii — *In elogio S. Ioachim ponatur :*

.... cuius festum ágitur decimoséptimo Kaléndas septémbris.

4. Die 23 iunii — *Primo loco ponatur :*

Vigília sancti Ioannis Baptistae.

5. Die 24 iunii — *In elogio S. Ioannis Baptistae supprimantur verba :* iius Festum, etc., *usque ad finem.*

6. Die 1 iulii — *Primo loco ponatur :* Octáva sancti Ioánnis Baptistae. *Secundo loco ponatur :* Festum pretiosissimi Sánguinis Dómini nostri su Christi.

7. Die 15 augusti — *In elogio S. Hyacinthi ultima verba sic edantur :* .. eius autem Festum sextodécimo Kaléndas Septémbris celebrátur.

8. Die 16 augusti — *Primo loco ponatur :*

Sancti Ioáchim Patris beatissimae Virginis Genetricis Dei Mariae, cuius átális dies refértur tertiodécimo Kaléndas aprílis.

Deinde supprimatur elogium S. Hyacinthi.

9. Die 17 augusti — *Secundo loco ponatur :*

Sancti Hyacinthi Confessóris Ordinis Praedicatórum, qui decimo-octávo aléndas Septémbris obdormivit in Dómino.

10. Die 23 augusti — *Supprimatur Rubrica :* Romae et aliquibus in cis, *etc.*

11. Die 24 augusti — *Supprimatur Rubrica :* Romae et aliquibus in cis, *etc., cum sequenti indicatione Vigiliae.*

12. Die 25 augusti — *Supprimatur Rubrica :* Romae et aliquibus, *etc.*

13. Die 15 septembris — *Secundo loco ponatur :*

Festum septem Dolórum beatissimae Virginis Mariae.

14. Die 7 octobris — *Primo loco ponatur :*

Festum sanctissimi Rosarii beátae Mariae Virginis et commemorátio nctae Mariae de Victória, quam beátus Pius Quintus Póntifex Máximus, o insignem victóriam a christiánis bello naváli, eiúsdem Dei Genitricis ıxilio, hac ipsa die de Turcis reportátam, quotánnis fieri instituit.

Et supprimatur penultimum elogium, quod incipit : Eodem die, *etc.*

DECRETUM

SS^mus^ Dominus noster Pius Papa X, referente infrascripto Cardinali crae Rituum Congregationi Praefecto, additiones et variationes superius positas et ad normam recentiorum Apostolicae Sedis decretorum dactas approbare dignatus est atque in novis editionibus Martyrologii omani suis locis inserendas suprema Sua auctoritate mandavit. *Approbatio et iussio Pontificis.*

Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 26 novembris 1913. *Clausula. Dies (26 nov. 1913.*

Fr. S. Card. Martinelli, *Praefectus.*

† *Petrus La Fontaine, Ep. Charyst., Secretarius.*

Annotationes

Praesentibus additionibus et variationibus adaptatur Martyrologium novis regulis de assignatione festorum quales Motu proprio 23 oct. 1913 et subsequenti S. R. C. decreto 28 oct. [1] fuerunt promulgatae.

De ipso decreto haec tantum animadvertenda veniunt :

1° Lectiones propriae, de quibus in decreto, non sunt lectiones Nocturnorum Breviarii, sed lectiones breves ad absolutionem Capituli, in fine Primae, quae lectiones in Martyrologio repetuntur.

2° Dirimitur quaestio de modo annuntiandi diem octavam casu quo officium fieret, non de ipsa die octava, sed de alio praevalenti officio. Plerique auctores, in hac re sequentes Cavalieri [2], contendebant diem octavam tunc annuntiari 2° loco ; Guyetus vero [3] illam, etiam in hoc casu annuntiandam esse 1° loco ad morem vigiliae dicebat.

Porro, decretum nostrum, relicta opinione inter recentes plerumque admissa, sequitur Guyetum. Dies octava ergo, etiam ritus simplicis, annuntianda in posterum erit 1° loco, etiam si de ea nihil fiat in officio.

3° Iterum mutatur tum titulus, tum elogium festi Corporis Christi, necnon festi s. Ioseph (19 mart.). Scitur enim decreto 31 iul 1911 de reductione festorum [4] illa festa decorata fuisse titulo novo : *Commemoratio sollemnis sanctissimi Corporis Domini nostri Iesu Christi*, et *Commemoratio sollemnis sancti Ioseph, Sponsi beatae Mariae Virginis, Confessoris ;* et in nova editione typica Martyrologii eadem fuerunt adhibita verba. Iamvero, relicto novo hoc titulo, reassumitur antiquum, immo, pro festo s. Ioseph, iterum vindicatur qualitas diei natalis, quae ei in nova editione Martyrologii abiudicabatur [5]. Harum mutationum nulla ratio apparet.

Ios. Pauwels, S. I.

---

[1] Cfr. PERIOD. nn. **706** et **707**, t. 7, p. 196. In annotationibus horum decretorum necessitatem harum mutationum indicavimus. Porro praesenti decreto confirmatur quod tunc dicebamus de diebus in quibus assignanda forent festa universalis Ecclesiae hucusque diebus dominicis assignata.

[2] Tom. 2, Cap. 37, decr. 327, IX.

[3] HEORTOLOGIA. lib. 2, cap. 14, quaest. 3.

[4] Cfr. PERIOD. n. **526, B**, t. 6, p. 81.

[5] Hoc evidentissime patet ex eo quod in huius Martyrologii Indice festorum quae non sunt Sanctorum natalicia (Index II), enumeratur Commemoratio sollemnis sancti Ioseph, sponsi beatae Mariae Virginis (19 martii).

726. — S. CONGR. CONCILII

RESPONSA 12-15 DEC. 1913

Missa pro populo et servitium chorale

(A. A. S. 19. ian. 1914, 6, 9)

Quaesita.

De translatione festorum dierum statuta Motu proprio « Supremi Disciplinae » d. d. 1 iulii 1911, a sacra Congregatione Concilii quaesitum fuit :

Missa pro populo in festo translato.

1) An quando festum aliquod suppressum incidat in diem Dominicam, aut impeditam festo maioris ritus, curam animarum gerentes teneantur applicare missam pro populo, die in quam idem festum transfertur ?

Translatio chori communis et distributionum.

2) An quando festum aliquod transfertur, quod ad officium et missam tamquam in sedem propriam, in aliam diem, in ecclesiis in quibus servitium chorale alternis hebdomadis praestatur, obligatio chori *communis*, et distributiones, si quae pro eo festo sint, pariter transferantur in eandem diem ?

Dies comitiorum.

Et in plenariis comitiis, diei 12, loco diei 13, decembris 1913, E^mi^ Patres respondendum censuerunt :

Responsa.

Ad I.

Ad I. Negative.

Ad II.

Ad II. Negative, nisi, quod ad distributiones, obstet expressa fundatorum voluntas, statutum particulare, aut legitima consuetudo.

Approbatio SS^mi^.

Hisce autem relatis SS^mo^ Domino nostro Pio PP. X, in audientia habita ab infrascripto S. C. Secretario, die 15 eiusdem mensis et anni, Sanctitas Sua sententiam E^morum^ Patrum in omnibus approbavit.

Dies (15 dec. 1913).

C. Card. GENNARI, *Praefectus.*
O. Giorgi, Secretarius.

---

727. — S. C. DE SACRAMENTIS

RESPONSUM 24 IAN. 1913

De praesumpta coniugis morte [1]

Oratoris transmissae preces.

Praefecturae Apost. Rajputanen. Praesumptae mortis Coniugis — 24 ian. 1913 — 1. Litteris datis die 20 maii p. e., S. C. de Prop. Fide ad H. S. C. transmisit instantiam R^mi^ Praefecti Apostolici Rajputanen., in India seu *Indostan.*, qui refert preces mulieris Norae Annae Greene, ut ad alteras nuptias ipsa transire valeat, cum de morte prioris viri Eduardi Greene praesumeretur.

Rationes pro suicidio.

2. Iuxta praefatam instantiam et alligata documenta (quae ex lingua anglica in italicam sunt translata), Eduardus Greene, natione Hibernus, et stipendia in India faciens, uxorem diligebat, ita ut ob ipsius morbum videatur sibi mortem conscivisse (ut etiam quibusdam sociis suam mentem patefecerat), tribus liberis quoque relictis, prouti oratrix coram Vicario Generali deposuit.

3. Et de viri disparitione, quae accidit die 12 aprilis 1909, Capellanus castrensis in sua epistola ad Praef. Apost. haec refert : « Lungo la riva « del fiume Cabul furono trovati un elmo e una custodia da rasoio vuota.

---

1 MONITORE ECCLESIASTICO, t. 38, p. 350.

« Gli oggetti furono identificati di pertinenza del sergente Greene, che si « pensò essersi suicidato. Si esaminò e si esplorò il fiume, ma non si potè « trovare alcuna traccia del corpo di quest' uomo scomparso [1] ».

Frustraneae investigationes.

4. Investigationes autem de eodem viro per publicas ephemerides aliaque media, in Indiis et in Hibernia, peractae fuerunt, sed frustra. Et ipsa auctoritas militaris iussit « di scrivere — *creduto morto* — invece di — *diserzione* — ».

Super hac instantia proposito dubio :

Dubium.

An oratrici Norae Annae Greene permitti possit transitus ad alteras nuptias in casu.

Dies (24 ian. 1913).

In Congregatione generali sub die 24 ianuarii, praehabito voto consultoris, EE. Patres responderi iusserunt : *Affirmative.*

Responsum.

SSmus D. N. Pius Div. Prov. PP. X resolutionem EE. PP. ratam habuit ac approbavit.

Approbatio SSmi.

---

728. — S. C. DE RELIGIOSIS

RESPONSUM 31 IAN. 1913

De bonis tradendis Moniali saecularizatae [2]

Facta narrantur.

Seguntina. Circa restitutionem dotis et aliorum bonorum monialis e monasterio Ursulinarum egressae — 31 ian. 1913 — Soror Maria a S. Petro, professa votorum sollemnium in Monasterio Religiosarum a S. Ursula, Ordinis S. Augustini, in civitate Seguntina, in Hispania, transactis triginta et octo annis in vita regulari, tandem saeculum petiit, indultum saecularizationis impetravit, eo quod, ut ipsa fatetur, se iniuste humiliatam sensit. Nullum ipsa monasterio attulit dotem ; sed quam a pia persona monasterium accepit ad monialem indotatam admittendam, assignavit Mariae a S. Petro.

Peracta sollemni professione, Moniali ex legitima paterna lib. hispanae 250, et ex legato patruo 2500 obvenerunt. Nunc vero ipsa sibi vindicat tum dotem cum alia praedicta bona. Dos vero in summa 3750 lib. hispanarum consistit, quae, si cum duabus praecedentibus coniungatur, efformat quantitatem 6500 lib. hispanarum, quas proinde saecularizata exigit a suo monasterio haud egestate oppresso, sed neque divitiis affluente.

Hinc huic S. Congr. proposita fuerunt diluenda dubia quae sequuntur.

Dubia.

I. Utrum monasterium Seguntinum teneatur in casu tradere dotem vel saltem praestare alimenta sorori Mariae a S. Petro.

Dies (31 ian. 1913).

II. Utrum in casu tradenda sint dictae sorori bona extradotalia. Porro eadem S. Congregatio in plenario coetu die 31 ianuarii 1913 coadunata, prae oculis habito Consultoris voto, rescribere censuit :

Responsum.

Ad I et II. Oratricem per se nullum ius habere ; attentis autem omnibus circumstantiis, tradantur ei bona extradotalia.

Approbatio SSmi.

Quam resolutionem SS. D. N. Pius PP. X ratam habuit et confirmavit.

---

[1] Id est, latine : Iuxta ripam fluminis Cabul galea et vacua tonsorio cultello capsa repertae sunt. Quae res, facta recognitione, demonstratae sunt pertinere ad Optionem (*sergent*) Greene qui sibi vim intulisse existimatus est. Fluminis indagatio et exploratio nullum corporis istius hominis qui evanuit vestigium prodiderunt.

[2] MONITORE ECCLESIASTICO, t. 38, p. 352.

DECRETA SUMMATIM RELATA

729. — *SS. D. N. PII PP. X*

A. *Erigitur nova dioecesis Insulensis* (A. A. S. 17 nov. 1913, 5, 481).

Erectio dioecesis Insulensis.

Apostolicis sub plumbo litteris, 25 oct. 1913, S. Pontifex erigit novam dioecesim Insulensem in Gallia, detractis archidioecesi Cameracensi districtibus Insulensi, Hazebrouckiensi et Dunkerquensi.

B. *Erigitur in archiconfraternitatem sodalitas « Mariae Reginae Cordium »* (A. A. S. 17 nov. 1913, 5, 485).

Archiconfraternitas.

Litteris apostolicis 28 apr. 1913, S. Pontifex Sodalitatem « Mariae Reginae Cordium », Romae erectam in sacello Societatis Mariae a B. Montfort, evehit in archiconfraternitatem cum facultate ubique aggregandi.

C. *Extenditur ad Americam latinam Congregatio vulgo « Talleres de Caridad de Santa Rita de Casia* (A. A. S. 20 dec. 1913, 5, 515).

Congregatio.

Epistula 8 nov. 1913 ad Moderatorem Congregationis « Talleres de Caridad de Santa Rita de Casia » S. Pontifex illam ad Americae latinae regiones extendit.

D. *Determinantur iura Canonicorum, qui non sint Praelati domestici, e Capitulis habentibus privilegia Protonotariorum* (A. A. S. 31 dec. 1913, 5, 545).

Praelaticius habitus canonicorum.

Motu proprio 22 dec. 1913, S. Pontifex concedit Canonicis, qui cum sint e Capitulo ornato insignibus et iuribus Protonotariorum, non tamen inter Praelatos domesticos referantur, ut collegialiter fruantur omnibus privilegiis suo Capitulo a S. Sede tributis, singuli autem tum praelatitium habitum et *pianum*, quem vocant, gestare (Litt. *Inter multiplices* de Protonotariis § 16 et 17), tum, de speciali mandato Ordinarii, ornatu et more Praelatorum (ibid. § 31) Sacrum celebrare possint, intra fines tamen dioecesis.

E. *Pressius determinatur regimen Seminarii Romani minoris ad Vaticanum* (A. A. S. 19 ian. 1914, 6, 5).

Regimen seminarii rom. minoris.

Motu proprio 6 ian. 1914, S. Pontifex plura determinat quod ad administrationem Seminarii Romani minoris ad Vaticanum, et in primis ut Cardinalis Urbis Vicarius regimen huius Seminarii, in omnibus quae ad disciplinam, pietatem, studia ac bonorum administrationem pertinent, solus obtineat, Cardinali Archipresbytero Basilicae S. Petri semper honoris causa praesidente, et iura quae ipsi ut Ordinario competunt, retinente. Cfr. PERIOD. VII p. 214.

730. — *S. CONGR. CONSISTORIALIS*

A. *Dantur Normae ad Seminarium Romanum ad Lateranum* (A. A. S. 17 nov. 1913, 5, 492).

Normae Seminarii Lateranensis.

Die 30 oct. 1913, S. Congr. Consistorialis Normas definivit ad Const. « In praecipuis » de Seminario ad Lateranum (v. supra p. 214) exsecutioni mandandam.

B. *Constituuntur novae dioeceses in Brasilia et America centrali* (A. A. S. 31 dec. 1913, 5, 548).

Erectio dioecesis in Brasilia et, constituta provincia, in America centrali.

Decretis S. C. Consist. 20 oct. et 2 dec. erectae sunt tres novae dioeceses distractae ab archidioecesi S. Salvatoris de Bahia in Brasilia, — et dioecesis Nicaraguensis, a metropolitico iure archidioecesis Guatimalensis subtracta, divisa est in quattuor partes : in archidioecesim Managuensem, dioecesim Leonensem in America centrali, dioecesim Granadensem et vicariatum apostolicum Bleufieldsensem, suppresso nomine dioecesis Nicaraguensis.

C. *Civitas Galatina interdicto subicitur* (A. A. S. 20 dec. 1913, 5, 517).

Interdictum Galatinum.

Die 10 dec. 1913, S. Congr. Consistorialis interdicto subiecit civitatem Galatinam, ob contumelias illatas Archiepiscopo Hydruntino.

D *Revocatur interdictum latum contra civitatem Galatinam* (A. A. S. 19 ian. 1914, 6, 8).

Revocatur interdictum Galatinum.

Praestita congrua satisfactione, S. Pontifex tollit interdictum latum contra civitatem Galatinam. Cfr. hic supra.

731. — *S. CONGR. INDICIS*

Liber prohibitus.

Decreto 13 nov. 1913 damnatur opus (A. A. S. 17 nov. 1913, 5, 498). ANTONIETTA GIACOMELLI. *Per la riscossa cristiana*. Milano, 1913.

732. — *S. CONGR. DE PROPAGANDA FIDE*

Constituitur Praefectura de Lindi (A. A. S. 17 nov. 1913, 5, 497).

Praefectura.

Decreto 12 nov. 1913, S. Congr. de Propaganda Fide constituit novam Praefecturam de Lindi, in Africa orientali Germanicae dictioni subiecta, detractam a Vicariatu Daressalamensi, concredendam Congregationi Benedictinae de S. Othilia.

733. — *S. CONGR. RITUUM*

Causae beatificationis et canonizationis.

Introductio causae.

A. Die 10 dec. 1913, S. Pontifex signavit Commissionem introductionis causae Servae Dei Mariae Crucifixae di Rosa, fundatricis Congregationis Ancillarum a Caritate (A. A. S. 31 dec. 1913, 5, 550).

Declarata heroïcitas.

B. Die 14 dec. 1913, prodiit decretum super heroicitate virtutum Ven. Servi Dei Michaelis Le Nobletz (A. A. S. 20 dec. 1913, 5, 520).

734. — *S. ROM. ROTA*

Funera Iura capituli.

A. Die 7 iun. 1913, S. Romana Rota, in causa Melevitana, Funerum, inter capitulum ecclesiae B. V. Immaculatae in civitate Cospicua et Can. Ios. Azzopardi, vicarium curatum perpetuum eiusdem ecclesiae, secundum decisionem Signaturae Apostolicae 26 iul. 1912 (v. supra p. 59), statuit quaedam iura pertinere ad Capitulum (A. A. S. 17 nov. 1913, 5, 499).

Consuetudo vetans missas cantatas sine parochi venia.

B. Die 12 iul 1913, S. Romana Rota, in causa Segusina, Iuris canendi missas adventicias, inter Praepositum Cathedralis Segusinae et Rectorem ecclesiae a Suffragio, statuit constare de consuetudine legitime praescripta qua vetitus est cantus Missarum adventiciarum in ecclesiis non parochialibus sine parochi venia, tam in civitate quam in dioecesi Segusina in casu (A. A. S. 20 dec. 1913, 5, 523).

Nullitas matrimonii ob metum.

C. Die 14 iul. 1913, S. Rom. Rota in causa Cocincinae occidentalis Nullitatis matrimonii, inter Martham Sò et Petrum Dò, statuit constare de matrimonii nullitate, ex capite metus (A. A. S. 31 dec. 1913, 5, 552).

Causae sub secreto.

D. Die 15 ian. 1914, ex Cancellaria S. Rotae evulgata est pars dispositiva sententiarum in causis anno 1913 sub secreto peractis (A. A. S. 19 ian. 1914, 6, 13).

735. — *SIGNATURA APOSTOLICA*

Stipendium Professorum.

A. Die 9 dec. 1913, Signatura Apostolica, in Congressu, statuit e limine reiciendum esse recursum contra sententias rotales (25 iul. 1911 et 13 ian 1913; v. Period. t. VI, p. 21 et t. VII, p. 117) professorum scholae Angelo Mai expostulantium integrum stipendium. (A. A. S. 20 dec. 1913, 5, 531).

Exceptio intempestive proposita.

B. Die 9 dec. 1913, prodiit decretum quo a limine reicitur recursus contra sententiam Rotalem 12 iul. 1913 in causa Segusina, Iurium (v. hic supra, n. 732, B) quoniam exceptio non tempestive, id est non initio iudicii, opposita est, atque ita partes censendae sunt consensisse ut non « videntibus omnibus » ut fieri debuisset, causa denuo disceptaretur (A. A. S. 19 ian. 1914, 6, 19).

I. Salsmans, S. I.

BIBLIOGRAPHIA [1]

Arendt. (S. I.). *De laesione iustitiae commutativae in missae manualis stipendio alteri celebranti deminuto.* Relectio theologica scholastica Prati, Giachetti 1914, in-8, p. IV-152, 2,50 fr.

INTRODUCTIO : Causa scribendi ; Subiecti definitio ; Disputationis divisio.

CAPUT I. Praeliminaria. — CAPUT II. Demonstratio ex rei natura desumpta. — CAPUT III. Vicissitudines quaestionis apud doctores critice exponuntur.

EPILOGUS historiae totius controversiae.

INDEX alphabeticus rerum et auctorum.

Defourny. *L'aumônerie militaire.* in 8°, Bruxelles, Action catholique, 1913, 43 p. 0.50 fr.

L'aumônerie Prussienne — Anglaise — Autrichienne — Suisse. L'aumônerie en Hollande — en France. Conclusion.

Delbrel. (S. I). *Esto Fidelis. Pour les jeunes religieux.*

Ch. I. Restez religieux. Ch. II et III. Raisons pour, ou raisons qui vous engagent à rester dans l'état religieux. Ch. IV et V. Raisons contre, ou raisons qui pourraient vous conseiller de sortir de l'état religieux. Appendices. in 8°, Paris, Beauchesne, 1913, p. XI. 185.

De Smet. (R. D) *Tractatus de casibus reservatis necnon de sollicitatione et absolutione complicis.* Brugis, Beyaert, 1914. in 8°, 221 p.

TRACTATUS I. *De casibus reservatis.*

Pars prima. *De reservatis in genere.* — De natura reservationis — De potestate reservandi. — De conditionibus requisitis ad incurrendam reservationem. — De cessatione reservationis.

Pars altera. *De reservatis in specie.*

TRACTATUS II. De sollicitatione et absolutione complicis.

Pars prima. *De sollicitatione.* — De crimine sollicitationis. — De denuntiatione sollicitantes. — De processu et poenis contra sollicitantes. — De crimine falsae denuntiationis.

Pars altera. De absolutione complicis. — Dispositiones prohibitivae et initativae. — Dispositiones poenales. Index bibliographicus.

De Witte, (Baron Jehan) *Les deux Congo.*

Première partie : 35 ans d'apostolat au Congo Français : Mgr. Augouard.

Seconde partie : Les origines du Congo Belge. Préface de M. le comte A. de Mun. in 8°, Paris, librairie Plon. 1913, p. XII, 408.

---

[1] Tous les ouvrages cités dans la Bibliographie sont en vente chez M. Beyaert, Libraire, Bruges.

Fallon. (S. I.) *Les plus-values et l'impôt* (Bibl. Société d'études morales et juridiques.) Bruxelles 1913, Van Fleteren, 1914, 1 vol. XVI, 516 p. 6 fr.

Ch. I. Etat de la question. Ch. II. Les faits. — Remarques préliminaires. — Le sol rural. — Le sol urbain. — Synthèse des faits. Ch. III. Les causes. — L'exemple de Charlottenbourg. — Les causes naturelles. — Les causes artificielles. Ch. IV. Le droit. — Les théories en présence. — Les taxes rémunératoires. — Ch. V. Le Georgisme. — Le système. Critique du système. — Les titres de l'État à la propriété de la rente. Ch. VI. Le « Bodenreform. » — Le système. Critique du système. Ch. VII. L'impôt. — Principe de l'imposition des plus-values spontanées. — Avantages de cette imposition. — Inconvénients. — Appendice. — La législation. — Impôts sur la rente. — Impôts sur la plus-value.

Guillaume (S. J.). *L'Évangile étudié au point de vue social.*

I. Valeur sociale de l'Évangile. Aperçu général. — II. L'esprit social de l'Évangile. — III. La prière sociale. — IV. La personne humaine, d'après l'Évangile. — V. Le mariage selon l'Évangile. — VI. La famille, d'après l'Évangile. — VII. La société, d'après l'Évangile. — VIII. La charité, d'après l'Évangile. — IX. L'Évangile et les biens de ce monde. — X. L'Évangile et les maux de cette vie. — XI. La pauvreté selon l'Évangile. — XII. Le travail selon l'Évangile. Nature du travail. — XIII. But et ressort du travail. — XIV. Valeur sociale de la pauvreté religieuse. — XV. Valeur sociale de la chasteté parfaite. — XVI Valeur sociale de l'obéissance parfaite — XVII. La démocratie selon l'Évangile. Que pense l'Évangile de l'égalité et de la liberté démocratiques ? — XVIII. Que pense l'Évangile de la fraternité démocratique ? — XIX L'esprit surnaturel et l'action sociale.

Bibliographie — in-8, 385 p. Paris, Beauchesne, 1913

Prüm, Em. Bruxelles, s. d. Patriote, In-8°. 91 p. 1 fr. *Le conflit entre l'Église et l'État au Grand-Duché de Luxembourg. — Les responsabilités.*

Rodriguez. Franc. *L'Italia mineraria.* Gr. in-8°. Torino, 1911. 101 p.

The Catholic Educational Association Bulletin, Nov. 1913. *Report of the proccedings and addresses of the tenth annual meeting.* New Orleans, June 30-July 3, 1913. in-8°, XVI-514 p. Office of the Secretary general, 1651 East Main street, Columbus drio.

The teaching office of the Catholic Church, Rt. Rev. Msgr. Thomas J. Shahan, D. D. p. 66-76. — Catholic education and the catholic college and university man in life, Homer Dupuy, A. M., M. D. p. 76-83. — The catholic college. — What must it do ? Rev. John C. Reville, S. I. p. 83-95. — Catholic education and the public welfare, Robert A. Hunter, Esq. p. 95-108. — The world's desire, Rev. Peter C. Yorke, D. D. p. 108-132. — The problem of the curriculum, Rev. Francis W. Howard, LL. D. p. 132-147. — Teaching of philosophy in the college, Very Rev. Edward, A. Pace, Ph. D. p. 185-193. — Vocational guidance, Rev. Albert Muntsch, S. I. p. 238-263. — The thorough formation of our teachers in the spirit and observances of their respective ader, an indispensable condition to sound and successful pedagogics, Rev. Wm. Power, S. I. p. 339-362. — Difficulties encountered by religions superiors in the professional training of their teachers, Very Rev. I. C. Ei, S. M. p. 362-380. — Suggestions

toward a uniform plan of studies in the department of theology for seminaries in the United States, Rev. H. J. Heuser, D. D. p. 455-475. — The department of philosophy in the Seminary, Rev. F. P. Siegfried, p. 481-489. — Moral theology in the curriculum, Very Rev. John B. Peterson, Ph. D. p. 492-502.

Thuysbaert, (Prosper.) *Het land van Waes. Bijdrage tot de geschiedenis der landelijke bevolking in de XIXe eeuw.*

Hoofdst. I. De streek. — Hoofdst. II. De verkeersmiddelen. — Hoofdst. III. De landelijke bevolking. — Hoofdst. IV. Het volksonderwijs. — Hoodst. V. De eigendom. — Hoodst. VI. De Waesche boer. — Hoofdst. VII. Knechten, meiden en landarbeiders. — Hoofdst. VIII. De armoede in Vlaanderen gedurende de XIXe eeuw. — Hoofdst. IX. De uitwijking in het Waesland gedurende de XIXe eeuw. — Hoofdst. X. De nijverheid in het land van Waes. — Kortrijk, Vermaut, 1913, gr. in-8o, bl. XV, 328.

Ex Periodicis

Canoniste Contemporain. Nov. 1913. A. Villien. : La réforme de la Curie Romaine. La S. C. de l'Index.

Déc. 1913. A. Boudinhon. La confession des religieux. A. Villien. La réforme de la Curie Romaine. La S. C. des Rites.

Janv. 1914. A. Villien. La procédure canonique pour l'expulsion des religieux.

Collationes Brugenses. Nov. 1913. C. Callewaert. De missis votivis de Sanctis.

Dec. 1913. A. De Smet. Circa vinum in missa adhibendum. Pii X. Motu Proprio « Abhinc duobus annis » : de officiis divinis novo aliqua ex parte modo ordinandis. Notae.

Collationes Gandavenses. Dec. 1913. C. van Crombrugghe : Le problème du salut des infidèles.

Ilustración del Clero. 1 nov. 1913. Sobre dispensas matrimoniales. Facultades para el Congo. 327.

16 nov. 1913. De la reforma del Calendario perpetuo Dioecesano y del de las Ordenes e Institutos Religiosos, 354.

16 ian. 1914. De la reforma del Calendario perpetuo Dioecesano, 20. La sifilis y el matrimonio, 24. — El decreto « Ne temere » y los matrimoniosa bordo, 25. — Efectos de la suspensión, 25. Caso heroico de obediencia canonica, 26.

Neerlandia Franciscana. Jan. 1914. P. Ed. d'Alençon : Essai de Bibliographie Capucino-Congolaise.

Nouvelle Revue Théologique. Nov. 1913. Dom R. Trilhe : Nouvelles modifications au Bréviaire Romain. — H. Degrelle : Les nouvelles rubriques et les directoires pour 1913.

Déc. 1913. Besson : Les religieux et la propriété de leurs manuscrits.

Janv. 1914. Besson : La translation administrative des curés et son exemption du décret *Maxima Cura*. Dom Trilhe : Le Motu Proprio « Abhinc duos ». Besson : Les confesseurs des religieux et le décret « In Audientia ».

SUPPLEMENTA

SUPPLEMENTUM UNDEVICESIMUM

VICARII APOSTOLICI ET PRAEFECTI APOSTOLICI MUNUS, POTESTAS ET SPECIALES OBLIGATIONES *(continuatur)*

CAPUT II. **De Praefecto Apostolico** [1]

ART. I. **Praefecti Apostolici munus**

Muneris origo historica. — Ipsa *Praefecti apostolici* appellatio non adeo antiqui usus esse demonstratur, cum primum eam legerimus in Brevi *Nuper pro parte,* 22 aug. 1738, quo CLEMENS XII « pro parte dilecti filii FRANCISCI ROMERO A S. ANTONIO expresse professi ac ministri provincialis provinciae S. Didaci in Boethica Ordinis Minorum S. Francisci Discalceatorum nuncupatorum et *praefecti apostolici* missionum Mequinez regni Marochii », decretum S. C. Propagandae Fidei confirmans, dicto Praefecto facultatem facit constituendi Matriti, sub dependentia S. Congregationis, procuratorem ad eleemosynas colligendas [2].

Usu longe antiquior et adhuc usurpata est appellatio *Praefecti missionum,* quae iam 4 maii 1626 reperitur in mandato quod ipsis per Procuratorem Generalem datum est [3].

Utrumque dicendi modum aequiperari existimat ZITELLI, ita ut nomen *Praefecti apostolici* pro *Praefecto apostolicae missionis*, brevitatis causa dictum existimet : « Missiones istae (quae auctoritate Pontificia instituebantur) *apostolicae* appellatae sunt, quique iis praesidebat Praefectus apostolicae missionis dictus est, qui paulatim, brevitatis gratia, Praefectus apostolicus nuncupari coepit [4]. » Quae assimulatio etiam in Indice *Iuris Pontificii*, Part. II, t. 1, facta est, ubi verbis *Praefectus apostolicus* etiam decreta et acta de Praefectis missionum subiciuntur, dum in Indice Collectaneorum omnia sub verbis *Praefectus missionum* posita sunt.

---

1 Cfr. cap. I, p. (9).
2 *Ius Pontif. de Prop. Fide,* P. 1, t. I, p. 493.
3 Collectanea Prop. Fid. n. 22, ed. 2.
4 *Apparatus Iuris ecclesiastici,* p. 138.

Ficticia nobis videtur haec etymologia ZITELLI, tum quia appellatio *Praefectus apostolicae missionis* antea occurrere non consueverat ita ut de ea minuenda quaestio fieri non potuerit, tum quia obvia haec explicatio subest, qua, propter originem missionis suae, ab Apostolico domno, praefecti non minus quam missionarii apostolici dicti sunt.

Hactenus de nominum confusione vel distinctione. Res autem ipsa postulat ut varias historicas vices attendamus.

Prius ipsi missionarii potius quam cum territorio populus Praefecto tamquam Superiori commissi sunt. Praefectus missionis dicebatur, quia sacrae virorum ecclesiasticorum expeditioni praepositus erat.

Quocirca: a) Quamvis a S. Congr. Propagandae Fidei designaretur, subditus manebat Generalis Ordinis et Procuratoris generalis [1]. Cfr. decr. S. C. Pr. Fid. 2 oct. 1724. *Ius Pontif. Prop. Fidei*, p. 2, t. I, p. 293 n. 551, vel *Collectanea*, n. 2250 (Appendix ed. 2).

b) Qualitas quasi ordinaria eius iurisdictionis negata est. Resp. S. C. Prop. Fid. 2 aug. 1830 (*Collectanea Prop. Fid.* n. 818 (ed. 2)).

c) Iuxta Patriarcham, Episcopum et etiam Vicarium Apostolicum constitutus est.

Huc facit distinctio qua AICHNER praefectos Apostolicos singulis Missionum stationibus, dum Vicarius Apostolicus pluribus stationibus in unum coniunctis praeesse existimat [2], quae notio, si usus consideres, satis peregrina videtur.

d) Cum in territorio versaretur ubi est Episcopus, Patriarcha, vel Vicarius apostolicus, ab excommunicatione in foro externo quempiam absolvere non poterat [2]; et ambigebatur num erga alios atque subditos religiosos facultates suas exercere posset. Cfr. resp. S. Officii 26 april. 1809, (ubi exemplum habe *praefecti* missi in regionem ubi Vicarius apostolicus erat) *Collectanea*, n. 698, ed. 2.

e) Interdum idem qui Superior Provincialis etiam Praefectus Missionum constituebatur. Cfr. decr. Prop. Fidei 3 mart. 1766. (*Collectanea*, n. 463, ed. 2).

f) In definitum tempus, puta 7 annos constituebatur. Cfr. deputationem Praefecti missionum Soc. Iesu, 26 sept. 1740 et 27 nov. 1765. (*Ius Pontif. Prop. Fid.* p. 2, t. I, p. 314 et 343.

g) Etiam hodie Praefecti huius generis occurrunt in locis ubi alius Ordinarius exsistit.

Verum in regionibus ubi nulla alia hierarchica potestas est necdum magnus christianorum numerus habetur, iam, pro Vicario Apostolico, Praefectus Apostolicus ad ipsum

[1] Si tamen in Ordine de quo agitur Procurator generalis inter Praelatos fuerit.
[2] Cfr. Instr. Prop. Fid. 14 ian. 1726 (*Collectanea*, n. 305, ed. 2).

territorium regendum ab aliquot annis constitui consuevit. Et sic ad alteram, recentiorem, Praefecti Apostolici rationem pervenimus.

Iuvat hic bina exempla antiquioris institutionis subicere.

I. Decretum S. Congr. Prop. Fidei 12 febr. 1645 [1]

Referente eminentissimo domino cardinali s. Onuphrii litteras Nuntii Hispaniarum, et provincialis ac definitorii capuccinorum provinciae Andalusiae, sacra Congregatio missionem decrevit fr. Gasparo de Sevilla, Andalusiae provinciali, cum infrascriptis sociis, videlicet : p. fr. Emmanuele de Granata, contionatore ; p. fr. Antonio de Ximena, contionatore ; p. fr. Francisco de Arevalle, contionatore ; p. fr. Francisco de Iznasar, contionatore ; p. fr. Sebastiano de Sancta Fide, contionatore ; p. fr. Didaco de Guadaleanal, contionatore ; p. fr. Ioanne de Sevilla, sacerdote ; p. fr. Ludovico de Priego, sacerdote ; p. fr. Iosepho Ulyssiponensi, sacerdote ; p. fr. Ioanne de Vergara, sacerdote ; fr. Michaele de Granata, laico ; fr. Blasio de Hardales, laico, ad regna Nigritarum, eiusdemque missionis praefectum constituit et deputavit dictum fr. Gasparum, cum potestate vice-praefectum constituendi, qui cum aliis sociis in dictis regnis resideat, et pro facultatibus iussit adire ad sanctum Officium.

Romae, die et anno quibus supra.

II. Decretum S. C. Prop. Fid. 26 sept. 1740 [2]

Referente etc. Secret. s. Congregationis [2] Praefectum Missionis pp. Societati Iesu in Insulis Martinicae, s. Christophori, s. Vincentii, Guadalupae, et Granatae, nec non in aliis omnibus insulis in iis tractibus sitis, temporali dominio Regis X^mi in America meridionali subiectis, cum ceteris adiacentibus, et nuncupatis Insulae Venti, sive ad Caribas, sive ad Anglos, aut Danos pertineant, ad septennium declaravit d. Bernardum Prievr eiusdem Societatis, cum auctoritate, ea quae ad Missionis regimen pertinent, ad praescriptum Decretorum s. Congregationis, et facultatum eidem concessarum exercendi, et non alias, nec alio modo.

Datum Romae, die et anno, etc.

Et pro eodem expeditae fuerunt facultates sub Formula 4^a.

Hodierna muneris ratio. — Itaque in partibus infidelium vel haereticorum, territoria alia Vicario Apostolico, alia Praefecto Apostolico auctoritate S. Sedis administranda committuntur.

Huiusmodi vero Praefectus apostolicus : a) A Praefecto missionum, de quo supra, probe secernendus est. Namque, dum Praefectus missionum religiosos subditos in primis regit, fit ut Praefectus apostolicus non iam sit Superior

---

[1] *Ius Pontif. Prop. Fid.* II, t. 1, p. 95.
[2] Ibidem, p. 314.

religiosus. Sic, v. gr. in Praefecturis quas tum Congregatio SS. Redemptoris tum Congregatio Scheutensis in dicione Congolensi possident, Praefectus apostolicus alter est a Superiore religioso. Ac praeterea, ubi mere erat Praefectus missionum, Praefectus apostolicus quandoque succedit.

b) Quasi ordinariam iurisdictionem habere et Ordinarius vocari posse videtur. Claram huius rei definitionem in actis S. Sedis frustra quaesieris. Sed, iam anno 1888, die 20 febr. S. Officium, agens de dispensationibus matrimonialibus, declaravit appellatione *Ordinarii* « venire Episcopos, Administratores seu Vicarios Apostolicos, Praelatos seu Praefectos habentes iurisdictionem cum territorio separato », quod, in declaratione 20 april. 1898, de omnibus facultatibus habitualibus S. Sedis iteratum est. Accedit auctoritas Zitelli aientis : « Sunt enim (Praefecti Apostolici) qui, cum territorium proprium habeant, veri missionis Superiores sunt, seu loci *quasi Ordinarii* [1] », et Besson, qui Praefectum apostolicum dioecesano Praelato assimulatum dicit. (Nouvelle Revue théologique, 1914, p. 26).

c) Excepta Ordinis potestate, cum *Vicario Apostolico* comparari potest, ita ut non immerito sic dixeris : Vicarius apostolicus qui Episcopus titularis non est, potius Praefectus Apostolicus appellatur.

Comparatio Praefecti missionum et huius Praefecti apostolici. — Praefectus missionum religiosis immediate, Praefectus Apostolicus immediate territorio praestituitur. Is ad nutum S. Sedis, ille quandoque in certum tempus, quandoque durante alio munere constituitur. Prior ex facultatibus positive sibi collatis omnem potestatem haurit, dum Praefectus Apostolicus, praeter istas facultates, iam ex ipsa commissa administratione iurisdictionem nanciscitur. Quare, cessantibus facultatibus, ipsa prioris non autem posterioris potestas cessat.

Praefecti Apostolici descriptio. Praefectus Apostolicus de quo solo hic agitur describi potest : *Praelatus sacerdos, qui, in territorio ubi hierarchia ordinaria non exsistit, nomine S. Pontificis dilatandae fidei et pascendis fidelibus operam dat.*

Corollaria. 1. Caute responsis S. Sedis quae vel in Collectaneis Propagandae Fidei vel in tractatibus proponuntur utendum est. Nulla enim distinctione facta, eodem titulo omnia subiciuntur, dum plura immo pleraque quae de Praefectis missionum declarata sunt in Praefectos Apostolicos quales hic intellegimus, minime cadunt.

---

[1] *Apparatus Iuris ecclesiastici*, p. 138.

2. Non tam ex nomine *Praefecti Apostolici* quam ex territorio separato quod ei obtingit, potestas quasi ordinaria ipsi agnoscenda est.

3. Quia Praelatus et territorio separato a S. Sede praefectus est, exemptionem a potestate Superiorum Ordinis vel Instituti quam Vicarii Apostolici habent, in munere suo gerendo participare dicendus est.

4. Si regionem consideres quam Pontifex Christo lucrari vult, quattuor quasi stadia progressus interdum distinguere possumus. In priore stadio mera missio cum praefecto missionum habetur [1] ; in altero territorium in praefecturam erigitur ; in tertio evadit Vicariatus, donec in quarto hierarchiam stricte ordinariam obtineat.

Art. II. **Praefecti Apostolici Potestas**

N. B. Dum in *apparatu* suo Zitelli de solis praefectis agit quorum provincia territorio alius Ordinarii continetur, nos, contra, ad illos solos sermonem contrahimus qui territorio separato continentur, ubi, interdum, tot catholicos regendos et tot infideles convertendos habent ut utraque ratione plures Vicarios Apostolicos et Episcopos munere superent. Sic v. gr. in Congolensi dicione, tum Kasaiensis, tum Kwangensis Praefectura, sive baptizatos catholicos, sive baptizandos catechumenos, sive convertendos barbaros consideres, non uni Vicariatui Africae anglicae longe antecedunt. Et cum eadem apostolica auctoritate praefectus territorio praestitua tur, re vera, si ordinem episcopalem demas, nihil a Vicario differre et quasi Vicarius apostolicus dici posse videtur.

Potestatis Principium. — Adaequata potestatis comprehensio ex utroque fonte unde dimanat sumenda est. Ex *commissa* ecclesiastica *territorii administratione*, Praefectus apostolicus omnia potest quae, secundum hodiernam disciplinam, ad bonum spirituale populi procurandum necessaria sunt [2]. Ex *facultatibus* a S. Sede concessis, prior potestas utiliter ampliatur.

Quid potest qua Praelatus territorio separato praepositus ?

1. Solus auctoritate sua, delegata a S. Sede, Praefecturam administrat. Nulla istius administrationis pars vel Episcopo seu Vicario Apostolico vicino, vel Superiori maiori sui Instituti commissa est. Directum enim a S. Sede receptum mandatum possidet.

---

[1] Recens exemplum offert missio *De Puturnayo*, in America meridionali erecta decreto 4 oct. 1912. Cfr. PERIODICA, n. 7IIA, t. 7, p. 215.

[2] Iura et officia ex iuribus et officiis *Abbatis* seu *Praelati Nullius* satis aestimari posse propter condicionis similitudinem putamus.

2. Solus ipse curator et administrator est bonorum ecclesiasticorum quae ad exemptos seu religiosos non pertineant.

3. In foro *interno* ipse pro confessionibus tam saeculares quam regulares approbat, idque post examen vel sine examine, additis vel omissis consuetis restrictionibus.

4. Casus sibi in eodem foro reservare potest. Suntne autem in sua Praefectura, Praefecto reservati casus quos ius commune v. gr. C. *Apostolicae Sedis*, 12 oct. 1869 episcopis sive Ordinariis reservat ? Cum neque in actis S. Sedis neque in libris scriptis clare legatur Praefectus ea omnia posse quae Ordinariis per se competunt, id nobis minime exploratum est. Quo dubio manente, donec S. Sedes rem definierit, casus istos in Praefecturis pro non reservatis censemus. Quamquam facultatem illos sibi reservandi Praefecto ascribimus. Si enim casus isti inter non reservatos accidentaliter habendi sunt, S. Pontifex de his, quod ad praefecturas, nihil edixisse, id est manus non apposuisse videtur, ita ut libertas Praefecti intacta maneat. Et dum sibi hos casus reservat, ad mentem Pontificis egisse censendus est.

5. Subditis sacramenta quae episcopalem ordinem non supponunt conferre potest.

6. Preces publicas et ieiunia imperare potest.

7. Personas sibi subditas *praeceptis* et *censuris* ligare potest. Quae praecepta communia aut particularia esse possunt. Quare communes ordinationes facere non prohibetur. Quia tamen stricte dictas *leges* faciendi seu statuta condendi potestas ipsi nec commissa legitur nec in territorio inchoatae ecclesiae necessaria videtur, omnes ordinationes morte vel cessatione ab officio tolli arbitramur. Res haec tamen dubio non vacat, cum Praelatus *Nullius* statuta condere possit.

8. Dispensare in communibus Ecclesiae legibus sicut Episcopus potest.

9. In *delicta* fori ecclesiastici inquisitione animadvertere potest. Eadem oeconomice seu extraiudicialiter punire potest. Poenas stricte iudiciales ferre posse non videtur.

Iudicialis enim potestas ipsi commissa non legitur. Quare, v. gr. pro causis matrimonialibus vel delegatio pontificia postulanda est, vel S. Sedes adeunda erit ubi, ex mandato Pontificio, causa a Rotae tribunali etiam in 1ª instantia tractari poterit.

Ipsi itaque delicta quae ad S. Officium spectant deferenda erunt, sed ut ipse S. Sedem de iis certiorem reddat.

Quia tamen populus iudice ecclesiastico carere vix potest, et Praefectus iurisdictione fori interni certo iam potitur, res ista dubio non vacat. Quare Praefectum qui, in causa saltem

non matrimoniale [1] iudicium exerceat improbare nolimus. Definitio S. Sedis maxime optanda videtur.

10. Eadem ratione qua Vicarius Apostolicus, imperare potest Religiosis etiam exemptis, quatenus hi Missionarii sunt et saecularibus sacramenta administrant, vel locis aut officiis quae in Ordinarii potestate sunt deputantur. Cfr. supra, Principium V, p. (20).

11. Nec, sine eius auctoritate, domus religiosa in suo territorio erigi potest.

Quid potest ex facultatibus a S. Sede delegatis. — 1. Ex communicata formula id diiudicandum est. Unum optamus, ut facultates istae ad condicionem Praefecti apostolici in territorio separato plane aptentur. Sub oculis habemus facultates a S. C. Prop. Fidei, anno 1903 Praefecto Apostolico concessas, quarum plures praesentem Episcopum supponunt. Quo pacto v. gr. possit Praefectus uti facultate 19 F IV « concedendi indulgentiam plenariam in oratione XL horarum ter in anno indicenda *diebus episcopo benevisis* » ?

2. Solent facultates istae respicere dispensationes, indulgentias, benedictiones, lectionem librorum prohibitorum.

3. Solet praeterea Praefectus apostolicus facultatem impetrare administrandae confirmationis, et regendi, cum quadam dispensatione, usum casus Paulini, de matrimoniis in infidelitate contractis.

4. Valent praeterea de facultatibus Praefecti Apostolici quaecumque diximus de Vicarii Apostolici facultatibus sub Principio III, p. (19).

Varia quae non potest Praefectus Apostolicus. — 1. Quaecumque, sub Principio II, p. (18), iudicavimus potestatem Vicarii apostolici excedere, re ipsa extra Praefecti apostolici competentiam versari demonstrantur.

2. Nihil potest quod ordinem episcopalem per se requirat. Excipe si quaedam, v. gr. benedictio seu consecratio ecclesiae, benedictio paramentorum ipsi positive concessa sint. Quare Principium VI, supra p. (20) nullum pro Praefecto apostolico usum habet.

3. Sine speciali facultate non potest quae, quia maiora censentur et communi administrationi non necessaria, dignitatem episcopalem supponere videntur. V. gr. nec reliquias recognoscere, nec processum de novis miraculis et martyribus instituere, nec quaestiones inter religiosos exortas dirimere nec synodum convocare potest.

---

[1] Nam causae matrimoniales ab ipsis Abbatibus Nullius iudicari posse iam non videntur. Cfr. GASPARRI, *De Matrimonio*, n. 1167 ; WERNZ, *Ius Decretalium*, t. 2 n. 818 nota (29).

Immo, qua *praefectus*, litteras dimissorias pro ordinatione subditis suis sine privilegis dare non potest : id enim etiam Abbati *Nullius* negatur [1]. Sed subditi ab Episcopo viciniore ordinandi erunt.

Dubia quaedam de potestate Praefecti Apostolici. — 1. Potestne *expositiones SS. Sacramenti* ordinare (id est concedere, praecipere, vetare) ?

℟. Cum res ista ad fovendam populi pietatem maxime conferat, potestas ista generali administrandi mandato tacite continetur.

2. Potestne *orationem in missa* dicendam imperare ?

℟. Quia commune populi bonum postulat ut occurrentes eius necessitates in ipsa liturgica actione Deo commendari queant, et ex C. *Divino Afflatu,* collectae istae in potestate *Ordinariorum locorum* ponuntur, potestatem istam Praefecto agnoscendam putamus.

3. Quid potest in libris, imaginibus, etc. prohibendis vel permittendis ?

℟. Quod ad libros prohibendos, permittendos, etc. valent de Praefecto quae de Vicario, supra, p. (21) 4, dicta sunt. Quare quae sollicitudo in Constitutione Leonis XIII *Officiorum,* Ordinariis commendatur ab apostolico Praefecto adhibenda est.

Imagines novas Praefectus approbare et reprobare posse videtur : id enim ad usum populi Praefecturae plurimum refert.

4. Potestne Praefectus, ex C. *Speculatores* 13 sept. 1669 Clementis IX, regulares in sua Praefectura exsistentes cogere ad curam animarum exercendam ?

℟. Cum exceptiones privilegii exemptionis stricte interpretandae sint, potestatem istam a Praefecto abiudicamus. Si tamen in sua Praefectura sint regulares qui, dum nullus fere est clerus saecularis, curam animarum detrectent, efficacem iussionem contrariam facile a S. Sede impetrabit.

5. Potestne Praefectus Apostolicus subditos suos *ubique* sacramentaliter absolvere ?

℟. Id facere posse videtur, propter rationem factam p. $(21)_2$. Verum fieri potest ut usus facultatum extraordinariarum territorio suo circumscriptus sit. De qua re facultates ipsae consulendae sunt.

6. Potestne sibi *Vicarium generalem* constituere ?

℟. Vicarium generalem qui, postquam institutus est, ab ipso iure facultates generales mutuetur, constituere nequit : talem enim soli Episcopi dioecesani habent.

---

[1] Cfr. Santi-Leitner, *Praelect. Iur. can.* l. 1, t. 11, n. 36 ; Wernz, *Ius decretalium*, t. 2, n. 818 nota (31). Sed fierit poterit ut qua Superior religiosus, subditos religiosos ad Episcopum ordinandos dimittat.

Quaestio itaque huc vertitur utrum necne Missionarium quempiam generali delegatione munire possit cum facultate subdelegandi.

Age porro, talem certo constituere potest qui ipsum absentem suppleat. Absentem dico a territorio. Sic diserte in facultatibus conceditur. Sed num possit Vicarium generalem constituere qui, dum in Missione praesens est, facultates Praefecto concessas subdelegare queat?

Hoc quidem modo S. C. Prop. Fidei in suis Collectaneis loquitur ut id negare videatur. Vice-Praefectum enim potestate subdelegandi instructum non agnoscere declarat, nisi pro tempore quo Praefectus e vita excesserit [1]. Sed recentiore S. Officii decreto 20-22 april. 1898 praelatorum seu praefectorum qui iurisdictionem cum territorio separato habent vicarii generales admitti videntur, quibus ipsae facultates cum potestate subdelegandi concessae sunt. Quocirca *hodie* Praefectus apostolicus vicarium generalem probabiliter constituere potest, de quo, dempta iudiciali facultate, valent dicta p. (22) $_{7}$. Praeterea facultates, si quae *recentiore* formula a solo praefecto communicandae dicantur, Vicarius iste non participabit.

7. Potestne titulum *Monsignore*, *Monseigneur* sibi vindicare?

Resp. Si rigoroso iure uteremur, titulus ille solis competeret patriarchis, archiepiscopis, episcopis et praelatis curiae romanae et abbatibus saecularibus. Verum consuetudo vel etiam, ut observat Moroni [2], abusus effecit ut multi alii hoc titulo vocarentur, ita ut commune *praelatorum* nomen evaserit [3]. Praelati porro sunt quotquot ordinariam fori externi iurisdictionem cum praeeminentia obtineant. Praelati itaque sunt Superiores regulares exempti, saltem Provinciales. Sed, humilitatis studiis addicti, Praelati regulares titulum istum non impetrarunt. Saecularibus itaque praeluris reservatur.

Quid iam de *Praefecto Apostolico?* Quamvis eius iurisdictio proprie delegata sit, ita tamen ordinariae assimulatur ut Ordinarius vocari possit. Quare ipsum ad Praelatorum ordinem ascribere non dubitamus.

Est quidem, re vera, plerumque religiosus. Verum iurisdictionem exercet quae, natura sua, regularis non est, cum in territorium cum populo explicetur. Quod autem tunc simul cum iurisdictione saeculari, saecularem *Monsignore*

---

1 S. C. Gen. Pr. Fid. 6 iun. 1847. Cfr. *Iuris Pontif. de Prop. Fide* p. II, t. 1, p. 528, el *Collectanea*, n. 2268 (in appendice).
2 *Dizionario di erudizione storico-ecclesiastica*, v. *Monsignore*.
3 Ibidem v. *Prelato*.

titulum assumat, id minime, hodierno usu repugnat. Sic s
qui religiosi munus Secretarii S. Congregationis impleant
nomine Excellentiae bene compellari possint.

Quae cum ita sint, ab usu hodierno alienum non putamus
ut *Praefectus Apostolicus* nomen *Monsignore*, *Monseigneur*
sibi tribuat. Quia tamen minus ex iure quam latiore quodan
usu titulus iste ipsi ascribitur, minime titulum istun
tamquam praerogativam vel privilegium legitimum servar
et tueri debet, ita ut potius laudandi sint religiosi qui, su
status memores, titulo isto ferendo abstineant.

Latine Praefectus vocari potest *Dominatio ;* et ad ipsun
scribi tamquam ad *Reverendissimum Dominum* seu *Domnum*
vel etiam, quod magis italico idiomate usurpatur, *Illustris*
simum et Reverendissimum Dominum [1].

8. Potestne sigillum suum pileo cum lemniscis seu flocci
ornare ?

Praelatis per se conceditur ut galerum sive rubrum, siv
nigrum vitta proprii coloris ornatum, a quo quidam floccorui
ordines dependeant, suo stemmati circumdent. Quare, pos
quam Motu Proprio *Inter multiplices* [2], 21 febr. 1905, D
Praelatis, SS. D. N. Pius Pp. X, Vicarios generales i
Protonotarios Apostolicos Titulares seu Honorarios cooptavi
iisdem n. 68 indulsit ut « propriis insignibus seu stemma
tibus pileum nigrum cum lemniscis et sex hinc sex ind
flocculis pendentibus, item ex integro nigris » imponerent.

Sed cum ex sola quadam usus extensione Praefectus
Apostolicus habeat ut *Monsignore* appellari possit, ne
pariter cum nomine pileum in sigillo propagatum sit, usun
pilei cum lemniscis in stemmate ipsi negandum arbitramur
donec forte S. Pontifex id ipsi positivo privilegio concesserit

Art. III. **Praefecti Apostolici obligationes**

Ut principaliores praefecti apostolici obligationes pauci
recenseamus, dicemus in primis, plerasque ab obligationibu
Vicarii apostolici non differre. Minus tamen ex decreti
positivis, quae de his Praefectis silent, quam ex commissa
provinciae natura colliguntur. Praefectus itaque :

1. Magna sollicitudine fidem conservare et promovere
eamque praedicatione disseminare et alere debet.

2. Praefecturam visitare ex ipsa muneris natura, debet.

3. In Praefectura residere debet, sed ubi voluerit, nec diu
ab ea abesse sine gravissima et urgentissima causa, ve
inconsulta S. Sede, potest.

---

[1] Bangen, *Die Römische Curie*, p. 49.
[2] Cfr. Analecta Ecc. t. XIII (1905), p. 53 ss.

4. Scriptas relationes de statu missionum, secundum receptas instructiones Romam mittere debet.

5. Curare debet ut Missionarii collationes morales habeant et frequentent.

6. Clerum indigenam praeparare et scholas christianas promovere debet.

7. Editionem catechismi curare debet.

8. Abiurationem Modernismi ab iis quos ad confessiones audiendas vel ad praedicandum verbum Dei approbet, ad formam Motu Proprio *Sacrorum Antistitum* definitam, exigere debet. Quod ad ordinandos, isti coram Praesule ordinante iuramentum istud facere debent, secundum dicta in PERIODICA, n. **469**, t. 5, p. 271. 272.

9. De consilio missionariorum constituendo nihil quidem sancitum est. Ipsa autem rei natura suadet ut selectos viros habeat quorum consiliis Praefectus in administranda Praefectura iuvetur.

10. Ad mentem S. Sedis aget, eligendo Vice-Praefectum seu Vicarium generalem qui, si ipse diem supremum obierit, Praefecturam gerat iisdem quibus ipse facultatibus instructus, donec a S. Sede regimini Praefecturae provisum sit.

Quaeres num Praefectus religiosus Superiori maiori Ordinis seu Instituti obnoxius maneat ?

In administranda Praefectura, Praefectus apostolicus provinciam habet a S. Sede directe ipsi commissam, ita ut S. Sedi tantum rationem de ista re reddere debeat.

Regulis Instituti sui quatenus cum libera hac administratione componi possint, cuius rei iudicium ipse prudenter ferre potest, plane sicut ante tenetur.

In personali autem sua agendi ratione, quatenus religiosus est, iurisdictione vel potestate dominativa Praelati sui maioris exemptus esse non videtur. Nec enim decreto positivo, nec dignitate — cum episcopus non sit, — exemptio ista demonstratur. Valde caute tamen hac sua potestate Praelatus religiosus uti debet. Praefectum enim in suo munere impedire nequit, ita ut opponenti utilitatem sui muneris semper cedere debeat. Quare potius per consilia et monita quam per iussiones a Superiore suo qua religiosus iuvandus erit.

QUAESTIO RESIDUA

Tam de *Vicario Apostolico* quam de *Praefecto* quaeritur num, imminente persecutione, fuga se in tutum recipere possint.

℟. Cum de pastore agitur qui, sicut Episcopus dioecesanus vel Parochus, iustitiae vinculo ovibus astringitur, hae

regulae tradi possunt. Semper haec fuga permissa est quae nullum gregi detrimentum affert. Ipsis S. Athanasii et aliorum Sanctorum exemplis, qui fuga carcerem vitabant aut exsilium quo gregi prorsus inutiles facti essent, id manifesto comprobatur.

Si autem mediis in periculis, gregem suum aliquo pacto pascere pergere possint, tunc, persecutio vel contra eorum personam tantum vel contra christianos in universum dirigitur. Si prius acciderit, Antistes et parochus personalem persecutionem fuga per se declinare possunt : id enim nec scandalo esse potest, nec speciali christianorum necessitati curandae per se obest. Si autem communis saeviat persecutio, tunc, secundum ipsas Domini indicationes vituperantis mercennarios qui, instante ovium periculo, oves deserunt, neglecta propria salute. eo quo possunt meliore modo ovibus adesse debent. Et cum tunc pastoris fuga saepe scandalosa sit, munus pastorale facile impediat, dum perseverantia in periculo et fidei professio coram tyrannis ceteros maxime confirmare soleat, fuga ipsi per se prohibentur. Tantae populi sui necessitati etiam cum propriae vitae iactura occurrere debent.

Quid autem de Vicario Apostolico et de Praefecto Apostolico ?

His solae caritatis leges observandae sunt. Porro necessitas gravis, si communis est, extremae unius vel paucorum aequiperatur. Caritas autem obligat nos ut extremae proximi necessitati, quae spiritualis ordinis sit, etiam cum vitae propriae dispendio opitulemur ; secundum illud : « debemus pro fratribus animas ponere ». Si tamen vel non certo utilis fuerit opera nostra, vel si aliorum opera sufficere videatur, tunc officio caritatis solvimur.

Hactenus in abstracto. In concreto autem, illud considerandum erit utrum spes certa sit futurum esse ut in periclitante ecclesia Vicarius aut Praefectus aliquamdiu utiliter versari possint, an contra vel ipsa nece mox illata christianis inutiles fiant. In priore hypothesi, cum utilitas et necessitas eorum actionis ambigi nequeat, ipsa caritate territorium deserere prohibebuntur; in altero, se fuga incolumes servare, ipsis per se integrum est.

N. B. Hoc etiam casu secluso, is qui ex caritate munus quodpiam gerendum assumit, quam diu munus servet, ex iustitia obligatur ad vitanda damna quae ex neglegentia oriantur. Quod si muneri nuntium dare voluerit, monere illum qui necessitati providere possit ipse debebit. Quocirca distinctio muneris apostolici ex iustitia vel ex caritate suscepti, minus in muneris exsecutione quam in obligatione munus servandi vel facultate illud dimittendi, apparet.

QUAESITA VARIA

VIII. De monialium et sororum confessionibus post decretum *Cum de Sacramentalibus*, 3 febr. 1913 [1]

Quamvis recens de Confessariis Sororum decretum plene iam in his Periodicis a R. P. Salsmans illustratum sit, plures nobis dubitationes propositae sunt quas ad plurium usum hic simul colligere visum est. In quaestionibus disponendis ordinem ipsius decreti imitabimur. Itaque :

1. *De 1° articulo.* a) Plures Sororum communitates in ecclesia parochiali confiteri solent. Debetne istis Sororibus Confessarius ordinarius designari ?

R. Sane Ordinarius Sororibus istis unum vel plures ex sacerdotibus qui in illa ecclesia confessiones audiunt tamquam ipsis commendatos indicare potest. Quod consilium utilitate sua per se non carere videtur.

Cum autem ratio designandi unicum Confessarium, minus ex qualitate paenitentium quam ex consequenti frequentiore conventus aditu hodie repetenda sit (cur enim Sorores quae hodie in instituendis puellis, curandis aegrotis, etc. assidue versantur, severius quam religiosi tractari per se debeant minime perspicitur [2]) nihil Ordinarium cogit ut unum dumtaxat designet.

Quia tamen Sorores infirmae vel aegrotae in sua domo religiosa audiendae erunt, unius Confessarii deputatio satis utilis manet ut praecepta videatur, saltem si Sorores numero satis frequentes fuerint.

b) Alia *iusta causa* dandi duos vel plures Confessarios, praeter Sororum numerum, multiplex esse potest. V. gr. si ex indulto (quale episcopi Belgii obtinuerunt), vel propter impedimentum, Confessarius ordinarius in tempus non certum in officio perseveret ; — si usus habeat ut Confessarius simul Moderator sit conservatorii ubi Sorores puellas instituunt, vel tamquam Consiliarius Superiorissae adiciatur ; — si Sorores ad varias gentes pertineant.

Atque ut decreta S. Sedis simul harmonice componamus, ubi Confessarius ordinarius in domo religiosa sacrum celebrare non consueverit, valde opportunum iudicamus ad anxietates et suspectas communiones vitandas, ut capellanus eu celebrans Sorores ante missam audire permittatur. Cum

---

[1] Cfr. Periodica, n. 652, t. 7, p. 86 et commentaria R. P. Salsmans, S. I.

[2] Cfr. Supplementum XV, *De unitate Confessarii ordinarii apud moniales Sorores*, Periodica, t. V, p. (1).

iam pro missa conventum adeat, id menti decreti *Cum de Sacramentalibus* minime adversatur, prorsus autem ad intentionem decreti *Sacra Tridentina*, de frequenti SS. Eucharistiae usu, quadrare nobis videtur.

c) Cum plures religiosarum ordines sint, v. gr. noviciae et professae, quae manualibus operibus et quae choro vel instituendae iuventuti deputantur, potestne suus cuique Sororum ordini Confessarius deputari ?

Resp. Id in Episcopi arbitrio prorsus positum esse existimamus.

2. *De altero articulo.* a) In missionibus apud infideles, debetne Antistes, propter Sororum suffragium, magis validum dare Confessarium ordinarium pro seniore probo qui ipsis deputatus erat ?

Resp. Cum in locis istis maxima sit sacerdotum penuria, et quotquot validi sunt maximis convertendae gentis necessitatibus consulere debeant, ne decere quidem videtur ut propter paucas Sorores validior sacerdos ab evangelico opere prohibeatur. Verum optione data alios, si forte praesto sint, adeundi, votis Sororum obsecundari poterit. Facile etiam ibi causa subesse potest cur nullus definite munus Confessarii Sororum assumat, quamvis, ceteris paribus, id praeferendum sit.

b) Debetne tertio quoque anno mutari ordinarius Confessarius noviciarum vel Sororum quae ipsae in Instituto ante tres annos statum mutabunt, ita ut alium confessarium nanciscantur ?

Resp. Huiusmodi Confessarius modo indefinito munus suum servare potest : ratio enim legis in ipsum nullatenus cadit.

c) Debetne, verba legis considerando, semper peculiari provisione dissentientibus consuli, si a maiore religiosarum parte Confessarius in officio ultra tres annos confirmetur ?

Resp. Peculiaris ista provisio tunc tantum, ex ipsis decreti verbis, sumenda est, cum dissentientes id *positive* voluerint.

N. B. Quia secretis suffragiis Confessarius confirmatur, quaenam dissenserint per se ignoratur. Sed res ista sic intellegenda est, ut receptis suffragiis ipse Episcopus Confessario ordinario alterum, pro tota communitate, socium adiungat, vel iis quae alterum postulent specialem concedat.

d) Debentne ipsae noviciae ad scrutinium admitti ?

Resp. Non debent, cum ipsae, qua tales, numquam per tres annos Confessarium eundem servent.

3. *De articulo 6°.* a) Si domus Superiori regulari obnoxia est, uter, Episcopus aut Ordinarius loci, definire potest, utrum unus tantum Confessarius concedendus sit an iusta causa

plures haberi postulet, utrum necne penuria habeatur propter quam Confessarius idem ultra tres annos officium conservet?

Resp. Per se haec est Superioris regularis provincia, cum cura ista per se ad generalem iurisdictionis usum pertinere videatur. Atque etiam eiusdem Superioris erit scrutinium de confirmando Confessario indicere vel, ex art. 8 facultate uti eligendi iuniorem Confessarium. Sed si Superior regularis aperte contra Decreti leges peccet, ipse loci Ordinarius, tamquam delegatus Apostolicae Sedis Superiorem, ex art. 16, supplere poterit.

Quid autem si a mente potius quam a claris Decreti dispositionibus Superior recedat?

Res tunc potius S. Sedi deferenda est. Usus enim potestatis delegatae tunc ambiguus et odiosus fuerit.

b) Utrum iurisdictionem plenam an approbationem tantum, Episcopus Confessario quem Superior regularis praesentat conferre debet aut potest?

Resp. Cum de exemptis agatur monialibus, Episcopus solam approbationem Confessariis praesentatis conferre debet et potest.

c) Cum de exemptis monialibus agitur, estne sacerdotum idoneorum penuria perspectis solis religiosis an etiam saecularibus consideranda?

Resp. Penuria defectum sacerdotum tum saecularium tum regularium postulare videtur, cum ex utriusque genere confessarii eligi possint.

4. *De articulo 7°.* a) Num abrogatae sunt leges aut regulae sive communes sive propriae quibus Moniales aut sorores Confessarios talis Ordinis vel Instituti habere iubebantur aut prohibebantur; quibus, si vir regularis monasterii confessarius fuerit, semel saltem in anno confessarius sive saecularis sive regularis alius ordinis ad illud mittendus erat [1]?

Resp. Haec omnia abrogata putamus clausula finali, quae quaevis contraria, etiam quae specialem et individuam mentionem postulent, prorsus excludit.

b) Verba in fine n. 7 « dummodo nullam tamen habeant in easdem religiosas in foro externo potestatem » caduntne in illos regulares an etiam in saeculares?

Resp. In utrosque valent, cum prorsus eadem exclusionis ratio utrosque afficiat, et sic in Sorores omnes mere traducatur quod iam diu de regularibus constitutum erat: Superior tamquam confessarius ordinarius suis proponi nequit. Quare qui Moderator Instituti sit, simul Confessarius ordinarius esse nequit. Immo, ex art. 7, nec ordinarius, nec extraordi-

[1] Cfr. nostrum *De Religiosis Institutis et Personis*, t. 1, n. 472.

narius, nec specialis esse potest. Intellege specialem habitualem. Nimium enim videtur ut in casu particulari Soror quae a suo Episcopo aut Superiore sacramentaliter absolvi postulet id obtinere nequeat.

5. *De articulo 14°*. a) Num extra propriam domum versari aestimandae sunt quae infirmitatis causa vel propter studia, per plures menses aut annos in aliqua Sororum domo resident ?

Resp. Si domus ista alieni Instituti fuerit, extra propriam domum sane versantur, ita ut in ipso conventu ubi actu resident a quolibet, pro utroque sexu, approbato Confessario, valide et licite absolvi possint.

Si in alia eiusdem Instituti domo resideant, ipsa ratio qua variae domus unum corpus efficiant consideranda erit. Si singulae domus sint sui iuris, Soror in alia ista domo extra propriam domum versabitur ; si autem una auctoritate provinciali seu generali domum mutare consueverint, isti communitati tamquam suae, in tempus certum aut incertum addicta existimari poterit.

Si autem Institutum, cuius variae domus sui iuris sunt, in aliqua domo principaliori noviciatum habeat vel studia quae a Sororibus omnis Instituti frequentari consueverunt, noviciatum istum et studia tamquam domos communes, ubi omnes tamquam in sua versantur, habendas esse ducimus.

b) Num Moniales aut Sorores in ecclesia suae domui annexa apud quemlibet approbatum Confessarium confiteri possunt ?

Resp. Non possunt, cum extra propriam domum tunc minime versentur.

IX. De bonis religiosarum Galliae et censuris

Plures Sorores Galliae, in Belgio dispersae, beneficio legis quae ipsis pensiones ex divenditis conventus possessionibus solvendas statuit, a civili Galliae potestate annuas summas, fructibus novem annorum auctas recipiunt. Verum earum Superiores declarant pensiones istas propter originem suam, cum a divenditis rebus ecclesiasticis proficiscantur, ecclesiasticas esse ; quare Tridentina excommunicatione irretitum iri quotquot, sine Superiorissae licentia, bona ista sibi servarent.

Resp. Non semel iam in ista bonorum ecclesiasticorum in Gallia usurpatorum, plures theologi, immo et antistites de censuris commissis severius dixerunt, ita ut plurium sententiae responsis S. Poenitentiariae reformatae sint. Cfr. responsa 1906. 1907. 1908 factae, quae exscripsimus PERIODICA, t. 3, n. **176**, p. 229 ss. ; t. 4, n. **276**, p. 218 ss.

In praesenti causa, bina haec consideranda sunt. 1. Nequit ipsa civilis potestas, aliqua sua declaratione bonum ecclesiasticum constituere. 2. Venditio bonorum nulla et irrita est ; et pecuniae res sunt fungibiles, ita ut de nulla pecunia quae pro solutione mittenda est vel mittitur dici possit : est res ecclesiastica, antequam conventui vel ecclesiae cuipiam vere acquisita sit.

Si res ita se habent, solutio haec manifesta erit.

Nec ipsae solutae pensiones, nec civile ius eas accipiendi quidpiam ecclesiasticum sunt. Ecclesiastica manent bona divendita ; nec restitutionis officium propter solutas pensiones Gubernio mutatur.

Quare moniales istae quae pecunias istas recipiant, in nullam excommunicationem incurrunt. Pecuniae ad ipsas perveniunt sicut quodlibet donum religiosis intuitu eorum personae oblatum, quod ecclesiastica res non fit nisi postquam a religiosis ad commune patrimonium est additum. (Excipe dona facta regularibus votorum sollemnium, quatenus pro monasterio acquirant.)

Num saltem votum violarint Sorores quae pensiones istas communes facere nolint et eas tamquam proprias possidere praesumant ? Cum religiosae Belgii et Galliae vota simplicia tantum fecerint, neque hoc in universum dici potest, sed quid, vovendo paupertatem, in suo Instituto Deo promiserint, considerandum est.

Responsio facta confirmatur tum declarationibus S. Paenitentiariae qua ii qui bona immobilia conventuum detineant excommunicati dicuntur [1], tum responso S. C. Episcoporum et Regularium, 6 iun. 1836, qua « pensiones quae a publico aerario solvuntur Regularibus extra claustra degentibus » pensiones ecclesiasticae esse negantur [2].

X. De S. Communione in Sabbato sancto

Theologiae moralis scriptores de communione in Sabbato sancto sumenda, post Benedictum XIV satis severe dicere consueverunt, ita ut alii, cum Benedicto XIV [3] communionem per se prohibitam existimarint, nisi consuetudo localis communionem vel post missam vel intra missam permiserit [4] ; alii S. Communionem per se licitam quidem dixerint, sed tantum post missam [5], vel intra missam [6].

---

1 Cfr. rescripta 7 iun. 1906 et 5 aug. 1907. PERIODICA, t. 3, n. 176, p, 232; t. 4, n. 276, p. 218.

2 Cfr. *De Religiosis Institutis et Personis*, t. 2, n. 121, p. 266 (ed. 4).

3 *De Sacrosancto missae sacrificio*, l. 1, c. 18, n. 4.

4 GASPARRI, *De Euch.* n. 1090. WERNZ, *Ius Decretalium*, III, n. 742.

5 MARC, *Theol. mor.* t. 2, n. 540 ; LEHMKUHL, *Theol. mor.* t. 2, n. 289 (ed. 10).

6 GÉNICOT, *Theol. mor.* t. 2, n. 187 ; FERRERES, *Theol. mor.* t. 2, n. 297.

In qua re nimia unico S. R. C. responso 23 sept. 1837 ad II [1] vis tributa esse videtur. R. D. Many certe, qui nunc inter S. Rotae auditores cooptatus est, in opere *De Missa*, n. 167, communionem Sabbato sancto nulla lege prohiberi egregie demonstrat. Age vero, cum in novissima decretorum authenticorum collectione, responsum 23 sept. 1837 omissum sit, immo recens S. Rit. Congregatio declaraverit licere ut viris, post completa exercitia spiritualia, S. communio etiam plane mane dispensaretur [2]; cum praeterea S. Sedes propensissimam in facilem SS. Eucharistiae usum voluntatem manifestet, iam cum R. D. Many et R. Michaud [3], hanc sententiam pro magis probabili et vera habere possumus : *Fideles, non minus Sabbato sancto quam aliis diebus, liberum ad SS. eucharistiam suscipiendam accessum habent.*

XI. De Caerimoniis baptismi qui extra Ecclesiam conferatur

1. Rescripta S. Rituum Congregationis, 17 et 23 ian. 1914, quae hic iuxta reperies n. **741**, p. 260, occasio nobis sunt universalius agendi de caerimoniis quae adhiberi possint vel debeant quando Baptismus extra domum confertur. Quae quaestio maxime in missionibus exteris usu venit, sed postquam resolutionibus 22-23 dec. 1913 S. Congr. de Sacramentis declaravit, ab Ordinariis, ex iusta et rationabili causa, permitti posse ut parvulis etiam sanis baptismus domi administretur [4], ubique iam operae pretium fuit accurate rescire quo pacto caerimoniae cum ritu essentiali coniungendae sint.

2. De re ista unam legem habemus, Rituali romani his verbis expressam : « Si infans vel adultus aegrotus adeo graviter laboret ut periculum immineat ne pereat antequam baptismus perficiatur, sacerdos, omissis quae baptismum praecedunt, eum baptizet..... » Deinde, reliquas caerimonias Rituale tamquam perficiendas, si fieri possit, enumerat, ita ut rem sic concludat : « Si supervixerit, suppleantur alii ritus omissi. »

Accessere deinde Sacrarum Congregationum declarationes et privatorum scriptorum interpretationes.

Haec simul sumpta ad has ferme regulas perduxerunt, quibus in primis duplex species distinguenda est : prior, baptismi qui extra Ecclesiam subiecto corporaliter periclitanti,

---

[1] Collect. Gardellini, n. 4815.
[2] Ferreres, *La Communion*, n. 176.
[3] Nouv. Rev. Théol. t. 46 (1914) p. 178.
[4] Cfr. Periodica, t. 7, p. 67, n. 2.

altera, baptismi qui extra Ecclesiam subiecto sano administratur.

3. De subiecto *sano* haec satis recepta erant :

a) Ubi deest Ecclesia vel fons, baptismus a ministro sacro conferatur cum caerimoniis quae pro adiunctis possibiles sunt.

b) Si Ecclesia valde distat, ea tamen distantia quae adultum sanum moraliter prohibere non existimatur quo minus in ecclesia baptismum recipiat, puer domi baptizetur sine caerimoniis, quae postea in ecclesia supplebuntur. Si vero parentes non eo animo videantur ut puerum postea in ecclesiam deferant, puer a ministro sacro sacramentaliter cum caerimoniis abluatur.

c) Quod si parentes non causam sed praetextus allegent ut puer domi et sine caerimoniis baptizetur, nec ad meliora consilia adduci queant, ipsis potius in hac re cedatur quam substantiale baptisma omittatur. Sic casum solvit Pius VI, instructione 27 iul. 1775, ad missionarios Loanghi missa [1], quae, quod ad caerimonias, in Instr. S. Officii 29 aug. 1877 memoratur et laudatur [2].

Quare duplex veluti principium tradi poterat : a) Quantum fieri potest, caerimoniae in ecclesia peragantur ; b) Potius tamen quam omittantur, caerimoniae etiam extra ecclesiam a competente ministro administrentur.

4. Cum *propter mortis periculum* infantes vel adulti domi baptizentur, haec regula ex responsis S. Congregationis colligi poterat : Omittantur caerimoniae quae baptismum praecedunt ; quae vero baptismum sequuntur, si copia habeatur, peragi possunt sed non debent ; si subiectum convaluerit, omissa in Ecclesia suppleantur. Cfr. resp. Prop. Fid. 27 ian. 1805 ; S. Rit. Congr. 23 sept. 1820 ; S. Officii 10 april. 1861 et 5 sept. 1877 [3].

Verum responsa ista in casus cadere videntur quibus periculum in mora assit vel saltem mors brevi instet, ita ut, ubi talis periculi qualitas non fuerit, omnes caerimoniae potius adhibendae dicantur.

Quamquam, si resp. S. C. Prop. Fidei 21 ian. 1789 [4] demas, S. Congregatio speciem istam vitasse potius quam solvisse videtur.

5. *Communis* denique *excusatio* a caerimoniis adhibendis ex qualibet impediente causa rationabili et gravi manat : v. gr. si tempus omnino deficiat, si instet periculum a paga-

---

1 *Collect. Prop. Fid.*, n. 608, ed. 1. (In altera editione omissa est.)
2 *Collect. Prop. Fid.*, n. 1480, ed. 2.
3 Responsa ista habentur *Collect. Prop. Fid.*, n. 678. 750. 1213. 1480 (ed. 2).
4 *Collect. Prop. Fid.*, n. 598 (ed. 2).

nis, si sacerdos non habeat nec commode habere possit oleum catechumenorum, sanctum chrisma, sal benedictum, aliaque necessaria. Tunc quas poterit caerimonias missionarius adhibebit, reliquas, si copia fuerit, suppleturus. Cfr. resp. S. Cong. Prop. Fid. 21 ian. 1789, n. 598.

Ipse nimius numerus baptizandorum gravem causam omittendi ritus vel omnes vel plures, si vel ipsi baptizandi moram ferre non possint, aut baptizans officia magis necessaria praedicandi vel absolvendi ideo bene implere prohibeatur. Cfr. *Rituale Romanum, De Sacramento baptismi*, ante ordinem supplendi omissa.

Haeretico qui valide sine caerimoniis baptizatus fuerit caerimoniae per se supplendae sunt, sed propter rationabilem causam Ordinarius ab iis servandis dispensare potest, ex ipso Rituali, ante ordinem baptismi adultorum.

6. Age porro, priore rescripto 17 ian. 1914 regulae de aegrotis periculose decumbentibus minime attinguntur. De *sanis* vero in universum statuitur : quotiescumque baptismus de licentia Ordinarii domi conferatur, cum omnibus caerimoniis administretur. Itaque recedi iam videtur a norma ante vigente et supra memorata, secundum quam baptismus domi puero vel adulto sano collatus a caerimoniis per se separandus erat ut saltem caerimoniae in loco sacro peragantur.

Altero vero rescripto 23 ian. 1914 de *aegrotis* quidem agitur. Duo autem quaerebantur. Cum observatio caerimoniarum quae baptismum sequuntur Rituali praescripta videatur, episcopus Versaliensis prius de gravitate praecepti dein de vi usus contrarii interrogabat. S. tamen Rituum Congregatio, nihil de gravitate obligationis statuens, mere subobscurum responsum dedit : *Standum Rituali Romano*. Subobscurum dicimus responsum, namque oratorem ad Rituale de quo interrogabat remittit. Consulto intentam putamus obscuritatem istam, qua S. Rituum Congregatio responsum declinasse videtur ne provinciam suam egrederetur et S. Officio contradiceret. Etenim quinam ritus genuini sint, haec definitio ad S. Rituum Congregationem ; qua vero morali obligatione servandi sint, id ad aliam potius Congregationem pertinet, id est, ad S. Congregationem Concilii, ubi de praecepto officii divini, et ad S. Congregationem S. Officii ubi de praecepto agitur quod cum receptione in Ecclesiam coniungitur.

Quod si ita res se habeat, cum S. C. Prop. Fidei, 27 ian. 1805, et S. C. S. Officii, 10 april. 1861 [1], rubricam Ritualis non de obligatione sed de facultate adhibendi caerimonias

[1] *Collect. Prop. Fid.*, n. 678 et 1213 (ed. 2).

quae Baptismum sequuntur intellexerint, etiamnum dicemus, n baptismo propter imminens mortis periculum domi collato, caerimonias quae baptismum sequuntur adhiberi posse, mmo laudabiliter adhiberi, non tamen adhiberi debere.

7. Restat nunc ut, quasi corollaria, paucos casus ad usum otissimum Missionariorum solvamus.

a) Missionarius itinerans, aegrotos reperit tugurio suo lecumbentes, in periculo quidem mortis constitutos (puta « trypanozomia » infectos), sed qui ante plures hebdomadas el menses morituri non videntur. Cum non ita frequenter er loca ista transeat, satius ducit etiam non completa insti-utione christiana, aegrotos istos baptizare. Quid de cae-imoniis ?

Resp. Si in tugurio caerimoniae omnes vel aliquot satis commode adhiberi possint, vel aegroti in locum magis aptum duci aut ferri possint, optandum est ut missionarius caerimonias quas possit adhibeat. Nulla tamen stricta obli-gatione tenetur.

b) Missionarius in ipso nosocomio publico huiusmodi aegrotos reperit :

Resp. Perinde sicut sub littera a) respondendum esse censemus.

c) Inter catechumenos satis instructos reperiuntur qui, morbo letali affecti, nihilominus nondum decumbunt sed tant et ambulant.

Resp. Morbus, in isto stadio, a nulla caerimonia dispen-are videtur.

d) Missionarius in statione quam visitat catechumenos eperit ad baptismum rite dispositos, sed ipse nec aquam aptismalem nec olea sacra secum tulit. Quid de baptismo ?

Resp. Si non omnino brevi intervallo altera occasio dabi-ur, missionarius catechumenos, adhibitis patrinis, si praesto int, sine alia caerimonia baptizet. Postea autem omissas aerimonias supplebit.

e) Propter locorum distantiam, pueri a catechistis vel ab liis personis instructis baptizari consueverunt. Quid de aerimoniis tenendum ?

Resp. Missionarius caerimonias postea supplere *per se* ebebit. Per se, inquam, nisi deficiente tempore, urgentioris oni necessitate excusetur.

f) Puer in colonia nascitur. Volunt parentes ut caerimoniae ifferantur donec reduces in patriam, astantibus cognatis et micis adhiberi possint.

Resp. Missionarius isti voluntati parentum per se obsistere ebet. Monebit istam baptismi a caerimoniis separationem cclesiae intentioni repugnare. Addet nominatim fieri tunc

non posse ut puer veros patrinos habeat, cum post collatun essentialem baptismum, puerum e fonte levare nequeant (Quocirca conabitur ut haec saltem caerimonia cum baptismc coniungatur.) Quod si conatus ad persuadendum frustrane sint, necessitati obtemperet, et baptismum sine caerimoniis conferat.

N. B. Perinde dices in Europa, ubi, v. gr. in quibusdam Galliae partibus, abusus invaluerit omnes pueros domi abluendi, differendo caerimonias in aptiorem diem.

Quaeres cur cum aegrotis caerimoniae facilius omitti possint.

Resp. Duplex ratio indicari potest. Ipse gravis morbus caerimonias nonnullas facile molestas subiecto reddere potest. Praestat autem sacerdotem nullo scrupulo in huius modi causa retardatum habere. Et cum pleraeque caerimoniae huc spectent ut confessione fidei et orationibus et unctionibus ipsam vitam deinceps christianam magis certam faciant, ubi ipsa vita defutura videtur, de qualitate vitae minor sollicitudo haberi potest.

XII. De Indulgentiis in festo suppresso

Decreto S. Rituum Congregationis 14 iun. 1893 dominica tertia post Epiphaniam celebrando festo titulari sodalicii Sanctae Familiae assignata est. Brevi autem *Cum nuper*, 20 iun. 1892, Leo XIII inter alias indulgentias plenariam, titulari consociationis festo concessit.

Sed cum nunc officium et missa Sancta Familiae, iam non concedi solita, ex pluribus calendariis exciderint, **quaeritur** utrum necne ipsa indulgentia cum ipsa festi celebratione interierit.

Resp. Res huius modi est quae ambigi queat. Cum enim ecclesiastica festi celebratio feriatione, officio et missa componatur, si tria desiderentur festum ipsum perire videtur ita ut illud allegari posse videatur : accessorium sequitur principale ; indulgentiae autem accessoriae sunt festi ; *E.* pereunte festo, ipsa indulgentia perire videtur.

Verum in causis indulgentiarum festum latiore usu venire posse videtur, ita ut solus apparatus exterior ornatae ecclesiae vel imaginis, concurrentis populi pro festi celebratione haberi queat. Sic ipsa S. indulgentiarum Congregatio, rescripto 21 ian. 1904 respondit plenariam indulgentiam quae die festo imaginis B. M. V. de perpetuo succursu concessa est, prostare lucranda alia die qua mera externa sollemnitas habetur.

Atque in praesenti causa Leo XIII, plenariam indulgentiam die festo titulari S. Familiae universali ratione concessit,

quamvis officium et missa S. Familiae in universalis Ecclesiae calendario inscripta non essent.

Quocirca indulgentiam manere, et tertia dominica post Epiphaniam Domini lucrandam esse existimamus.

XIII. De vigiliis festorum S. Ioseph et Annuntiationis B. M. V.

In his Periodicis fasciculis, t. VI, p. 105, responsum exscripsimus quo, 18 sept. 1911, S. Congregatio Concilii post Motu Proprio *Supremi disciplinae*, 2 iul. 1911, vigilias festorum suppressorum servandas esse declaravit.

In eodem porro tomo VI, p. 189, alterum relatum est eiusdem S. Congregationis rescriptum, diei 25 febr. 1912, quo responsio ista 18 sept. 1911 negata est derogasse decreto S. Officii, 5 sept. 1906, quo vigiliae festorum S. Ioseph et Annuntiationis, iis tantum locis servandae edicuntur quibus sub praecepto recoluntur.

Annotationes responsioni 25 febr. 1912 subiectae, insignata eius causa, explicatione ulteriore supersedent, sed potius mirantur exceptionem factam vigiliarum festorum quae infra quadragesimale tempus diem suum habere solent.

Hinc iam **quaeritur**, quod in controversiam venit, utrum nunc in aliquo loco vigiliae S. Ioseph et Annuntiationis servandae sint annon.

Resp. Profecto, cum infra quadragesimale tempus vigiliae officio liturgico prorsus exsulent, de vigiliis propre dictis sermo esse nequit. Verum fit ut, pridie huiusmodi sollemnitatum intra quadragesimam occurrentium, statuto vel voto abstinentia a carnibus vel etiam a lacticiniis servanda sit die sua, secundum concessa indulta, etiam carnales epulae per se prohibitae iam non essent.

De hac igitur improprie dicta et non liturgica vigiliae celebratione quaestio movetur.

Haec autem inspicienti decretum S. Officii facilem solutionem habere videtur.

Decretum istud 5 sept. 1906 est mera nova constitutio legum ieiunii et abstinentiae quae in Italia servandae sunt [1]. In isto porro elencho, abstinentia a carnibus servanda statuitur iis tantum Italiae locis ubi festa S. Ioseph et Annuntiationis sub praecepto recolantur.

Quibus dictis, sic ad quaestionem factam respondemus.

In Italia, id est in omnibus locis quae hac S. Officii constitutione reguntur, suppressa obligatione festorum S. Ioseph et Annuntiationis, supprimitur etiam vigiliae seu abstinentiae

[1] Cfr. MONITORE ECCLESIASTICO, t. 18, p. 289.

obligatio. Haec *condicionate* imperata erat ; atqui, cessante condicione, lex ipsa tollitur.

In aliis locis, generalis lex servetur qua festi suppressio absolute imperatam vigiliam non tollit. Sic etiam res in Monitore declaratur, t. 23, p. 374 ; t. 24, p. 6.

XIV. **De reditu Sororis quae a votis dispensata est**

Institutum dioecesanum Soror quaedam, ob male affectam valetudinem, post emissa vota sed dispensatione a votis obtenta, deseruit. Sed, in saeculo, tentata operatione chirurgica, perfectam valetudinem recuperavit. Redire quidem ad claustra non debet, cum absolute dispensata sit ; sed vero fervore mota redire velit.

Quaeritur itaque num a Superiorissa recipi possit, et quibusnam legibus. Constitutiones de re prorsus silent.

Resp. In hoc Constitutionum silentio, haec simpliciter tradenda sunt.

Cum idem Institutum repetere velit, Soror nullo recenti decreto regressu prohibetur.

Et cum post breve tempus, nec mutata condicione, redire velit, novus noviciatus requisitus non videtur.

Post tempus Superiorissae benevisum vota repetat coram duobus testibus, ut de his canonice constare possit.

Cum de Instituto dioecesano agatur, res ista, utpote extraordinaria, cum Ordinario hac ratione componenda videtur.

MONUMENTA

736. — S. CONGR. DE SACRAMENTIS

RESPONSUM 26 NOV. 1909

De celebratione matrimonii, absente sacerdote

Quaestio. Quaenam dispensatio circa matrimonii celebrandi formam concedenda it, cum, ratione civilis legis, parochus matrimonio assistere non possit?

Responsum. Ordinarius, constito primum sibi etiam, si opus fuerit, per iuratam ontrahentium attestationem, nullum inter ipsos intercedere canonicum mpedimentum, permittat, ut absque praesentia parochi matrimonium in asu valide et licite iniri possit, emisso a sponsis formali consensu coram uobus testibus; imposito, ad normam N. IX. Decreti « Ne temere », estibus in solidum cum contrahentibus onere curandi, ut initum coniugium uam primum parocho significetur, qui in libro matrimoniorum illud altem secreto annotet cum indicatione diei et nominibus testium, qui raesentes fuerunt. Idem autem Ordinarius hortari non omittat nuptuientes, ut ad sacramentum Confessionis et SS. Eucharistiae debitis cum ispositionibus accedant ante matrimonii celebrationem, ac insuper curet, t iidem contrahentes se obligent ad formalitates civiles explendas statim c fieri poterit, cuius obligationis documentum in curia Episcopali asseretur.

Fiat matrimonium sine parocho.

Obligationes implendae et consilia danda.

ANNOTATIONES

1. Responsum istud, cuius diploma imperfecte tantum, ex *Supplemento Enchiridii* R. P. BUCCERONI S. I. novimus [1], ibi lteri simili iunctum est quod, ad diem 24 mart. 1909 et S. C. Propagandae Fidei a laudato theologo ascribitur. Quia amen, post reformatam C. *Sapienti* curiam romanam, causa sta provinciam C. Propagandae Fidei excedit, et certiores acti sumus nihil de isto responso in dictae S. Congregationis rchivio reperiri, illud potius omittendum esse arbitramur. Utroque autem responso manifestum fit egregie confirmari lurium aliorum et nostram sententiam, secundum quam, in egionibus ubi sacerdotes matrimoniis quae nondum civiliter elebrata sunt, poenis civilibus assistere prohibentur, sponsi ui civiliter contrahere non possunt beneficio art. VIII Decreti *Ne temere*, 2 aug. 1907, uti permittuntur ita ut,

[1] *Supplementum alterum ed. 4 et 5 institutionum theol. mor. et ed. 4 enchiridii oratis*, n. 1049.

nisi ecclesiasticum impedimentum obstet, valide et licite coram duobus testibus matrimonialem consensum exprimant. De qua re cfr. disputata in Periodicis nostris, t. 4, n. 99, p. 122. 123 ; t. 5, p. 117-120 ; vel in speciali opusculo, *De forma sponsalium ac matrimonii,* ed. 5 (1912).

Egregiam vocamus istam confirmationem, tum quia, omisso etiam tamquam minus certo responso S. Prop. Fidei, in rescripto S. C. de Sacramentis agebatur de iuvene qui ideo civili celebratione prohibebatur, quod documenta publica, secundum germanicam legem exigenda, obtinere non poterat ; tum quia sine S. Pontificis approbatione responsum est.

Etenim, ut responsum sine ullo Pontificis interventu daretur, oportebat ut res existimaretur plana et talis quae in controversiam non veniret.

Porro, in allegata causa, impedimentum genere suo perpetuum non est. Quare vult S. Sedes ut nupturientes « se obligent ad formalitates civiles replendas statim ac fieri poterit. » Itaque in similibus speciebus, ubi civilis celebratio eam dilationem pati debet quae cum nobiliore v. gr. morum ratione componi nequit, fas erit sponsis art. VIII Decreti *Ne temere* appellare, ut se difficultatibus expediant.

2. Cur autem S. Sedes vocibus utitur quae positivam ministri ecclesiastici facultatem supponunt : « Ordinarius *permittat* » ? Ita responsum esse suspicamur, non quod licentia ista condicio sit validae aut honestae celebrationis, sed quia supplex libellus S. Congregationi ab Ordinario oblatus est. Ceterum partes ius suum ex decreto *Ne temere* hauriunt. In quo decreto positivus Ordinarii vel parochi assensus ad usum art. VIII nullo modo requiritur. Et ipsa lex civilis positivam licentiam poenis multare potest. Quocirca, ut ante scripsimus, satis est ut, facta a partibus interpellatione, parochi et Ordinarii silentio satis constet utrumque assistentia danda impediri.

Sed quod ipsa interpellatio omitti a partibus possit, id ex rescripto isto colligi minime videmus. De interpellatione siletur quidem, et sane merito, cum plus, id est, ipse positivus Ordinarii assensus, in utroque casu imperetur. Quia autem fieri potest ut etiam per accidens via suppetat procurandi sine civili periculo sacerdotis praesentiam, ideo interpellationem necessariam arbitramur ; et solum post triginta dies ex quo frustra in manus parochi et Ordinarii pervenerit, celebrationem coram solis testibus ut validam et licitam reputamus. Si tamen ex usu palam constiterit sacerdotes praesentiam suam omnino iis denegare qui nondum civiliter contraxerint, tunc nolimus improbabilem iudicare sententiam quae partes ab omni interpellatione liberas declaret. Con-

sequenter tunc dicendum est partes civiliter impeditas, ex quo coniungi velint, posse coram testibus statim contrahere nec per triginta dies exspectare debere, nisi tale fuerit impedimentum quod intra triginta dies probabiliter auferri queat.

In qua interpretatione partim differimus a sententia quam R. D. De Smet in Nouvelle Revue Théologique, t. 45 (1913), p. 716 ss. publici iuris fecit, cum ipse interpellatione opus iam non esse simpliciter existimet.

3. Et cum non pauca rescripta particularia in Actis Apostolicae Sedis desiderentur, nullo modo mirum est decretum in laudato Commentario desiderari.

---

737. — EX AUDIENTIA SSi D. N. PII PP. X

GRATIAE 20 DEC. 1911

Privilegia Cardinalium [1]

Non nulla Cardinalium S. R. E. privilegia.

Quaedam privilegia.

I. Audiendi ubique terrarum confessiones etiam religiosorum utriusque sexus et absolvendi ab omnibus peccatis et censuris, exceptis tantum censuris specialissimo modo Sedi Apostolicae reservatis, et illis quae annexae sunt revelationi secreti S. Officii.

Iurisdictio sacramentalis.

II. Sibi suisque familiaribus eligendi sacerdotem confessionibus excipiendis, qui, si iurisdictione careat, eam ipso iure obtineat, etiam quod peccat ad peccata et censuras a quibus iidem Cardinales absolvere possunt.

Confessarii electio.

III. Celebrandi vel aliis permittendi ut coram se celebrent Missam in feria V maioris hebdomadae ac tres Missas in nocte Natalis Domini.

Missae celebratio extraordinaria.

IV. Sacrum celebrandi in quolibet privato sacello absque praeiudicio tentis indulto.

V. Fruendi altari privilegiato personali cotidiano; item, altari portatili, uovis decenti loco, pro eorum prudenti arbitrio, etiam in mari, servatis ebitis cautelis.

Altare privilegiatum et portatile.

VI. Lucrandi in propriis sacellis indulgentias, ad quas acquirendas raescripta sit visitatio templi alicuius vel publicae aediculae civitatis seu oci quo Cardinales actu commorentur; quo privilegio etiam eorum amiliares frui possunt.

Visitatio sacelli pro ecclesia.

VII. Benedicendi ubique, solo crucis signo, cum omnibus indulgentiis a ancta Sede concedi solitis, rosaria, aliasque coronas precatorias, cruces, umismata, statuas, scapularia a Sede Apostolica probata, istaque impoendi absque onere inscriptionis.

Benedictiones.

VIII. Sub unica benedictione erigendi in ecclesiis, et oratoriis etiam rivatis, in quibus missa celebrari possit, aliisque piis locis, stationes *iae Crucis* cum omnibus indulgentiis quae huiusmodi exercitium pera-

Viae Crucis erectio, et benedictio iconum Crucifixi.

---

[1] Catalogus iste variis periodicis libellis non autem Commentario Officiali vulgatus st.

gentibus impertitae sint; necnon benedicendi pro fidelibus, qui caus infirmitatis vel alterius legitimi impedimenti sacras stationes *Viae Cruci* visitare nequeant, Crucifixi icones cum applicatione omnium indulgen tiarum devoto exercitio eiusdem *Viae Crucis* a Sede Apostolica annexarum

Honores episcopales.

IX. More episcoporum gestandi crucem ante pectus etiam supra mozetam ac utendi mitra et baculo pastorali.

X. Benedicendi ubique populo more episcoporum, sed in Urbe i ecclesiis tantum, piis locis et fidelium consessibus.

XI. Pontificalia cum throno et baldachino peragendi in omnibus eccle siis, Ordinario praemonito, si ecclesia sit cathedralis; in Urbe autem ius throni non habent nisi in ecclesia sui tituli.

XII. Honoribus tribui solitis Ordinariis locorum fruendi quocumque s conferant.

Praecedentia.

XIII. Praecedendi omnes praelatos etiam Patriarchas, immo ipsos Lega tos Pontificios, nisi Legatus sit Cardinalis in proprio territorio residens Cardinalis autem Legatus a latere praecedit omnes alios.

Indulgentiae concessio.

XIV. Concedendi indulgentiam ducentorum dierum in locis vel instituti ac pro personis suae iurisdictionis vel protectionis; item in aliis locis, sed a praesentibus solummodo, singulis vicibus, lucrandam.

Consecrationes ecclesiarum, etc.

XV. Consecrationes et benedictiones ecclesiarum, altarium, sacra suppellectilis, abbatum aliasve similes, excepta oleorum sacrorum conse cratione, ubique, servatis servandis, peragendi.

Dies (20 dec. 1911). Usus praesens privilegiorum.

Ex Audientia SS^mi, die XX decembris a MDCCCCXI. SS^mus D. N Pius PP. X benigne indulgere dignatus est ut S. R. E. Cardinales privi legiis quae praecedunt, etiam ante Codicis promulgationem, uti valeant

PETRUS Card. GASPARRI.

ANNOTATIONES

1. De isto catalogo valet iterum quod de non paucis iam actis pontificiis valere vidimus: vis factae gratiae plane certa est, quamvis authentica eius promulgatio per ACTA APOSTOLICAE SEDIS desideretur.

Porro, per se, est oraculum vivae vocis de quo, probato Cardinalium more, Em^us Cardinalis GASPARRI fidem facit; atque ex postremis verbis liquet catalogum istum in novo canonici iuris Codice contentum iri.

2. De ipsis facultatibus factis haec pauca sufficient.

a) Ex primo privilegio colligitur, Cardinales in posterum numerandos esse inter eos qui sine ulla episcopali approbatione fideles sacramentaliter absolvere possunt.

b) Ex altero colligitur, ipsos et ipsorum familiares a quolibet sacerdote quem Cardinalis elegerit, sine Ordinarii approbatione, absolvi posse, ita ut solae censurae specialissime S. Pontifici reservatae (praeter eas quae revelationi secreti S. Officii coniunctae sunt) amplissima absolvendi facultate excipiantur.

Iste sacerdos eligi potest idem qui ubique omnes absolvat,

vel alius in alio loco et pro aliis personis. Id est, Cardinalis cuilibet sacerdoti ad se vel familiares unum, plures, aut omnes absolvendos, expeditam iurisdictionem conferre potest.

c) Cum nulla clausula excludantur, videntur, ex tertio privilegio, externi, immo ipse populus missis istis in nocte natalicia Domini interesse posse.

d) Facultas n. VI facta obscurior est. Indulget Cardinalibus et eorum familiaribus ut, in suis sacellis, indulgentias lucrentur pro quibus vel aliqua ecclesia seu oratorium publicum loci ubi actu sint per se visitanda forent. Quare poterunt proprium sacellum pro ecclesia visitare, quando, ad indulgentiam lucrandam, ecclesia visitanda est quatenus est publica, vel quatenus est ecclesia talis loci. In Urbe v. gr. pluribus ecclesiis ascribitur *indulgentia cotidiana* (i. e. indulgentia quae semel in anno sed qualibet die visitanti ecclesiam lucranda prostat). Indulgentiam istam Cardinales et ipsorum familiares in sacellis propriis lucrari poterunt. Quod satis manifestum videtur.

Quid autem si ecclesia visitanda est quia sedes est confraternitatis, vel quia privilegio Portiunculae donata est? Quia tunc ecclesia non ut ecclesia civitatis vel loci visitanda praecipitur, sacello cardinalicio suppleri posse dubium nobis est. Adde, indulgentiam Portiunculae extraordinariam esse quae, in huiusmodi facultate, speciali mentione digna sit. Si tamen privilegia ista Cardinalium ample sumenda esse consideres, et Cardinales ipsos sua dignitate prohiberi quo minus populo ecclesias visitanti se immisceant, etiam pro istiusmodi indulgentiis eorum sacella ab ipsis et familiaribus visitari posse potius existimabis.

Gratia autem sacello semipublico Cardinalis non circumscribitur, ita ut Cardinalis in suis aedibus plura sacella habere possit in quibus indulgentias lucretur. Sacelli enim nomine venit locus quilibet sacris actionibus, praesertim celebrandae missae, deputatus. Atque itinerans Cardinalis tamquam proprium sacellum locum ubi celebrat considerare poterit. Ipsa enim privilegii verba casum ponunt ubi Cardinalis actu tantum in civitate commoretur.

Quaeres num, absente Cardinali, proprium Cardinalis sacellum a familiaribus ad lucrandas indulgentias visitari possit? Rem, quae non ita liquet, affirmandam putamus.

e) Valde ampla facultas n. VII conceditur. Sinit enim ut *solo crucis signo*, non iterando, omissa omni formula — *ubique terrarum*, ergo etiamsi ubi Ordines religiosi habitent quibus benedictio reservari consuevit — *omnes indulgentias* a S. Sede concedi solitas: non tantum indulgentias quae apostolicae dicuntur, sed etiam indulgentias quae a crucigeris, S. Birgitta, etc. nomen habent, rosariis, coronis precatoriis

(v. gr. VII Dolorum B. M. V.) statuis, scapularibus, Cardinales coniungant. Praeterea scapularia imponere possunt, nec nomina albo confraternitatis inscribere debent. Formula autem consueta adhibenda non dispensantur.

Rosaria quidem benedicere possunt. Facultas autem cooptandi fideles in SS. Rosarii confraternitates expressa non est, et cum etiam facultatibus S. C. Prop. Fidei excipiatur, eam ipsis non competere arbitramur.

f) Octavo privilegio facultas erigendi stationes viae crucis, quae tot sollemnitatibus obnoxia esse consuevit, ipsis sub unica benedictione, sine alia lege conceditur.

g) Tertia decima facultate dubium quoddam praecedentiae solvitur. Siquidem legatus, qua talis, ex repraesentata persona maiores honores recipere consuevit, ita ut Nuntius Apostolicus Ordinarios locorum praecedat, uter, Cardinalis non Legati an Legati non Cardinalis, prior incedere deberet ambigebatur. Privilegio XIII praecedentia Cardinali non Legato addicitur.

3. Observes demum praesenti catalogo nulla alia privilegia supprimi, cum ipse titulus *Non nulla Cardinalium privilegia* alia esse satis insinuet.

---

738. — S. CONGR. RITUUM

DECRETUM 14 IAN. 1914

Approbans libellum variationum in divino Officio recitando (A. A. S. 12 mart. 1914, 6, 113.)

Occasio scribendi libellum, eiusque approbatio a S. Rit. Congr.

Cum ex Motu proprio *Abhinc duos annos* sanctissimi Domini nostri Pii Papae X, diei 23 octobris anni 1913 nuper elapsi, de divinis Officiis noviter ordinandis, cuilibet permittatur in divino Officio persolvendo Breviaria Romana, quae sunt in usu, adhibere, dummodo in peculiari libello habeat varianda quae omnino consonent Apostolicae Constitution *Divino afflatu*, praefato *Motu proprio* atque decretis; sacra Rituum Congregatio, de ipsius sanctissimi Domini nostri mandato, eiusmodi libellum a peculiari Commissione liturgica concinnandum curavit; atque opus absolutum distincte ac ordinate dispositum, revisione rite peracta, probare posse censuit.

Approbatio SS^mi.

Quibus omnibus sanctissimo Domino nostro Pio Pp. X per infrascriptum Cardinalem sacrae Rituum Congregationis Praefectum relatis Sanctitas Sua Rescriptum eiusdem sacri Consilii ratum habens, praesentem libellum cum variationibus praescriptis suprema sua auctoritate probavit, et ab iis qui recitare cupiunt Horas Canonicas cum Breviario Romano usuali, adhiberi benigne concessit ac decrevit. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Dies (14 Ian. 1914).

Ex Secretaria sacrorum Rituum Congregationis, hac die 14 ianuarii 1914.

Fr. S. Card. MARTINELLI, *Praefectus*,

† *Petrus La Fontaine, Ep. Charystien., Secretarius.*

Annotationes

Praesens libellus, uti ex ipso eius titulo et ex decreto approbationis apparet, continet variationes in divino officio recitando iuxta Constitutionem apostolicam *Divino afflatu* et Motu proprio *Ab hinc duos annos,* in commodum eorum qui novissimo breviario carent.

Non omnia continet quibus nova editio typica Breviarii a praecedentibus Breviariis differt, sed illa tantum sine quibus novae rubricae adamussim servari non possunt, vel saltem difficillime id fieret.

Haec praecipue in libello continentur :

I. *In Proprio de Tempore :*

a) Novae rubricae de Lectionibus de Scriptura occurrente, et de Responsoriis de tempore ;

b) Novae Antiphonae pro sabbato ante vigiliam Nativitatis;

c) Lectiones de Scriptura noviter dispositae pro festo s. Stephani, necnon pro diebus a 30 dec. ad 5 ian. ;

d) Nova Responsoria pro sabbatis ante Septuagesimam, et Responsoria aliter disposita pro feriis temporis paschalis;

e) Lectiones 2 Nocturni pro dominica XXIII post Pentecosten, si haec fuerit in sabbato anticipanda. Hucusque enim haec dominica anticipata fiebat ritu simplici et in ea legebatur Homilia de dominica XXIII, nunc autem de ea fieri debet officium semiduplex cum novem lectionibus ; pro primo quidem Nocturno prostant lectiones de Scriptura de occurrente feria, item pro tertio, praedicta Homilia, pro secundo vero nullae habebantur.

II. *In Proprio Sanctorum.*

a) Dantur novae rubricae de ordinando officio de Sanctis;

b) Indicantur Lectiones 2 et 3 Nocturnorum pro octava s. Ioseph ;

c) Datur novum officium defunctorum die 2 novembris recitandum cum psalmis propriis ad Completorium et ad parvas horas ;

d) Nova dantur Responsoria pro 2 et 3 Nocturno infra octavam Omnium Sanctorum. Novem enim ipsius festi Responsoria quasi unum aliquid constituunt, in quibus diversi ordines sanctorum commemorantur ; cum autem ex novis rubricis tria priora iam dici nequeant infra octavam, etiam reliqua non servare visum est.

III. In Communi Sanctorum datur in Communi unius Martyris nova Homilia 3° loco ponenda in evangelium. « Nolite arbitrari », quod legitur in missa « In virtute tua ».

Practice ergo, si quis praesentem libellum una cum novo Psalterio prae manibus habeat, poterit absque novo Breviario officium divinum recitare sicut per recentissima decreta ordinatum fuit.

I. Pauwels, S. I.

739. — SS. D. N. PII PP. X

MOTU PROPRIO « QUANTA SEMPER » 16 IAN. 1914

De nova S. Rituum Congr. ordinatione

(A. A. S. 7 febr. 1914, 6, 25.)

PIUS PP. X

Memorata cura SS. Pontificum de cultu Dei et Sanctorum, et institutione S. Rituum Congr.

Quanta semper cura Decessores Nostri advigilaverint, ut ea qua par est pietate, religione et magnificentia coleretur Deus atque laudaretur in Sanctis suis, facile deprehendat, quisquis reputet quae templa ab ipsis excitata fuerint, quae leges ad sacra facienda sancitae, qui denique ritus divinorum officiorum pro diversitate temporum praescripti. Quae ut integra manerent, vel sapienter et sancte temperarentur f. r. Sixtus V Apostolica Constitutione « *Immensa* » sacrorum Rituum Congregationem instituit, cui duplex praecipue demandavit munus, videndi statuendique de iis, quae ad sacros ritus latinae Ecclesiae spectant, et curandi quae ad beatificationem et canonizationem Sanctorum referuntur. Quae omnia Nosmet ipsi in Constitutione Nostra « *Sapienti consilio* » confirmavimus.

Et necessitate adiungendi ad Consultores tres peculiares Commissiones, quae externa tamen instrumenta manebant, istud nova ratione ordinare integritate S. Congr. postulari videtur.

Quo autem facilius utriusque generis negotia expedirentur, et Consultorum inductus est ordo, praelatorum nempe et theologorum, qui praecipue in singulis causis beatificationis et canonizationis suffragium ferrent super virtutibus, martyrio et miraculis Servorum Dei ; et asciti sunt caerimoniarum magistri, a quibus sententia exquireretur de iis quae sacros ritus et caerimonias attingunt. Verum exortis quaestionibus et gravibus et arduis circa veteres Ecclesiae ritus et normas a patribus traditas, quibus et divina officia ordinanda sunt et concentus sacer regendus, itemque circa historias Sanctorum, cum caerimoniarum magistri ad omnia haud sufficerent, res ipsa postulavit, ut viri consulerentur rei liturgicae et christianae antiquitatis specialiter periti : quo factum est ut tres peculiares *Commissiones* sacrae Congregationi Rituum adiunctae sint, liturgica, historico-liturgica et pro sacro concentu, — de quibus in commemorata modo Constitutione mentionem fecimus — quae tamen essent tamquam externa instrumenta ad investigationem veri, non ipsius Congregationis membra : cum harum commissionum participes numquam in consultorum numerum relati sint. Quod si ad tempus hunc commissionum statum retineri placuit, iam integritas Congregationis exigit, ut illae funditus mutentur, atque ad ipsam roborandam expoliendamque Congregationem convertantur.

Quare, adhibitis aliquot Cardinalibus in consilium, Pontifex

Quapropter, in consilium adhibitis aliquot S. R. C. Cardinalibus, non nulla decernere visum est, quae nunc Motu-proprio observanda statuimus, edicimus.

Consultores S. R. C. in duos ordines dividit : alii in causis beatificationis et canonizationis, alii in liturgia et ss. reliquiis

Sacrorum Rituum Congregationis Consultores in duas classes seu sectiones sint divisi, alii ad suffragium ferendum in causis beatificationis et canonizationis, alii pro rebus ad liturgiam et reliquias Sanctorum quoquo modo pertinentibus. Sed nihil prohibet, quominus unus idemque Consultor in utraque sectione numeretur. Erit autem Cardinalis Praefecti eos Nobis proponere ad munus Consultoris assumendos, qui non solum vitae honestate, sed ea quoque scientia sint instructi, ut idonei ad suffragium in quaestionibus sibi commissis recte ferendum videantur.

Igitur qui in primam sectionem ascribendi erunt, doctrina, integritate spectati atque aetate provecti homines intellegant onus sibi demandari maximi momenti, in quo cauta diligentia ac magna maturitate procedendum est.

versabuntur. Iidem ad utrumque Ordinem ascribi possunt.

Ii vero qui in altera sectione erunt annumerandi, pollere debent in primis scientia liturgiae, tum rerum affinium, ut historiae, hagiographiae, cantus ecclesiastici et aliarum huiusmodi. Cum autem difficile admodum sit plures invenire qui in omnibus his excellant, curandum erit, ut nonnulli saltem sint, qui in aliqua ex doctrinis liturgiae finitimis vere sint excellentes.

Quaenam in utroque Ordine qualitates requirantur.

Itaque, cum ex una parte volumus ut ii omnes, qui in praesenti numerantur Consultores, in eodem munere perseverent et primae sectioni maneant ascripti, tum ex alia parte omnes et singulas Commissiones quae Congregationi sacrorum Rituum hucusque fuerunt adiectae, hoc Nostro Motu-Proprio supprimimus et omnino suppressas declaramus.

Praesentes S. R. C. Consultores confirmantur; commissiones vero supprimuntur.

Dilecto autem Filio Nostro Cardinali huius S. Congregationis Praefecto in mandatis damus ut quam primum Nobis viros proponat, qui secundum praescripta Nostra possint a Nobis assumi ad munus consultorum sectionis secundae.

Consultores novos a Card. Praefecto proponentur.

Hanc vero Nostrae voluntatis declarationem volumus et iubemus futuris quoque temporibus religiosissime in omnibus et singulis servari, constitutionibus, ordinationibus apostolicis, privilegiis aliisque contrariis quibuscumque, etiam speciali atque individua mentione dignis, minime obstantibus.

Clausulae.

Datum Romae apud S. Petrum die XVI ianuarii anno MCMXIV, Pontificatus Nostri undecimo.

Dies (16 ian. 1914).

PIUS PP. X.

Annotatio

Sicut in ipso *Motu Proprio* satis perspicitur, praesens reformatio non ipsam stricte dictam Sacrorum Rituum Congregationem, sed coetum Consultorum attingit. Ac divisio qua alii Beatis et Sanctis, alii vero ritibus et reliquiis Sanctorum deputantur iam ante praeparata est coöptatione caerimoniarum magistrorum, qui de solis caerimoniis interrogari consueverant.

Vis porro propria reformationis haec est, ut provincia tribus annexis commissionibus hactenus demandata [1] iam propriis S. Rituum Congregationis consultoribus assignetur. Demum utilitas novi consultorum delectus insinuatur, quo viri assumantur qui non sola vitae honestate sed etiam congrua scientia spectabiles sint.

---

[1] Quare, dum consultores qua *singuli* sententiam rogantur, ipsius tantum *commissionis* congregatae suffragium exquirebatur et audiebatur. Cfr. v. gr. rescriptum S. R. C. 17 ian. 1914, inter multa alia exempla.

740. — S. OFFICII (Sectio de indulgentiis)

DECRETUM 22 IAN. 1914

Indulgentiae et privilegia exposito SS. Sacramento annexa (A. A. S. 24 febr. 1914, 6, 74.)

Devotio fidelium et vota ut Clementina Instructio de expositione SS. XL Hor. partim dispensetur movent Pontificem ad haec decernenda.

Augetur in dies, auspicatissimo fervore, fidelium desiderium, publice expositum adorandi SS^mum^ Eucharistiae Sacramentum, eadem mente qua iam vetus, a XL Horis nuncupatum, institutum almae Urbis ordinatur, et non dissimili apparatu. Attamen plurimae solent ad Apostolicam Sedem supplicationes porrigi, ut a Clementinae, quam vocant, Instructionis, ad rem datae, non nullis condicionibus dispensetur, pro rerum locorumque adiunctis, praesertim vero ut nocturno tempore oratio et expositio ipsa interrumpatur, sive consuetis servatis indulgentiis ac privilegiis, sive novis peculiaribus attributis. Hisce mature consideratis SS. D. N. Pius div. prov. Pp. X, quamvis summopere exoptet ut res iugiter ad tramitem Clementinae Instructionis componatur, maiori tamen prospicere volens fidelium emolumento, et ampliori cupiens animarum in Purgatorio degentium providere suffragio, plurimorum inclinatus sacrorum Antitistum voto, de E^morum^ Patrum Cardinalium Generalium Inquisitorum consulto, feria V die 22 ianuarii 1914, ita decernere ac indulgere dignatus est :

Dies (22 ian. 1914).

I. Indulgentiae XL Horarum confirmantur.

I. Confirmantur indulgentiae, quae per s. m. Pium Pp. IX, die 26 novembris 1876, pro Urbanis XL Horarum, vel ad earum tramitem ubilibet habendis, expositionibus determinatae sunt, ac privilegia altarium, per s. m. Pium Pp. VII, die 10 maii 1807, concessa.

II. Iudice Ordinario, quid sufficiat.

II. Permittitur tamen ut ubi exercitium XL Horarum, iudice R^mo^ loci Ordinario, fieri nequeat prout ab Instructione Clementina exigitur, sit satis, ad effectum indulgentiarum et privilegii obtinendum, primo die sanctissimum Sacramentum, quacumque hora matutina, vel circa meridiem, publicae venerationi in ostensorio exponere, et perdurante ipso die et per diem alterum eiusmodi expositione, die tertio, meridie aut de sero, idem deponere, quamvis noctu expositio interrumpatur.

III. Abrogantur aliae concessiones.

III. Si aliquibus precibus vel exercitiis, quae a memoratis differant, sive publice sive privatim in ecclesiis vel oratoriis quibuslibet peragendis, eadem annexa sunt indulgentiae ac privilegia quae sub n. I citantur, quomodocumque concessa fuerint, penitus abrogantur.

IV. Indulgentiae continuae, saltem per mensem expositionis.

IV. Ubi continua habetur almi Sacramenti sollemnis item in ostensorio expositio, saltem per mensem, etiamsi de nocte interrupta, plenariam christifideles, confessi ac s. Synaxi refecti, et ad mentem Summi Pontificis pie orantes, indulgentiam assequi valeant, semel tantum in singulis hebdomadis ; septem autem annorum et totidem quadragenarum, in alia quacumque, corde saltem contrito, peragenda visitatione. Celebrantibus vero sacrosanctum Missae sacrificium in eadem ecclesia vel oratorio, privilegio altaris, in defuncti alicuius levamen, die quolibet gaudendi esto potestas.

V. Indulgentiae cuiuslibet expositionis.

V. Quotiescumque demum diverso modo provisum minime sit de aliqua indulgentia acquirenda, pro quavis alia venerabilis Eucharistiae palam expositae visitatione, tribuitur, quotiens haec, corde saltem contrito, peragatur, indulgentia septem annorum totidemque quadragenarum.

VI. Omnes praedictae indulgentiae, per modum suffragii, animabus in Purgatorio degentibus, ad cuiuslibet christifidelis arbitrium, applicari possunt. *VI. Omnes applicabiles sunt.*

Praesenti in perpetuum valituro, absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus. *Vis perpetua decreti.*

D. Card. Ferrata, *Secretarius.*
† *D. Archiep. Seleucien., Assessor S. O.*

Annotationes

1. Hoc decreto S. Officii, ut patet, nihil mutatur circa condiciones requisitas ut SS. Sacramentum publicae fidelium venerationi exponi possit, neque circa privilegia quod ad missas votivas sollemnes in non nullis expositionibus concessas.

Ubi ergo talis missa fuerit concessa pro expositione Sanctissimi unius diei (quae dici solet in nostris regionibus *adoratio perpetua*), haec concessio, non obstante revocatione de qua in num. III, permanet; contra, ubi tale indultum non habetur, praesenti decreto non conceditur facultas celebrandi missas de quibus in Instructione clementina, ubi haec ad amussim non servetur.

2. Ad obtinendas vero indulgentias Orationi XL horarum, iuxta formam clementinam concessas, iam non requiritur ut adoratio fiat sine interruptione, etiam per noctem, sed sufficit, ubi iudicio Ordinarii Instructio clementina ad amussim servari non potest, ut expositio fiat per tres continuos dies, prima die ab hora aliqua matutina aut circa meridiem ad vesperam, secunda die a mane ad vesperam, tertia die a mane ad meridiem aut horam vespertinam.

3. Indulgentiae hucusque Orationi XL horarum in forma clementina concessae, quae praesenti decreto confirmantur, et, uti supra dictum est, extenduntur, sunt sequentes:

a) Ex Rescripto Pii IX d. d. 26 nov. 1876, indulgentia plenaria semel lucranda ab iis qui confessi et sacra Communione refecti SS. visitaverint, et ad mentem Summi Pontificis oraverint, et pro reliquis visitationibus indulgentia 10 annorum et 10 quadragenarum.

b) Ex concessione Pii VII d. d. 10 maii 1807, durante Oratione XL horarum, omnia altaria ecclesiae in qua haec fit, sunt privilegiata.

Porro, praedictae indulgentiae iam expositionis supra descriptae ita sunt propriae, ut si hucusque concessae fuerint aliis precibus vel exercitiis, tales concessiones penitus abrogentur.

4. E contra, pro expositione sollemni SS^mi in ostensorio, quae duret saltem per mensem, conceditur pro singulis visitationibus indulgentia 7 annorum et totidem quadra-

genarum, et semel in hebdomada indulgentia plenaria lucranda a christifidelibus qui confessi ac s. Synaxi refecti ad mentem Summi Pontificis oraverint ; et, durante tota expositione, omnes ecclesiae vel oratorii altaria sunt privilegiata.

5. Pro quavis alia palam expositi SSi visitatione, quae corde contrito fiat, nisi de alia indulgentia provisum sit, conceditur item indulgentia 7 annorum et totidem quadragenarum.

6. Omnes illae indulgentiae defunctis suffragari possunt.

I. Pauwels, S. I.

---

741. — S. CONGR. RITUUM

RESCRIPTA 17 ET 23 IAN. 1914

De caerimoniis baptismi qui domi conferatur

A. *Rescriptum 17 ian. 1914.* (A. A. S. 7 febr. 1914, 6. 32.)

Dubium.

Bellunen. — Proposito dubio a Rmo Ordinario Bellunensi « An « Baptismus de licentia Episcopi seu Ordinarii domi collatus, extra mortis « periculum et urgentem necessitatem, cum omnibus caerimoniis Ritualis « Romani sit administrandus », sacra Rituum Congregatio, audito Commissionis Liturgicae suffragio, respondendum censuit : *Affirmative.*

Responsum. Dies (17 ian. 1914).

Atque ita rescripsit die 17 ianuarii 1914.

Fr. S. Card. Martinelli, *Praefectus.*
Petrus La Fontaine, Ep. Charyst., Secretarius.

B. *Rescriptum 23 ian. 1914.* (A. A. S. 24 febr. 1914, 6, 75).

Orator.

Versalien. — Rmus Dnus Episcopus Versaliensis sequentes quaestiones de administratione Baptismi a sacra Congregatione Sacramentorum ad sacrorum Rituum Congregationem transmissas pro opportuna solutione humillime proposuit :

Quaestiones.

De caerimoniis post baptismum in mortis periculo.

I. An, in administratione Baptismi, quando imminet periculum mortis, post infusionem aquae, urgeat sub gravi Ritualis Romani praescriptum quod ad unctionem Chrismatis, traditionem linteoli et cerei ?

De restituendo usu.

II. Cum in Versaliensi dioecesi et, uti fertur, non nullis circumstantibus locis, obsoleverit usus addendi hos ritus in casu enuntiato, nonne curandum est ut isti ritus stricte adimpleantur, et sacerdos in casu sanctum Chrisma, linteolum cereumque secum deferre atque adhibere debeat ?

De baptismo domi extra periculum mortis collato.

III. An, quando extra casum necessitatis, cum Ordinarius, ob rationes ipsi expositas, licentiam concesserit administrandi domi Baptismum, urgeat praescriptio Ritualis explendi ritus unctionis Chrismatis et traditionis linteoli et cerei ?

Et sacra eadem Congregatio, audito Commissionis Liturgicae suffragio, omnibus accurate perpensis, respondendum censuit :

Responsa.

Ad I et II. Standum Rituali Romano.

Ad I et II.

Ad III. Detur Decretum Bellunen. 17 ianuarii 1914.

Ad III.

Atque ita rescripsit die 23 ianuarii 1914.

Dies (23 ian. 1914).

Fr. S. Card. Martinelli, *Praefectus.*

† *Petrus La Fontaine, Ep. Charystien., Secretarius.*

Annotationes

Cfr. inter *Quaesita varia,* De caerimoniis Baptismi.

---

742. — S. CONGR. RITUUM

RESCRIPTUM 12 FEBR. 1914

De festo dedicationis et de octavis

(A. A. S. 24 febr. 1914, 6, 76.)

Dubia. — A sacra Rituum Congregatione, pro opportuna declaratione reverenter expostulatum est, nimirum :

Dubia.

I. An Festum anniversarium Dedicationis omnium ecclesiarum alicuius dioeceseos ita sit intellegendum, ut, ob enuntiatum Festum, singulae ecclesiae suam propriam Dedicationem celebrent ?

De dedicatione.

II. An reviviscant Octavae de iure vel ex privilegio concessae Festis a die 19 ad diem 23 decembris occurrentibus, cum ipsae deinceps a Festo Nativitatis D. N. I. C. haud amplius impediantur ?

De octavis festorum inter 19 et 23 decembris occurrentium.

Et sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, omnibus mature perpensis, respondendum censuit :

Responsa.

Ad I. Affirmative : nempe ut in singulis ecclesiis consecratis agatur Festum Dedicationis propriae ecclesiae.

Ad I.

Ad II. Affirmative.

Ad II.

Atque ita rescripsit, die 12 februarii 1914.

Dies (12 febr. 1914).

Fr. S. Card. Martinelli, *Praefectus.*

† *Petrus La Fontaine, Ep. Charystien., Secretarius.*

Annotationes

Ad I. Sat multis in locis, usque ad novissimas reformationes rubricarum, unico die celebrabatur in cumulo Anniversarium Dedicationis omnium ecclesiarum Dioeceseos vel Ordinis, aut immo totius regionis, et hoc festum non tantum materialiter, sed et formaliter erat universale, ita ut a *singulis* reapse celebraretur festum *omnium* ecclesiarum consecratarum ; unde praedictum festum celebrandum erat non solum ab iis qui alicui ecclesiae consecratae erant ascripti, sed et ab iis qui ecclesiae vel oratorio non consecrato, aut immo nulli ecclesiae vel oratorio erant ascripti.

Porro, decreto 28 oct. 1913 hoc festum cumulativum fuit suppressum, et nunc iam celebranda erunt :

a) Anniversarium Dedicationis ecclesiae cathedralis, in tota dioecesi ;

b) Anniversarium Dedicationis ecclesiae propriae ab iis qui, extra ipsam ecclesiam cathedralem, ascripti sunt alicui ecclesiae consecratae.

Permittitur quidem eodem decreto ut « si in tota dioecesi, vel Instituto, unica die recoli consuevit Dedicatio omnium ecclesiarum Dioeceseos, haec, extra Cathedralem, in ecclesiis consecratis tantum, non vero in aliis recoli possit, die ab Ordinario designanda. » Sed, uti praesens responsum dicit, hoc non ita est intellegendum, quasi huiusmodi festum remaneat in casu formaliter universale, sed materialiter tantum, h. e. singuli alicui ecclesiae consecratae ascripti, in casu, celebrant formaliter anniversarium Dedicationis ecclesiae propriae tantum, etsi materialiter omnia ista anniversaria celebrantur eodem die. Unde apparet cur praedictum festum iam unice ab iis qui ecclesiae consecratae sint ascripti, sit celebrandum.

De hac dedicatione omnium ecclesiarum consecratarum una die celebranda sequentia hic annotare iuvat :

1. Congregationes seu Instituta quae, ex decreto 28 febr. 1914, III [1], uti debent kalendario dioecesano, illud kalendarium etiam quod ad hoc sequi debent, ac proin, si in praedicto kalendario indicatur unica dies in qua celebrari debeat Dedicatio omnium ecclesiarum consecratarum dioeceseos, in ecclesiis harum Congregationum seu Institutorum, si fuerint consecratae, festum Dedicationis ecclesiae propriae hac ipsa die recoli debet.

2. Ordines vero regulares et Congregationes quae, ex eodem decreto I et II, kalendarium proprium habere debent, quod ad Dedicationem suarum ecclesiarum clero saeculari dioeceseos se conformare nec debent, nec immo posse videntur. Ex eodem enim decreto IV et VI, sola festa localia quae religiosi istius modi celebrare debeant et possint ac pro quibus Kalendario dioecesano ipsis est standum sunt festa Dedicationis et Titularis ecclesiae cathedralis, necnon festa sollemniora Patronorum principalium, minime vero festum hoc Dedicationis ecclesiarum.

Sed, cum ex decreto 28 oct. 1913 I, [2], possunt et ipsi regulares unica die recolere Dedicationem omnium suarum ecclesiarum consecratarum, nonne potest superior regularis pro hac celebratione hanc praecise diem eligere quae ab

---

[1] Cfr. infra n.

[2] Cfr. PERIODICA n. 707, t. 7, p. 199.

episcopo designata fuerit pro celebranda Dedicatione omnium ecclesiarum saecularium dioeceseos ?

Profecto, potest superior regularis diem designare ab aliquo episcopo electam pro sua dioecesi, unde illi regulares in hac dioecesi habitantes Dedicationem suarum ecclesiarum consecratarum eadem die celebrabunt ac clerus saecularis huius dioeceseos ; sed non videtur posse statuere superior regularis ut subditi sui dedicationem ecclesiae propriae consecratae ubique celebrent eadem die ac clerus saecularis. Etenim decreto 28 oct. 1913 I, f. videtur regularibus optio dari inter duas partes tantum. Vel α) in singulis ecclesiis consecratis Ordinis vel Congregationis Dedicatio celebrabitur in *ipsa* die anniversaria; vel β) si hucusque ita fecerint, poterunt praedicti regulares una et eadem die in *omnibus* ecclesiis consecratis *totius* Ordinis vel Congregationis Dedicationem propriae ecclesiae celebrare, quae dies in casu, ex Instructione 12 dec. 1912 [1], una cum kalendario proprio a S. R. C. est approbanda. Intermediam autem inire viam, absque speciali Indulto eiusdem Congregationis non videtur ipsis licere.

Ad II. Ante decretum 28 oct. 1913. « De Octavis, quae non sunt in Breviario Romano, nihil fit amplius...., a die 17 decembris usque ad Epiphaniam, semper inclusive. » Post vero praedictum decretum, « Octavae festorum particularium post diem Nativitatis Domini non amplius impediuntur. » Unde, neque nunc de octavis aliquid fieri potest a die 17 decembris usque ad diem Nativitatis.

Sed, an ideo festa occurrentia infra hoc tempus prorsus ius suum amittunt ad octavam, vel potius estne tantum his diebus impedita ipsius octavae celebratio eodem prorsus modo atque impedita foret occurrentibus festis classicis ? Si primum, de tali octava nihil prorsus fieri potest, ne quidem post festum Nativitatis ; si vero secundum, elapsis diebus impedientibus, octava reviviscet. Porro, ex praesenti decreto, hoc ultimum obtinet ; unde, si quod festum ius habens ad octavam, occurrit die 17 vel 18 dec., de eius octava nihil fiet, cum tota octava versetur in tempore prohibito ; si vero huiusmodi festum occurrat a die 19 ad 23 dec., de eius octava quidem nihil fiet ante festum Nativitatis, post vero hoc festum, de ea fiet secundum rubricas.

Fatendum tamen est quam minimam fore hanc reviviscentiam : diebus enim 26, 27 et 28, ob occurrentia duplicia 2 classis, de die infra octavam nihil fiet, de die vero octava tantum commemoratio, et diebus 29 et 30 (dummodo sit octava duplicis 1 classis) de die infra octavam fiet comme-

1 Cfr. PERIODICA n. 655, t. 7, p. 99.

moratio, de die vero octava, officium, nisi tamen hac die officium peragendum sit de dominica, quo casu, de die octava fiet commemoratio ante commemorationem s. Thomae vel diei infra octavam Nativitatis, de die octava simplici item numquam fiet nisi commemoratio post commemorationem diei infra octavam Nativitatis. I. Pauwels, S. I.

---

743. — S. CONGR. RITUUM

DECRETUM « RUBRICAE » A 28 FEBR. 1914

De festis localibus quae a Religiosis recoli debeant

(A. A. S. 12 mart. 1914, 6, 118.)

Relectis actis praeteritis, S. Congr. ad quaestionem de Religiosis solvendam haec statuit.

Rubricae in recitatione divini Officii et in Missarum celebratione servandae ad normam Bullae *Divino afflatu*, tit. IX, num. 2 et 4, perspicue docent quaenam Festa localia sub competenti ritu ex lege generali Regulares, Kalendarium sive dioecesanum sive proprium habentes, celebrare teneantur. Cum tamen constet anteactis temporibus ex mero Indulto sanctae Sedis nonnulla Festa pro utroque Clero alicui regno, aut provinciae, aut dioecesi concessa fuisse, de quibus in memoratis Rubricis et titulo nulla mentio, inde suborta est quaestio de obligatione Regularium ad haec quoque Festa celebranda.

Sacra porro Rituum Congregatio hanc quaestionem dirimere volens, et insuper decernere quo Kalendario uti debeant sive Ordines Regulares, sive Religiosorum Congregationes aut Instituta, itemque alia nonnulla circa eamdem rem opportune definire, audito suffragio Commissionis pro ordine psalteriali reformando constitutae, attentis tenore et mente Bullae *Divino afflatu* et subsequentium Rubricarum et Decretorum, omnibusque accurate perpensis, sequentia statuere censuit :

De Kalendario proprio.

Ius Ordinum regularium.

I. Ordines Regulares proprium omnino habere debent Kalendarium, quod pariter adhibendum est a Monialibus et Sororibus eorumdem Ordinum.

Ius Congregationum sub Generali.

II. Congregationes seu Instituta utriusque sexus a S. Sede approbata et sub regimine unius praesidis generalis constituta, si ad recitationem divini Officii teneantur, proprium pariter habeant Kalendarium.

Ius aliorum Institutorum.

III. Congregationes et Instituta, quae sive Ordinaria sive Apostolica auctoritate sint approbata, non tamen comprehendantur paragrapho praecedenti, uti debent Kalendario dioecesano prouti iacet, additis iuxta Rubricas, Officiis, quae ipsis peculiariter concessa sunt.

Festa celebranda ab habentibus Kalendarium.

IV. Ordines, Congregationes et Instituta, proprio Kalendario gaudentes, amodo celebrare tantummodo debent officia localia Dedicationis et Titularis ecclesiae cathedralis, nec non Festa solemniora Patronorum principalium, ita ut non amplius teneantur ad Officia alicui regno, provinciae aut dioecesi concessa ; neque ad Officia localia quae annexam habuerunt feriationem, nunc autem habent suppressam.

Quonam modo.

V. Quod ad Festa localia, quae a Regularibus ut supra servanda sunt, ipsi uti debent Officio et Missa Clero saeculari concessis, nisi eadem Festa ab ipsis Regularibus iam habeantur cum Officio et Missa magis propriis.

VI. Si graves exstent rationes ad aliqua Festa localia praeter recensita, pro aliqua Religiosa familia conservanda, sacrae Rituum Congregationis iudicio subiciantur, ut praedicta Festa, quatenus opus sit, in Kalendario inseri possint. *Quid de aliis festis localibus.*

Quas resolutiones sanctissimo Domino nostro Pio Papae X per subscriptum sacrae Rituum Congregationis Secretarium relatas, Sanctitas Sua ratas habuit, probavit atque praescripsit, contrariis quibuscumque indultis revocatis, aliisque etiam speciali mentione dignis non obstantibus. *Approbatio SSi et clausula.*

Die 28 februarii 1914. *Dies (28 febr. 1914).*

Fr. S. Card. MARTINELLI, *Praefectus,*
† *Petrus La Fontaine, Ep. Charystien., Secretarius.*

ANNOTATIONES

Tria puncta magni momenti pro ordinandis regularium kalendariis praesenti decreto statuuntur.

A. **De kalendario a regularibus sequendo.** — Nulla hucusque lex generalis Regularibus aut Institutis religiosis kalendarium proprium aut imponebat, aut concedebat. De facto tamen, teste R. P. TRILHE [1], Regulares proprie dicti, si non omnes, saltem plerique, proprio utebantur kalendario; ex Congregationibus vero et Institutis religiosis nonnulli, sicut Regulares proprie tales, kalendarium adhibebant vere proprium, sat multi privilegium obtinuerunt sequendi kalendarium approbatum pro clero romano, alii tandem utebantur kalendario dioecesano.

Iamvero, in posterum kalendarium proprium habebunt, non solum omnes utriusque sexus Regulares proprie tales, et sorores ab huiusmodi Ordinibus dependentes, sed et Congregationes et Instituta dummodo in his simul verificentur tres hae conditiones: α) ut sint a S. Sede approbata, β) ut vivant sub regimine unius superioris, γ) ut ad recitationem divini officii teneantur.

Solae Congregationes, in quibus tres illae conditiones non purificantur, adhibere debebunt kalendarium dioecesanum, additis tantum, iuxta rubricas, officiis quae ipsis specialiter sunt concessa, puta officium Fundatoris et Tituli Instituti. Huiusmodi sunt v. g. Congregationes dioecesanae, vel etiam Congregationes laicorum, etsi a S. Sede approbatae, quae ad officium divinum non tenentur, et in quorum oratoriis proinde missa plerumque celebranda erit secundum kalendarium dioeceseos.

Ratio harum dispositionum facile patet. Ordines enim regulares, et Congregationes a S. Sede approbatae, praeter-

[1] *La Constitution* « Divino afflatu » *et les nouvelles Rubriques du Breviaire romain*· Ch. XII, p. 185, note 3.

quam quod ordinarie, saltem magna ex parte, a iurisdictione Episcopi eximuntur, plerumque pluribus in dioecesibus versantur ac cum nulla ex eis necessariam habent connexionem. Congregationes vero dioecesanae cum dioecesi verum nexum habent, et non minus, immo plus a loci Ordinario pendent quam ceteri dioecesani. Quod ad Congregationes vero laicorum quae ad officium divinum non tenentur, superfluum videri potuit ipsis concedere kalendarium proprium quod usum non haberet nisi in missa necessario celebrata a sacerdote qui ad hanc Congregationem non pertinet.

Consectarium praesentis legis est quod superiores generales omnes harum Congregationum quae iam ad kalendarium proprium tenentur, curare debent, uti decreto 28 oct. 1913, V, 1 [1] cautum est, ut quam primum supplicem libellum, iuxta Instructionem S. R. C. diei 12 dec. 1912 in *Actis Apostolicae Sedis* die 1 martii 1913 editam [2] ad eamdem Congregationem transmittant pro kalendarii proprii approbatione. Quod si nulla festa propria haberent, sequi debent in omnibus kalendarium universalis ecclesiae, additis tantum festis localibus de quibus infra.

B. **De festis localibus a religiosis celebrandis.** — Praecipua quod ad hanc rem difficultas oriebatur ex officiis alicui regioni vel regno ad petitionem principum vel regum concessis; non raro enim concessa fuerunt cum clausula praeceptiva pro utroque clero, et de facto acceptata a regularibus, etiam proprio kalendario utentibus. Unde factum est ut in kalendariis multarum provinciarum ordinum regularium proprio kalendario utentium talia festa fuerint inscripta, uti, v. g. contigit in Belgio pro multis festis olim concessis sive dominio austriaco, sive hispanico. Quaestio moveri nunc poterat, num, reformato kalendario Ordinis, in illa provincia talia officia essent continuanda. De supprimendis his officiis nullum quidem adhuc exstabat documentum officiale, sed, si perpendimus responsum officiosum datum supreriori alicui generali [3] et Instructionem S. R. C. 12 dec. 1912 super kalendariis propriis reformandis, de responso, si quaestio S. Congr. proponeretur, dubium esse non poterat.

Haec igitur in posterum erit norma:

a) Instituta quae kalendarium dioecesanum sequi debent, illud adhibebunt prout iacet, cum omnibus festis dioecesanis et octavis in eo inscriptis. Addent tamen festa propria ipsi Congregationi concessa, necnon festa localia propria quae in ecclesiis seu oratoriis saecularibus addenda forent, v. g.

---

[1] Cfr. PERIODICA n. **707**, t. 7, p. 202.
[2] Cfr. PERIODICA n. **655**, t. 7, p. 99.
[3] Cfr. PERIODICA n. **636**, t. 7, p. 54.

Tituli et Dedicationis ecclesiae propriae sub ritu dupl. 1 cl. cum octava, Patroni praecipui loci, item sub ritu dupl. 1 cl. cum octava, necnon patronorum minus principalium loci, si dentur, sub ritu dupl. mai. Festa vero sive universalis ecclesiae, sive dioecesana, quae ab his festis propriis impediuntur, si fuerint classica, transferuntur in primam diem liberam secundum rubricas, si fuerint ritus inferioris, simplificantur vel supprimuntur prout cautum est decr. 28 oct. 1913 IV, 2 [1].

b) Ordines et Congregationes, quae kalendario proprio utuntur, praeter Dedicationem et Titularem ecclesiae propriae quae celebranda sunt sub ritu dupl. 1 cl. cum octava, alia festa localia celebrare nec debent, nec possunt, quam festa Dedicationis et Titularis ecclesiae cathedralis, necnon festa sollemniora Patronorum principalium, quae quidem celebrabunt sub ritu dupl. 1 cl. sine octava.

Patroni principales, de quibus agitur, intellegi debent in sensu decreti 6 dec. 1912 ad 6 [2], et rubricae reformatae Tit. IX, 3, ita ut non solum colendus sit patronus principalis oppidi vel civitatis, sed et provinciae et regni, et etiam dioeceseos, saltem si hucusque huius festum per totam dioecesim, in locis quoque peculiarem patronum habentibus, celebratum sit sub ritu duplici 1 cl. cum octava. Nec refert talia festa numquam fuisse feriata ; nova enim rubrica explicite haec festa celebranda imponit regularibus « quamvis feriata in foro numquam fuerint ».

De omni Patrono festum unicum, h. e. sollemnius a regularibus erit celebrandum ; immo ipsis prohibetur quominus festa localia, quae non sint patronorum, celebrent olim feriata, sed quorum feriatio nunc est sublata ; nihil quidem dicitur de festis localibus quae actualem feriationem annexam habeant, sed, ut patet, post Motu proprio 2 iul. 1911 [3] talia festa cum actali feriatione, si adhuc exsistunt, certe rarissima sunt, quibus tunc particularibus dispositionibus providebitur.

C. **De officio recitando a religiosis in festis localibus Patronorum, vel Titularis ecclesiae cathedralis.** — Nonnulli auctores, inter quos A. a Carpo [4] et Vict. ab Appeltern [5] autumabant regulares proprio kalendario utentes, non posse, etiam pro Patrono loci, vel Titulari ecclesiae Cathedralis, assumere officium proprium clero saeculari

---

1 Cfr. PERIODICA n. **707**, t. 7, p. 202.
2 Cfr. PERIODICA n. **647**, t. 7, p. 72.
3 Cfr. PERIODICA n. **526**, t. 6, p. 80.
4 Kalendarium perpetuum, cap. 2, n. 29 not.
5 Manuale liturgicum, t. 2, Pars 2, art. 2 q. 30.

concessum. Ab aliis vero cum Ephemeridibus Liturgicis [1] hoc licitum dicebatur. Horum sententiam sequens, respondet decretum regulares non solum posse, sed debere in casu adhibere idem officium ac clerus saecularis, nisi tamen ipsi regulares habeant de dicto Patrono vel Titulari officium magis proprium. Et quidem recte, cum Regulares eodem titulo ac saeculares Patronum colant.

Decretum specialem habet approbationem Summi Pontificis, ac inde vim obtinet verae legis ; amplissimae ceteroquin adduntur clausulae derogatoriae ita ut nullus Ordo ritus romani effectum legis aufugere valeat, nec ullum Indultum contrarium hucusque obtentum, quodcumque sit, opponi possit, cum haec omnia praesenti lege revocentur.

Quod si qui regulares alia officia localia quam quae hic dicuntur, cupiant servare, novo indigent indulto, sed simul monemur tale indultum concessum non iri nisi graves ob causas. I. Pauwels, S. I.

---

744. — CONGR. CONSISTORIALIS

DECLARATIO 27 FEBR. 1914

De Vicario generali Amer. Septemtr. qui simul consultor dioecesanus sit. (A. A. S. 12 mart. 1914, 6 p. 111.)

Quaestio. Quaestio quae in dioecesibus Statuum Foederatorum Americae septemtrionalis saepius agitata est, utrum Vicarii generales esse possint Consultores dioecesani, ab Emis huius sacrae Congregationis Patribus denuo ad examen revocata est.

Facta consideratio. Porro considerantes quod in istis dioecesibus Consultores dioecesani eorumque collegium stant loco canonicorum et cathedralis capituli ; et

Conclusio. quod in iure non obstat quominus Vicarius generalis inter cathedralis ecclesiae canonicos accenseatur ; concluserunt prohiberi non posse, generatim saltem loquendo, quominus Vicarii generales istarum dioecesum sint de numero Consultorum.

Exceptio. Est tamen casus in quo neque aequum neque opportunum est ut id obtineat, quotiens scilicet Consultores iuxta usum vel alia de causa paucissimi sint : eo enim in casu alius sacerdos non de gremio Consultorum est assumendus in Vicarium, vel numerus Consultorum congrue augendus.

Approbatio SSmi. SSmus autem D. N. Pius Papa X hanc decisionem ratam habuit et confirmavit, ac publici iuris fieri mandavit, contrariis quibusvis non obstantibus.

Dies (27 febr. 1914). Datum Romae, ex aedibus eiusdem S. Congregationis, die 27 febr. 1914.

† C. Card. De Lai, *Episcopus Sabinen., Secretarius,*
S. Tecchi, Assessor.

---

[1] Vol. XIV, p. 476.

745. — EX AUDIENTIA SANCTISSIMI

INDULTUM 2 SEPT. 1913

De Confessionibus Sororum in Belgio

Beatissime Pater,

Oratores

Proposito usu immemorabili confessarios infinite conservandi eosdem

et tacito religiosarum assensu.

Cardinalis Archiepiscopus Mechlinien., ceterique Episcopi Belgii exponunt: in suis dioecesibus ab immemorabili tempore usum vigere, vi cuius Episcopi confessarios ordinarios monialium et sororum cuiuslibet Ordinis vel Congregationis in munere confirmare solent pro tempore sibi beneviso, non expetitis religiosarum suffragiis, cauta tamen decretorum S. Sedis observantia de conscientiae libertate. Cum ex hac consuetudine, attentis cautelis adhibitis, nullum in via Dei progredientibus obstaculum oriri experientia constet, et cum praeterea religiosae ipsae talem usum magnopere approbent, ita ut ipsis generatim grave esset, si relinqueretur, Oratores pro omnibus Belgii dioecesibus eam facultatem humiliter expostulant quam Episcopus Namurcensis obtinuit, nempe ut, non obstante dispositione N. 2 et 9 Decreti « Cum de Sacramentalibus », possint confessarios ordinarios religiosarum pro tempore sibi beneviso in munere confirmare, quin ad suffragia sororum expostulanda obligentur, ac servatis de cetero omnibus dispositionibus ad conscientiarum libertatem salvandam.

Petunt *exemptionem partialem a decreto « Cum de sacramentalibus ».*

Ex Audientia SS^mi^, habita a Cardinali Sacrae Congregationis negotiis Religiosorum Sodalium praepositae Pro-Praefecto, die 2 sept. 1913, Sanctitas Sua benigne annuit pro gratia ad quinquennium.

Gratia *quinquennalis.*

Datum Romae, die, mense et anno, uti supra.

Dies (2 sept. 1913).

F. CHERUBINI, *Subsecretarius.*

ANNOTATIONES

1. Indulto isto dioeceses Belgii omnes eximuntur ea lege decreti *Cum de Sacramentalibus*, 3 febr. 1913, qua Ordinarius loci confessarium ordinarium Sororum ultra tres annos in munere confirmare non potest, nisi propter sacerdotum penuriam aliter facere nequeat, vel maior pars Sororum, secretis suffragiis, de re convenerint.

2. In libello supplici usum immemorabilem et satisfactionem Sororum allegata observabis. Quae Sororum satisfactio, qua hodie mulieres suffragio ferendo abstinere malint, earum conversationem religiosam non parum commendat. Unanimes tamen esse Sorores minime affirmatur. Quare, sicut non semel scripsimus, in illo usu confirmandi diu eundem Confessarium argumentum videmus cur alter vel tertius Confessarius pluribus communitatibus offeratur.

3. Gratiam in quinque annos factam, ne ita temporalem existimes quasi precaria tantum fuerit. Contra, haec Episco-

porum Belgii facultas inter gratias ponitur quae quinquennales dicuntur, quia quinto quoque anno confirmari debent et consueverunt.

4. Exterior forma rescripti habet quod mirationem moveat. Agitur enim de oraculo vivae vocis, cuius fides scripta facienda est. Iam vero possunt quidem Cardinales et Secretarii Congregationum de *oraculis a se receptis* fidem facere [1].

Verum hic, *Subsecretarius* Congregationis testatur facta in audientia quam non ipse sed Cardinalis Pro-Praefectus habuit. Hanc mediatam fidem a stilo S. Sedis discrepare putamus ita ut, si res contentiosa foret, difficultas inde nasci posset.

---

746. — S. CONGR. RELIGIOSORUM

INDULTA 3 DEC. 1913 ET 2 MART. 1914

Commoratio extra claustra seu saecularizatio [2]

A. *Indultum 3 dec. 1913.*

Beatissime Pater,

Fr. N. Sacerdos Professus Ordinis X. in Belgio, ad pedes Sanctitatis Vestrae humiliter provolutus, implorat Indultum manendi extra claustra *ut suae adversae valetudini prospicere queat...*

Et Deus, etc.

Vigore specialium facultatum a SSmo Dno Nostro concessarum, Sacra Congregatio Negotiis Religiosorum Sodalium praeposita, audito *voto P. Proc. Gen.* benigne indulget *Revmo P. Generali* ut, veris exsistentibus narratis, pro suo arbitrio et conscientia, Oratori concedat licentiam manendi extra claustra *ad annum*, itemque opportunam dispensationem super regulis cum eo statu non compatibilibus, facta obligatione *dimittendi* habitum proprii Ordinis, et servandi, quantum fieri poterit, vota suae professionis. Porro Orator conventum non deserat, nisi praecesserit consensus Ordinarii loci in quo commorari intendit, et statim redire teneatur, si forte, perdurante Indulto, a suis legitimis Superioribus ad claustra revocetur. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Romae, 3 decembris 1913.

O. Card. Cagiano, *Praef.*

B. *Indultum 2 mart. 1914.*

Beatissime Pater,

NN. dioecesis Br., congregationis N.. sacerdos professus, ad pedes S. V. provolutus, humiliter exponit se, propter varia infausta adiuncta,

---

[1] Cfr. Rotarium, *Theol. mor. regularium*, t. 3, l. 3, c. 5, punctum 5, praecipue n. 7

[2] Ex ipsis diplomatibus transumptum.

onera vitae communis in praedicta Congregatione ferre non posse, quamvis, in vita religiosa substantiali, in nullam reprehensionem incurrerit.

Quare humiliter petit gratiam, ut possit extra claustra commorari ad nutum S. V. et ea ministeria exercere quae Episcopus X, annuente Episcopo originis, ipsi conferre paratus est. Ex ista officii collatione honestae oratoris sustentationi erit provisum.

Et Deus, etc.

Vigore specialium facultatum a SSmo Domino Nostro concessarum, Sacra Congregatio Negotiis Religiosorum Sodalium praeposita, attentis expositis, benigne annuit pro gratia manendi extra claustra iuxta preces, et exercendi ministerium sacerdotale in dioecesi X, ad nutum Episcopi.

Datum Romae, die 2 martii 1914.

O. Card. CAGIANO, *Praef.*

ANNOTATIONES

1. Bina ista indulta quae, prima specie, indulta saecularizationis esse videntur, specialem attentionem merentur, cum praesentem S. Congregationis stilum aliquantisper a superiore discrepantem demonstrent. Ceterum in definitionibus istis concretis magnam pro adiunctis et temporibus varietatem deprehendi nemo mirabitur.

2. Itaque, in priore indulto, quod *regularem proprie dictum* respicit, haec duo notanda sunt.

De Episcopo benevolo receptore nulla mentio facta est, nec tamquam condicio egressus aut commorationis extra claustra huiusmodi receptio exigitur.

Praeterea facultas fit Superioribus legitimis, ergo etiam locali (quamvis rescripti gratia R. P. Generali commissa sit), ut regularem ad claustra revocent.

Binae istae clausulae probant S. Congregationis intentionem non fuisse ut saecularizationem, sed mere, ad temperandam valetudinem, commorationem, arbitrio Superioris, extra claustra concederet, diutius quam ipse Superior Generalis, id est ultra sex menses, concedere potuisset.

Quare in huiusmodi professum, decretum *Cum minoris*, 15 iun. 1909 [1], S. C. Religiosorum cadere non videtur, ita ut etiam in loco ubi exstet sui Ordinis conventus habitualem residentiam suam eligere possit.

Quamvis, ex ipso Concilio Tridentino, tamquam regularis extra claustra degens, ab Episcopo tamquam delegato S. Sedis puniri possit [2], simul regularium Superiorium potestati plane obnoxius manet.

Cum nulla cautio de alimentis alia ratione procuratis in Indulto sumatur, professus iste a monasterio ad quod per-

---

1 Cfr. PERIODICA, t. 5, n. 341, p. 41.

2 C. Trid. s. 6, c. 3, *De reformatione.*

tinet, etiam extra claustra, congruenti ratione alendus est. Id est, Superiores arbitrio suo definire possunt utrum necne expediat permittere isti subdito suo ut, propter minus bene affectam valetudinem, extra claustra per annum commoretur : quod si permiserint, simul onus alendi subditum in se suscipiunt. Non tamen prohibentur commorationem istam quasi condicionate indulgere, id est dummodo ipse subditus suae sustentationi honeste provideat.

3. Altero indulto vera saecularizatio temporalis ad nutum S. Sedis conceditur. Et quia de religioso viro probatae vitae, qui accidentalibus et involuntariis difficultatibus non autem improbandae inconstantiae cedebat, agebatur, gratia liberali manu concessa est. Etenim ab ipsa S. Congregatione, in forma gratiae factae et non ad annum, sed ad nutum S. Sedis, saecularizatio indulta est.

Nihil praeterea de habitu statutum est, quia, ni fallimur, habitus parum dissimilis habitui sacerdotis saecularis gerebatur. Quocirca, servando habitu suo saecularizatus iste non prohibetur, immo potius tenetur, nisi Episcopo receptori, propter commissa ministeria, aliter videatur.

Ius claustra repetendi et indulto renuntiandi dicto saecularizato etiam manet.

Quaeres,num verbis quibus ministeria ad nutum Episcopi exercere permittitur ipsum ab inhabilitate dispensent pronuntiata in mox laudato decreto *Cum minoris,* 15 iun. 1909. Si verba haec consideres, talia non sunt quae dicto decreto derogent. Sed propter aliam causam religiosus iste vim decreti istius effugere videtur. Decretum istud enim in bina genera religiosorum cadit: in sollemniter professos Ordinum qui *saecularizationem* perpetuam aut temporalem obtinuerint ; et in alumnos Instituti votorum simplicium qui a votis perpetuis *dispensati* fuerint. Agedum, religiosus de quo agitur, nec sollemniter professus est, nec votis suis simplicibus solutus est.

In odiosis autem dicta de regulari saecularizato in religiosum votorum simplicium transferre non licet, praesertim cum bene intellegatur cur priores saecularizati severius quam posteriores tractentur. Poterit itaque religiosus iste omnia officia idque ubique locorum accipere.

Ad nutum tamen episcopi omnia geret. Cuius clausulae haec ratio esse videtur. Beneficia ecclesiastica per se perpetua sunt, ita ut v. g. parochi propter causas canonicas tantum removeri possint. Sed, generali regula, quaecumque regulari tribuantur ad nutum auferri possunt. Iam vero, stipulando ut omnia ministeria ad nutum episcopi exerceantur, S. Congregatio cavet ut ista sanctio de regularibus ad religiosum de quo in casu traducatur.

747. — NOTANDUM

De tertia editione Indicis librorum prohibitorum

Ex ipsa Praefatione Indicis qui, iussu SS. D. N. Pii Pp. X tertium, anno 1911, typis scriptus est, constat nihil in ipso opere mutatum esse, nisi quod libris recens damnatis locus datus est et mendae quaedam correctae sunt. Attamen clarius iam expressum habemus quo modo proscriptio quae generalibus verbis *opera omnia* redditur intellegenda sit. Operae itaque pretium est ut, exemplum Dr Schaepman in Nederlandsche katholieke Stemmen imitati, duarum priorum et tertiae editionis verba inter se comparemus.

Duae *priores* haec habent : « Atque hanc mitigationem ad eum etiam casum merito extendas, quo scriptoris alicuius acatholici *opera omnia* expresse in Indice prohibentur. Nimirum haec prohibitio ad eos libros in posterum non pertinebit qui, aut nullo modo, aut obiter tantum fidei veritates attingunt, et nullo decreto generali aut speciali fuerunt notati. Quapropter pristina illa distinctio inter « Opera omnia » simpliciter, et « Opera omnia de religione tractantia », tamquam supervacanea amandari potuit. Quotiens enim auctoris alicuius scripta omnia prohibentur, ea tantum opera intelleguntur, quae aut de religione agunt, aut, etsi de ea non agunt, decreto tamen aliquo generali aut speciali proscripta sunt. »

Tertia vero habet : « Atque hanc mitigationem ad eum etiam casum merito extendas quo scriptoris alicuius acatholici *opera omnia* expresse in Indice prohibentur. Nimirum haec prohibitio ad eos libros in posterum non pertinebit qui, aut nullo modo, aut obiter tantum fidei veritates attingunt, et nullo decreto generali aut speciali fuerunt notati. Quapropter pristina illa distinctio inter « Opera omnia » simpliciter, et « Opera omnia de religione tractantia », tamquam supervacanea amandari potuit. Immo etiam in eo casu quo catholici scriptoris *opera omnia* prohibentur, si de certo aliquo eiusdem libro constet, eum neque ullo decreto generali, neque alio speciali prohiberi, hunc ab ea generali proscriptione eximi non temere existimaveris. »

Estne autem discrimen istud verbale tantum an etiam reale? Reale quod ad *scriptores* de quibus agitur adesse non arbitramur. Iam ante enim verba « Quotiens auctoris *alicuius* scripta omnia prohibentur » satis universalia erant ut scriptores tum catholicos tum acatholicos comprehenderent. Et cur temperamentum in severitate solis acatholicis profuisset non videbatur.

Sed quod ad *clausulae vim*, iam altera pro altero scriptorum genere regula ponitur. Prius enim verbis : *Opera omnia*, proscribebantur cum omnia opera de religione agentia, tum cetera quae in generalem aut specialem proscriptionem incurrebant. Dum nunc inter catholicum et acatholicum scrip-

torem, quorum *opera omnia* damnentur, haec distincti facienda est, ut utriusque quidem opera praesumantu damnata, nisi constet quodpiam vel quaepiam nulla general regula damnari, sed praeterea singula opera de religione pr simpliciter proscriptis iam habenda non sint nisi ab *acatholic* scriptore scripta fuerint.

DECRETA SUMMATIM RELATA

748. — *S. CONGR. INDICIS*

Liber prohibitus.

Decreto 17 ian. 1914 (A. A. A. S. 17 febr. 1914, 6, 21) damnantur : MAURICE MAETERLINCK, *Opera omnia.*

749. — *S. CONGR. S. OFFICII* (*Sectio de Indulgentiis*)

Indulgentiae concessae, quae omnes defunctis applicabiles sunt. (A. A. S. 12 mart. 1914, 6, 107-111).

Variae indulgentiae precibus coniunguntur.

A. Die 22 ian. 1914, SS. D. indulgentia totiens quotiens centum dierum ditavit :

« Preghiera di riparazione alla beata Vergine Maria.

« Vergine benedetta, Madre di Dio, volgete benigna lo sguardo dal cielo, ove sedete regina, su questo misero peccatore, vostro servo. Esso, benchè consapevole della sua indegnità, a risarcimento delle offese a voi fatte da lingue empie e blasfeme, dall' intimo del suo cuore vi benedice ed esalta come la più pura, la più bella e la più santa di tutte le creature. Benedice il vostro santo nome, benedice le vostre sublimi prerogative di vera Madre di Dio, sempre Vergine, concepita senza macchia di peccato, di corredentrice del genere umano. Benedice l'eterno Padre, che vi scelse in modo particolare per Figlia, benedice il Verbo incarnato, che vestendosi dell' umana natura nel vostro purissimo seno vi fece sua Madre ; benedice il divino spirito che vi volle sua sposa. Benedice, esalta e ringrazia la Trinità augusta che vi prescelse e predilesse tanto da innalzarvi su tutte le creature alla più sublime altezza.

« O Vergine santa e misericordiosa, impetrate il ravvedimento ai vostri offensori e gradite questo piccolo ossequio dal vostro servo, ottenendo anche a lui, dal vostro divin Figlio, il perdono dei propri peccati. Amen. »

B. Eadem die 22 ian. 1914, SS. D. binas has preces iaculatorias indulgentia centum dierum totiens quotiens ditavit.

« Santa Maria, libera nos a poenis inferni. »

« Santa Maria Liberatrice, pregate per noi e per le anime purganti. »

C. Die 29 ian. 1914, SS. D. indulgentia 300 dierum semel in die ornavit preces has, post peracta exercitia spiritualia vel peractas missiones, recitandas :

« Oratio

» Iesu Christe, qui pro me cruci affigi voluisti, gratias Tibi ago pro cunctis amoris tui beneficiis, quae hisce sacrorum exercitiorum (*vel* sacrae

missionis) diebus mihi contulisti. En iterum mihi persuasum est ante omnia oportere, ut salvem animam meam, unicam et immortalem. Ideoque firmiter propono in primis omne peccatum letale vitare, omnemque voluntariam atque proximam peccati occasionem, maxime vero hanc..., quae tantopere mihi nocumento fuit. Sed etiam peccato veniali omnique ad ipsum pravo affectui pro viribus obsistere volo. Promitto Tibi me omnia status vel officii mei munera fideliter atque religiose adimpleturum, totamque vitam meam iuxta sanctissimam voluntatem tuam instituturum. Insuper promitto Tibi, o bone Iesu, me cotidianis orationibus instare velle, praesertim vero tentatione urgente ad orationem confugere. Diem Dominicam sanctificare volo et ad mensam sanctam tuam frequenter et devote accedere. Denique totam vitam meam Tibi offero, maxime labores meos atque dolores. Benedic mihi et omnibus qui mecum hisce sacris exercitiis (*vel* huic sacrae missioni) interfuerunt.

« O Maria, virgo immaculata, filius tuus (*vel* filia tua) esse volo, Teque per sacratissimi Rosarii devotionem pie venerari libenter intendo. Da mihi, Domine Iesu, Matrem tuam in patronam singularem, et esto solatium et gaudium meum usque ad vitae meae beatum finem. Amen. »

D. Eadem die 29 ian. 1914, SS. D. indulgentia centum dierum hanc orationem ditavit.

« Mater de perpetuo succursu, ora pro nobis. »

Quae pro locorum usu etiam sic dici potest :

« Domina nostra de perpetuo succursu, ora pro nobis. »

750. — *S. CONGR. DE PROPAGANDA FIDE*

Erigitur Praefectura de Lang-Son et Cao-Bang (A. A. S. 7 febr. 1914, 6, 29).

Praefectura nova. Decreto 30 dec. 1913, S. Congr. de Propaganda Fide constituit in Tonkin novam Praefecturam de Lang-Son et Cao-Bang, separatam a Vicariatu apostolico Tonkin Septemtrionalis, concreditam fratribus Praedicatoribus Provinciae Lugdunensis.

751. — *S. CONGR. RITUUM*

Causae beatificationis et canonizationis.

Introductio causae. A. Die 11 febr. 1914, S. Pontifex signavit commissionem introductionis causae Servi Dei Dominici Savio, adulescentis laici, alumni Oratorii Salesiani (A. A. S. 12 mart. 1914, 6, 114).

Introductio causae. B. Die 11 febr. 1914 S. Pontifex signavit Commissionem introductionis causae Servi Dei Bernardi Francisci De Hoyos, sacerdotis professi Societatis Iesu, propagatoris cultus SS. Cordis Iesu in Hispania (A. A. S. 12 mart. 1914, 6, 116).

752. — *S. ROM. ROTA*

Iura de cura habituali et actuali.

A. Die 1 iul. 1913, S. Romana Rota in causa Salutiarum, Iurium, inter Capitulum Cathedrale Salutiarum et R. Iac. Conte Archipresbyterum, in gradu appellationis contra sententiam rotalem 2 sept. 1911 (Period. VI, p. 195), statuit hanc sententiam partim esse reformandam, scil. curam animarum habitualem competere Capitulo pure et simpliciter, curam autem actualem Archipresbytero competere universam, salvis iuribus et officiis a Capitulo vi consuetudinis immemorialis praescriptis; regimen ecclesiae cathedralis competere Capitulo pure et simpliciter; neque Archipresbyterum habere ius residendi in domo ecclesiae cathedrali adiuncta (A. A. S. 7 febr. 1914, 6, 32).

Iurispatronatus.

De nullitate sententiae Delegati Apostolici.

B. Die 22 nov. 1913, S. Romana Rota in causa Heliopolitana, Iurispatronatus, inter D. Petrum Dib et R. D. Ioannem Dib, statuit:

1° non constare de nullitate sententiae iam prolatae in casu a Delegato apostolico. Arguentibus nempe:

a) ex defectu citationis, respondetur: citationem non requiri ad validitatem iudicii, quando qui citari debuissent, habent certam scientiam litis, iudici perspectam;

b) ex eo quod Delegatus apostolicus solus, sine assessoribus, sententiam pronuntiavit, respondetur: actum iam positum haberi debere tamquam validum quamdiu invaliditas non probatur: iam vero non probatur mentem delegantis non sufficienter fuisse impletam adhibitis assessoribus cum voto consultivo tantum;

c) ex impossibilitate documenta exhibendi et cognoscendi ea quae adversarius deduxerat, respondetur: facta haec non probari.

2° Gabrielem Dib (de quo in praefata sententia) esse reapse de gente Dib, ita ut alii de eius familia (ut Ioannes Dib) iurispatronatum participare possint (A. A. S 24 febr. 1914, 6, 77).

Creditum.

Summa coadiutori solvenda.

C. Die 20 dec. 1913, S. Romana Rota, in causa Policastren. Crediti, inter R. D. Archidiaconum Pignataro appellantem et D. Giffoni appellatum et incidenter appellantem, statuit solvendam esse D. Giffoni coadiutori annuam summam ab anno 1899 ad 1910, salvo iure Archidiaconi a summa debita deducendi expensas factas in vindicando supplemento congruae (A. A. S. 12 mart. 1914, 6, 119).

753. — *SIGNATURA APOSTOLICA*

Recursus relecti.

A. Die 1 febr. 1914, prodiit decisio qua causarum reservatarum recursus reiecti sunt tamquam fundamento destituti, scil. Andrien. Restitutionis in integrum et iurium (25 apr. 1913) et Varsovien. Separationis seu nullitatis sententiae rotalis (19 maii 1913) (A. A. S. 7 febr. 1914, 6, 68).

I. Salsmans, S. I.

BIBLIOGRAPHIA [1]

Alphonse de la Mère des Douleurs. (E. O. C.). *Pratique de l'Oraison mentale et de la perfection d'après Sainte-Thérèse et Saint Jean de la Croix.* Desclée, De Brouwer et Cie, in-12, t. IV, 347 p. t. VI, 495 p.

Tome IV. Voie illuminative.

2me partie. *La contemplation divine acquise.* Prologue. — Liv. I. Contemplation divine ordinaire. — Ch. I. Nature et division de la contemplation. — Ch. II. Différence entre contemplation surnaturelle et acquise. — Ch. III. Contemplation acquise. — Ch. IV. La contemplation acquise convient aussi aux commençants. — Ch. V. Objet principal de la contemplation : l'humanité de J.-C. — Ch. VI. L'humanité de J.-C. voie de la plus sublime contemplation. — Ch. VII. Méthode de Ste Thérèse. — Ch. VIII. Contemplations de Ste Thérèse.

Liv II. Contemplation divine obscure. — Ch. I. Sa nature. — Ch. II. Connaissances distinctes de l'entendement qui empêchent la contemplation par la foi. — Ch. III. Personnes d'oraison appelées à la contemplation divine obscure. — Ch. IV. Comment on passe de la contemplation sensible à la divine obscure. — Ch. V. Signes de la contemplation obscure. — Ch. VI. Les trois signes (suite). — Ch. VII. Degrés. — Ch. VIII. Souffrances. — Ch. IX. Peut-on désirer la contemplation obscure. — Ch. X. Ses avantages. — C. XI. Identité des enseignements de Ste Thérèse et de St Jean de la Croix. — Ch. XII. Bonnes dispositions. — Ch. XIII. Conduite de l'âme. — Ch. XIV. Faveur singulière accordée à la contemplation obscure habituelle. — Ch. XV. Esprit contemplatif de Ste Thérèse et de St Jean de la Croix. — Ch. XVI. Leurs sentences. — Ch. XVII. La contemplation obscure est surnaturelle acquise.

Tome VI. Voie illuminative.

4me partie. *Le triomphe des vertus.* — Prologue. — Liv. I. La foi et l'amour seuls conduisent à l'union divine. — Ch. I. Différentes sortes d'union. — Ch. II. L'union de ressemblance par l'amour. — Ch. III. Dispositions requises. — Ch. IV. Les trois vertus théologales — Ch. V. Signes de l'union. — Ch. VI. Les dix degrés de l'échelle d'amour. — Ch. VII. La foi est le seul guide vers l'union d'amour. — Ch. VIII. La contemplation acquise ne peut élever l'âme à l'union divine. — Ch. IX. La contemplation extraordinaire non plus. — Ch. X. La contemplation par la foi conduit à l'union divine. — Ch. XI. La théologie mystique. — Ch. XII. Tableau synoptique de la marche progressive d'une personne d'oraison.

Liv. II. L'obéissance et l'humilité victorieuses du démon. — Ch. I. Importance des instructions de St Jean de la Croix. — Ch. II. La parfaite obéissance. — Ch. III. Son excellence. — Ch. IV. Sans obéissance, il n'y a

[1] Tous les ouvrages cités dans la Bibliographie sont en vente chez M. Beyaert Libraire, Bruges.

ni vie religieuse ni vie d'oraison. — Ch. V. Pratique de l'obéissance. — Ch. VI. Partie principale de l'obéissance. — Ch. VII. Choix d'un directeur. — Ch. VIII. Conduite réciproque des directeurs et des personnes d'oraison. — Ch. IX. La vraie humilité. — Ch. X. Excellence de l'humilité. — Ch. XI. Comment acquérir l'humilité. — Ch. XII. Pratique de l'humilité. — Ch. XIII. Moyens. — Ch. XIV. Dangers de la vaine gloire. — Ch. XV. Préjudices. — Ch XVI. Discernement entre la vraie et la fausse humilité.

Liv. III. La pauvreté évangélique et la charité envers le prochain victorieuses du monde. — Ch. I. Précaution necessaire. — Ch. II. Délices de la pauvreté. — Ch. III. Les revenus : sources d'inquiétudes. — Ch. IV. Dieu prend soin du temporel. — Ch. V. Autres avantages de la pauvreté d'esprit. — Ch. VI. Pratiques. — Ch. VII. Principale précaution. — Ch. VIII. Amour surnaturel du prochain. — Ch. IX. Dangers de l'amour naturel. — Ch. X. Amour surnaturel envers les parents. — Ch. XI. Actes intérieurs et extérieurs d'amour surnaturel du prochain.

Liv. IV. La pénitence et la patience victorieuses de la chair. — Ch. I. Renoncement à soi-même. — Ch. II. Sens immortifiés : pires ennemis de notre âme. — Ch. III. Funestes effets des appétits déréglés. — Ch. IV. Avantages de la pénitence. — Ch. V. La vertu de pénitence. — Ch. VI. L'amour des souffrances. — Ch. VII. Les croix. — Ch. VIII. Motifs d'aimer les souffrances. — Ch. IX. Comment il faut endurer les souffrances. — Ch. X. Comment on dompte la chair par la pénitence.

Hilgers, Jozef. (S. J.). *Die katholische Lehre van den Ablässen und deren geschichtliche Entwicklung*. Mit Anlagen und drei Abbildungen. Paderborn. Ferd. Schöningh, 1914, in-8, p. XXXIII-172. Inhaltsverzeichnis. — I. Das Wesen und die Grundlagen des Ablässes. — II. Die Vollmacht zur Spendung der Ablässe und deren Ausübung. — III. Die Verwaltung der Ablazsachen.

Anlagen. — 1. Die Befreiung des Mönches Justus aus dem Fegfeuer durch den hl. Gregor d. Gr. — 2. Der Ablaz von einem Jahr um das Jahr 900. — 3. Der Ablaz von einem Jahr. — 4. Vollkommener Ablaz in einem Papstschreiben gespendet 1073. — 5. « Forma absolutionis generalis indulgentiae a poena et a culpa ». — 6. Der Portiunkulablaz. — 7. Zum ersten Jubiläum 1300. — 8. Papst Sixtus IV. Spendet Ablaz im Kloster Santa Lucia zu Foligno 1476. — 9. Luther über den Ablaz im Jahre 1516. — 10. Die Ablazdekretale Leos X, vom 9 November 1518.

Ex Periodicis

Le Canoniste Contemporain. Janv. 1914. A. Boudinhon. — La nouvelle organisation de l'office divin, p. 5.

Fev. 1914. A. Villien. — La Réforme de la curie romaine. — Les Tribunaux, p. 65.

A. Boudinhon. — *La nouvelle organisation de l'office divin*, p. 65.

Mars 1914. A. Villien. — La Réforme de la curie romaine. — La S. Pénitencerie (suite), p. 141.

The Catholic Educaiional Association Bulletin. Febr. 1914. Rev. John Webster Melody, D. D. Instruction in sex hygiene, p. 7.

H. Tierney, S. I. The catholic Church and the Sex Problem, p. 25.

Collationes Brugenses. Feb. 1914. De Smet. — De absolutione sacramentali religiosis sodalibus impertienda, p. 123.

Mart. 1914. C. Callewaert. La durée et le caractère du carême ancien dans l'Eglise latine (suite). IV. En Gaule et à Milan, à Rome. V. La liturgie du carême : A. Le premier dimanche, 200.

Illustración del Clero. 1 ian. 1914. La prioridad del matrimonio civil y el decreto « Ne temere », p. 6. De los bienes de un religioso, p. 8.

1 febr. 1914. Las Cofradias y el Parroco. IX. Las peticiones a Roma, p. 45.

1 marz. 1914. Sobre la Reforma de los calendarios. Respuesta a Sal Terrae, p. 71.

16 marz 1914. Bautismo domestico. — El aguno en Espana y América, p. 87.

Nouvelle Revue Théologique. Février 1914. R. Trilhe. Les nouvelles modifications aux rubriques, 85.

(Anon.) Suspense *ab officio* et *a beneficio*, p. 116.

(Anon.) Vœux conditiounels et vœux solennels, p. 120.

Mars 1914. J. Besson. — Restitution de la dot moniale et des biens extradotaux en cas de légitime sécularisation, p. 133.

R. Trilhe. — *Les nouvelles modifications aux rubriques*. De la réforme des calendriers particuliers, 156.

Reseña eclesiástica. Jan. 1914. Miguel de Arquer. — Breve exposición de las rubricas que deben observarse en el rezo del Oficio divino y santa Missa (continuación), p. 26.

Feb 1914. Colección auténtica de decretos de la sagrada Congregación de Ritos. Vol. VI. 1905, p. 51.

De la reforma del Ritual, p. 52.

Manuscritos de los religiosos, p. 54.

Miguel de Arquer — Breve exposición de las rubricas que deben observarse en el rezo del Oficio divino y santa Misa (continuación), p. 92.

Los estudiantes en el extranjero y los religiosos misioneros, p. 102.

Revue ecclésiastique de Liége. Janv. 1914. Quomodo confessarii monialium munus sibi concreditum obire debent, et quaenam sunt ipsarum monialium iura et officia quod ad confessionem instituendam, p. 271.

Mars 1914. De missis pro defunctis iuxta Constitutionem *Divino Afflatu* SS. D. N. Pii Pp. X.

SUMMA SUPPLEMENTORUM ET QUAESITORUM VARIORUM

I. Supplementum

Pagina

SUPPLEMENTUM XIX. Vicarii apostolici et Praefecti apostolici munus, potestas et speciales obligationes.

I. De Vicario Apostolico.

1. Vicarii Apostolici munus . . . . . (9)
2. Vicarii Apostolici potestas . . . . . (16)
3. Vicarii Apostolici obligationes . . . . . (22)

II. De Praefecto Apostolico.

1. Praefecti Apostolici munus . . . . . (37)
2. Praefecti Apostolici potestas . . . . . (41)
3. Praefecti Apostolici obligationes . . . . . (46)

Quaestio residua. . . . . (47)

II. Quaesita varia

I. Casus Sinensis de cautionibus quas dispensans ab impedimento disparitatis cultus exigere debet . . . . . (1)

II. De voto paupertatis Congregationum religiosarum . . . (2)

III. De absolutione generali et benedictione cum indulgentia plenaria . . . . . (4)

IV. De abiurando modernismo . . . . . (5)

V. De coronis et crucifixi Christi imaginibus quae a via crucis dicuntur . . . . . (7)

VI. De novarum Constitutionum editione et vi . . . . . (8)

VII. De vi novissimi decreti quo Religiosi facultatem obtinent quoslibet confessarios adeundi.

1. Litteralis expositio . . . . . (24)
2. De mente legis disquisitio . . . . . (33)

VIII. De monialium et sororum confessionibus post decretum « Cum de Sacramentalibus », 3 febr. 1913. . . . . (49)

IX. De bonis religiosarum Galliae et censuris. . . . . (52)

X. De communione in Sabbato sancto . . . . . (53)

XI. De caerimoniis baptismi qui extra ecclesiam conferatur . (54)

XII. De indulgentiis in festo suppresso. . . . . (58)

XIII. De vigiliis festorum S. Ioseph et Annuntiationis B. M. V. (59)

XIV. De reditu sororis quae a votis dispensata est. . . . . (60)

INDEX ANALYTICUS MONUMENTORUM

Pagina

SS. D. N. Pii PP. X

625. Constitutio apostolica **Tradita ab antiquis**, 14 sept. 1912, de sanctissima eucharistia promiscuo ritu sumenda . . . 8
Annotationes 12
626. Litterae in forma brevis **Religiosas familias,** 16 sept. 1912, erigentes, cum privilegiis, novum Ordinem Augustinianorum recollectorum 14
Annotationes: I. Pars canonica. II. Pars historica. . . 16
627. Epistola encyclica **Singulari quadam**, 24 sept. et litterae 14 nov. 1912, de consociationibus opificum catholicis et mixtis.
A. Epistola enc. 24 sept. 1912 19
B. Litterae 14 nov. 1912 23
Annotationes 23
634. Monitum de quibusdam ephemeridibus, 2 dec. 1912 53
648. Motu Proprio **Supremum Officium**, 17 dec. 1912, quo providetur regimini Ordinis Fratrum Minorum Conventualium durante infirma valetudine ministri generalis, 17 dec. 1912 76
Annotatio. 76
657. Litterae in forma brevis **Magni faustique,** 8 mart. 1913, quo indicitur universale iubilaeum in memoriam pacis a Constantino Magno Ecclesiae datae 107
Annotationes 110
671. Motu Proprio **Litteris apostolicis**, 25 ian. 1913, quo Abbati Primati S. Anselmi de Urbe Coadiutor adiungitur . . 123
699. Epistola 4 aug. 1913, ad R. P. Cormier, magistrum generalem Ordinis Praedicatorum, de generali coetu Ordinis proxime habendo 168
Annotationes 170
704. Epistola 25 oct. 1913, ad R. P. D. Lépicier, Ordinis servorum Mariae priorem generalem 193
706. Motu Proprio **Abhinc duobus annis**, 23 oct. 1913, de officiis divinis novo aliqua ex parte modo ordinandis. . . 196
722. Litterae in forma brevis, **Quae catholico**, 6 iul. 1875, de facultatibus capellanorum castrensium in Gallia 232
737. Gratiae 20 dec. 1911, Privilegia Cardinalium 251
Annotationes 252
739. Motu Proprio **Quanta semper**, de nova S. Rituum Congr. ordinatione, 16 ian. 1914 256
Annotatio. 257

Ex audientia Sanctissimi

745. Indultum 2 sept. 1913, de Confessionibus Sororum in Belgio. 269
Annotationes 269

tterae apostolicae summatim relatae

37. A. Erigitur dioecesis Hadju-Doroghensis, ritus graeci catholici in Hungaria, 8 iun. 1912 55
B. Transfertur paroecia S. Mariae a Rosario, et erigitur nova paroecia S. Ioseph, ad viam triumphalem, 24 maii 1912 55
C. Paroeciae novae instituendae in agro romano, 24 maii 1912 55
D. Erigitur in archisodalicium consociatio B. V. Immaculatae sub titulo Cleri Reginae, 21 maii 1912. 55
E. Erigitur in Vicariatum Praefectura Insularum Salomonicarum Meridionalium, 1 iun. 1912 55
F. Uni Cardinali Titulari tribuuntur reditus diaconiae S. Caesarei in Palatio, 30 nov. 1911 56
G. Definitur forma diplomatis tribuendi a Pontificio Instituto Biblico, 2 iun. 1912 56
H. Erigitur novus Vicariatus Ce-Li in Sinis, 27 april. 1912. . 56
I. Sanctuarium S. Mariae ad vallem Suppentoniam erigitur in Basilicam minorem, 15 aug. 1912 56
K. Constituitur episcopus ritus Rutheni in regione Canadensi, 15 iul. 1912 56
L. Conceduntur indulgentiae recitantibus preces in honorem Virginis Guadulupensis, 7 sept. 1912 56
M. Erigitur in archisodalicium sodalitas S. Catharinae, 30 oct. 1912. 57
N. Promulgatur novus textus catechismi, 18 oct. 1912 . . . 57
O. Alloquitur S. Pontifex sacerdotes « Unionis apostolicae », 18 nov. 1912 57
38. A. Erigitur in archisodalitatem sodalicium B. M. V. a Consolatione, 25 iul. 1912. 113
B. Erigitur Vicariatus de Kivu in Africa, 12 dec. 1912 . . . 113
C. Consociatio a SS. Corde Iesu pro animabus in purgatorio detentis concreditur Missionariis a S. Corde Iesu, 20 ian. 1913 113
D. Seminario Maiori Mediolanensi conceditur facultas conferendi gradus academicos in Iure canonico, 18 dec. 1912 . 113
E. Alloquitur S. Pontifex cives Ianuenses, 22 febr. 1913. . . 113
5. A. Conceduntur privilegia et indulgentia pro inauguratione cryptae in templo Casinensis monasterii, 10 feb. 1913 . . . 152
B. Approbantur in perpetuum Constitutiones Canonicorum Regularium Immaculatae Conceptionis, 11 febr. 1913. . . 152
C. Alloquitur S. Pontifex Christifideles qui Romam peregrini petierunt (sine die) (A. A. S. 16 apr. 1913) 152
D. Conceditur facultas celebrandi pontificale sacrum ad altaria papalia, (sine die) (A. A. S. 16 apr. 1913) 152
E. Conceditur facultas erigendi ubique societates Divini Infantis Pragensis, 30 mart. 1913 152
F. Laudatur sacerdotale foedus « Pro Pontifice et Ecclesia », 28 apr. 1913 152
G. Erigitur novus Vicariatus de Banguelo, 28 ian. 1913 . . . 152
H. Erigitur in Vicariatum Praefectura apostolica Tripolitana, 23 febr. 1913 153
I. Erigitur novus Vicariatus de Fianarantsoa, 10 maii 1913 . 153
K. Praefectura Rajputanensis erigitur in dioecesim, 22 maii 1913 153
L. Erigitur provincia ecclesiastica Simlensis, 22 maii 1913. . 153

708. A. Constituitur novum Seminarium Romanum ad Laterа-
num, 29 iun. 1913 . . . . . .
B. Indulgentiae conceduntur « Verein der Kinderfreunde »,
3 iun. 1913 . . . . . .
C. Praefectura de Urubamba in Vicariatum erigitur, 4 iul.
1913 . . . . . .
D. Opus « a suffragio sacerdotali » erigitur in archisodalita-
tem, 10 ian. 1913 . . . . . .
E. Archisodalitas « a suffragio sacerdotali » ditatur indul-
gentiis, 15 iul. 1913. . . . . .
F. Societas « ab oratione assidua pro Pontifice » erigitur in
archisodalitatem, 24 iul. 1913. . . . . .
G. Archiconfraternitas S. Christophori augetur indulgentiis,
17 aug. 1913 . . . . . .
H. Conqueritur S. Pontifex recentiora Rei publicae Lusitanae
acta in Ecclesiam, 1 mart. 1913 . . . . . .
I. Conqueritur S. Pontifex iniurias Internuntio in Re pu-
blica Chilensi illatas, 22 aug. 1913 . . . . . .
729. A. Erigitur nova dioecesis Insulensis, 25 oct. 1913. . . .
B. Erigitur in archiconfraternitatem sodalitas « Mariae Re-
ginae Cordium », 28 april. 1913 . . . . . .
C. Extenditur ad Americam latinam Congregatio vulgo « Tal
leres de Caridad de Santa Rita de Casia », 8 nov. 1913 .
D. Determinantur iura Canonicorum qui non sint Praelat
domestici, e Capitulis habentibus privilegia Protonotariо-
rum, 22 dec. 1913 . . . . . .
E. Regimini et administrationi Seminarii romani minori
Motu Proprio pressius consulitur, 6 ian. 1914. . . . .

S. Congregationis Concilii

645. Responsum, ex audientia SSmi 28 nov. 1912, de communione
in ecclesiis non parochialibus etiam Regularibus die Pa
schatis fidelibus administranda. . . . . .
Annotationes . . . . . .
659. A. Incardinatio in America, 31 ian. 1913 (summatim) . .
B. Indultum recitandi Officium divinum iuxta Psalteriun
vetus, 10 mart. 1913 (summatim) . . . . . .
719. Responsa 21 nov. 1912, de ieiunio et abstinentia in diebu
festis praeceptis . . . . . .
Annotationes . . . . . .
726. Responsa 12-15 dec. 1913, de missis pro populo et serviti
chorali in missis translatis. . . . . .

S. Congregationis Consistorialis

660. A. Prohibentur fieri in ecclesia « proiectiones » et exhibitio
nes per « cinematographa » 10 dec. 1912 (summatim) . .
B. Ecclesia S. Apollinaris concreditur Rectori templi SS
Trinitatis, 25 ian. 1911 (summatim) . . . . . .
C. Eriguntur dioeceses Camagueyensis et Matanzensi
10 dec. 1912 (summatim). . . . . .
D. Immutantur fines Dioec. Fuldensis et Herbipolensi
25 ian. 1913 (summatim). . . . . .
E. Constituitur Vicariatus generalis Insulis, 5 febr. 19
(summatim) . . . . . .

F. Constituitur nova provincia ecclesiastica in Republica S. Salvatoris, febr. 1913. 114
679. Responsum 20 iunii 1913, circa iuramentum antimodernisticum 143
Annotatio 143
686. A. Erigitur dioecesis et archidioecesis in Statibus foederatis Americae, 30 nov. 1912 (summatim) 153
B. Confirmatur disciplina circa munus deputati in Gallia, a sacerdote exercendum, 9 maii 1913 (summatim) 153
705. Litterae 17 oct. 1913 ad R^mos Ordinarios Italiae, de libris ab alumnis Seminariorum vel in scholis vel privatim adhibendis 195
709. A. Declaratur nova lex lata a Republica S. Marini circa bona ecclesiastica laedere ius proprietatis Ecclesiae, 14 iun. 1913 (summatim) 215
B. Eriguntur novae dioeceses, 21 apr. 1913 (summatim), 26 iul. 1913 (summatim) 215
730. A. Dantur normae ad Seminarium Romanum ad Lateranum, 30 oct. 1913 (summatim). 244
B. Constituuntur novae dioeceses in Brasilia et in America centrali, 20 oct. et 2 dec. 1913 (summatim) 244
C. Civitas Galatina interdicto subicitur, 10 dec. 1913 (summatim) 244
D. Civitas Galatina interdicto levatur, 12 ian. 1914 (summatim) 244
744. Declaratio 27 febr. 1914, de Vicario generali Amer. Septemtr. qui simul consultor dioecesanus sit 268

. Congregationis Indicis

638. Declarationes subiectionis, 15 iun. et 8 iul. 1912 (summatim). 57
661. Damnatio operum et declaratio subiectionis, 13 ian. 1913 (summatim) 115
Annotatio 115
687. A. Prohibitiones librorum decreto 8 maii 1913 (summatim) . 153
B. Prohibitiones librorum decreto 16 iun. 1913 (summatim). 154
C. Declaratio subiectionis (summatim). 154
731. Liber prohibitus, 13 nov. 1913 (summatim) 244
748. Decretum 17 ian. 1914. Opera Maeterlinck damnantur (summatim) 275

. Congr. pro Negotiis ecclesiasticis extraordinariis

528. Declaratio 12 oct. 1912, de pensionibus in Lusitania e publico aerario clero assignatis. 26
Annotatio 26
533. Declaratio 29 nov. 1912, de quibusdam libellis in Hispania editis 52
563. Solvitur dubium de abstinentia et ieiunio pro America Latina, 10 dec. 1912 (summatim). 116

Congregationis S. Officii

716. Responsa 6-8 maii 1903. Dispensatio ab interpellatione et a cultus disparitate 221
Annotationes 223
720. Decretum 20 iun. 1894. Rescriptum 19 ian. 1896 et decretum 26-27 iun. 1913, de tribus societatibus secretis Amer. Septemtr.

A. Decretum 20 iun. 1894 2
B. Rescriptum 19 ian. 1896 2
C. Rescriptum 1913 quo decretum 26-27 iun. 1913 mittitur . . 2
Annotatio 2
721. Responsa 13-15 mart. 1901 et 22 iun. 1913, de devotione dicta « Mano poderosa » vel « Brazo poderoso » 2
Annotatio 2

(SECTIO DE INDULGENTIIS)

619. Indultum 13 iun. 1912, indulgentiam plenariam tribuens in honorem B. M. V. I. primo sabbato cuiuslibet mensis lucrandam 3
Annotatio 3
620. Responsa 12-13 iun. 1912, de indulgentiis in translatis Beatorum festis 3
Annotatio 3
621. Decretum **Quod iam,** 29 aug. 1912, tribuens post missam orationi « Obsecro te » vim orationis « Sacrosanctae » . . 3
Annotationes 3
639. Summarium indulgentiarum et privilegiorum archiconfraternitatis Doctrinae christianae in ecclesia S. Mariae de Planctu erectae, 6 iun. 1912 (summatim). 4
650. Decretum **Supremae,** 11-12 dec. 1912, circa missas Gregorianas et altaria item Gregoriana 4
Annotationes 4
662. Conceduntur indulgentiae pro piis exercitiis in honorem S. Annae, 22 aug. 1912 (summatim). 5
669. Decretum **Augescentibus,** 19-20 febr. 1913, de qualitate missae ad indulgentiam altaris privilegiati lucrandam . . 5
Annotationes 5
672. Decretum 27 feb. 1913. Indulgentiae Orationis ad fructum SS. Missionum implorandum 5
688. A. Declaratio circa formulam orationis « Obsecro te », 26 febr. 1913 (summatim) 6
